
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01680338 9

Quinti Horatii Flacci

OPERA.

TOMUS SECUNDUS.

VIENNAE et TERGESTI,
in bibliopolio Geistingeriano.
1818.


Quinti Horatii Flacci

CARMINA LYRICA.

ILLUSTRAVIT

CHRIST. GUIL. MITSCHERLICH.

Professor Publ. Ordin. In Academia Göttingensi.



TOMUS SECUNDUS.

VIENNAE et TERGESTI,

in bibliopolio Geistingeriano.

1818.

PRAEFATIO.

Quas in Horatio recte interpretando rationes ineundas judicaverim, quasque ipse opera mea adsequi conatus sim, diligenter a me in praefatione, priori Tomo praefixa, expositum est. Atque eamdem in dilucidandis reliquis, quae alter hic Tomus complectitur, Horatii carminibus lyricis viam tanto minus insistere dubitavi, quo magis in dies usu et experientia magistra intelligere mihi visus sum, quantum adjumenti talis adcuratio liberalioris indolis adolescentibus suppeditare possit. Quorum quidem potissimum commodis me prospectum voluisse ii meminerint, qui me interdum copiosiorem ac forte nimium in explanandis et ad vulgarem loquendi rationem revocandis formis poeticis deprehendant; tum illud iis maxime locis factum esse cogitent, ubi vel exercitatiorem aliquem haesitare, vel spissas ab interpretibus argutiarum nubes meridiei praetextas animadverterim.

Illud autem minime ambitiose mihi adfirmare posse videor, me in adcurandis posterioribus his carminum libris paullo intentiore studio versatum esse, sive quod interpretes in iis, maxime in toto carminum habitu ac dispositione recte apud animum informanda saepius remitti atque a vero deflectere cognoscerem, sive ipsorum carminum dignitate ac majestate eo adducerer, novisque subinde stimulis excitarer. Consummatissimae enim pleraque artis, sive argumentorum vim ac tractationem, sive excelsissimum ingenii nisum, sive sententiarum gravitatem, sive denique enuntiationis spectes virtutes, Horatiani ingenii monimenta in his libris contineri, neminem tam hebetis judicii esse arbitror, quin ipse facile sentiat.

Ceterum quam verum sit, quod dicitur, dies diem docet, neminem magis experiri arbitror quam interpretem, quem, mirandum non est, si in longiori opere nonnumquam a recto tramite aberret, ac sensim ad alias rerum notiones delabatur. Quae igitur incidenda aut aliter constituenda judicavi, quaeque ad poetae doctrinam illustrandam aut omnino ad liberaliorem interpretationem spectantia serius a me animadversa sunt, ea in fascem collecta huic Tomo inseri jussi. Interea temporis nactus sum Codicum, quos bibliotheca Guelpherbytana custodit, notitiam, a Cl. Leistio, has ipsas literas in eadem urbe summa cum laude

profitente, mihi perhumaniter subministratam, quam hic, quamquam alieniore loco itidem subnectam. Sunt autem Codd. hi:

I. Codex Gudianus n. 108. membranaceus, in folio, quod vocant, minore quadrato scriptus, continet *Horatii Carmina* (quae tamen a L. I. c. 23. demum incipiunt) *Epodon librum*, *Artem poeticam* et *Satiras*. Est is satis nitide exaratus, literisque initialibus auro, quod diversicolor pictura ambit, illusis condecoratus; pauca in eo scripturae compendia, nulli numeri, at multas inter lineas ab eadem manu adscriptas variae lectionis notationes et correctiones habet. Sic v. c. Carm. III. 4. 1. vitiose exaratum *Aescende* in margine corrigitur; Epod. I. 5. *quibus te vita* si *superstite* prava lectio *sit* adscripta est. Inscriptiones carminum vulgares exhibet (veluti Carm. III. 13. *Proseuctice in fontem blandusium, qui est in Sabino*) et in carmine amoebaeo III. 9. *Oratii* et *Lidiae* nomina interserit, adjecto titulo: *Antepodotice*. Est Etiam, ubi in plures partes dispescuntur carmina, veluti Serm. II. 3. in quo v. 168. *Servius Oppidius* cet. novum sermonem (plane ut in Cod. Upsal.) orditur. Omnino hic codex ab indocto quidem et legis metricae imperito homine scriptus, e bono tamen exemplari ductus videtur, dignusque adeo est, qui curatius inspiciatur.

II. Cod. Gud. n. 185. in 4. vergente ad finem Sec. XIV. scriptus, passim truncatus. Habet *Artem poet.* inde a v. 110. *Epistolas* et Sermonum L. I.

III. Cod. Gud. n. 303. membran. octonis scriptus, et quidem circa finem sec. XIV. Conti-

net *Horatii Epistolas* cum scholiis interlinearibus et marginalibus satis ineptis et insulsis. In textu non nisi vulgares aberrationes deprehendas. Claudit librum versus:

Qui te scribebat hermannus nomen habebat.

IV. Cod. August. n. 50, 4. membranac. octavae, quam vocant, formae. Habet tantum *Artem poeticam* cum scholiis inter lineas. Lectiones offert ubivis obvias.

V. Cod. Aug. 81, 31. fol. chartaceus, Acronis commentarium in Horatii Carmina, Artem poet. et Sermones complexus.

VI. Cod. Gud. n. 160. fol. membran. sec. XIV. exeunte scriptus, *scholia* offert *in Epistolas et Sermones*, digna, quae bibliopegis utenda tradantur. Forte ipse ita sensit exscriptor, qui taedio victus v. 42. Serm. ult. L. II. cum verbis; *et cetera* finem operi imposuit, adjecta adprecatione: *Te Deum laudamus.*

VII. Cod. Gud. n. 323. octonis scriptus, *scholia in Horatii Epistolas et Satiras* continet, ejusdem farinae ac praeced. In fronte legitur: *Dnus Gherardus de Pochheest Abbas egmondensis me renovavit* A. D. 1406. Tum ab alia manu, forte ipsius P. Scriverii: *Ex direpta bibl. Egmondani coenobii in Hollandia hunc librum vindicavit Petrus Scriverius.*

VIII. Cod. Gud. n. 85. membranac. in 4. sec. XIII. exaratus, *Porphyrionem* exhibet, manu satis luculenta scriptum.



Q. HORATII FLACCI

C A R M I N U M

LIBER TERTIUS.

I.

NON OPIBUS, NON HONORIBUS, SED ANIMI TRANQUILLITATE VITA EFFICITUR BEATA.

Odi profanum volgus et arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in Campum petitor;
Moribus hic meliorque fama

Contendat; illi turba clientium
Sit major: aequa lege Necessitas
Sortitur insignis et imos;
Omne capax movet urna nomen.

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus

Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humilis domos
Fastidit, umbrosamve ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem, quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Haedi:

Non verberatae grandine vineae,
Fundusve mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Contracta pisces aequora sentiunt
Jactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis, dominusque terrae

Fastidiosus: sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus: neque
Decedit aerata triremi,
Post equitem sedet atra Cura.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achaemeniumve costum;

Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?

Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?



II.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat; et Parthos ferocis
Vexet eques metuendus hasta:

Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo,

Suspiret, eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedis.

Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventae
Poplitibus timidove tergo.

Virtus repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit aut ponit securis
Arbitrio popularis aurae.

Virtus, recludens immeritis mori
Coelum, negata tentat iter via:
Coetusque volgaris et udam
Spernit humum fugiente penna,

Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Volgarit arcanae, sub îsdem
Sit trabibus, fragilemve mecum

Solvat phaselon. Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.



III.

Justum ac tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non voltus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster,

Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus, arcis adtigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;

Gratum eloquuta consiliantibus
Junone Divis: Ilion, Ilion

Fatalis incestusque judex
Et mulier peregrina vertit

In pulverem, ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento.

Jam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes, nec Priami domus
Perjura pugnacis Achivos
Hectoreis opibus refringit:

Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protenus et gravis
Iras, et invisum nepotem,
Troïa quem peperit sacerdos,

Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire sedis, ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus; qualibet exsules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paradisque busto

Insultet armentum, et catulos ferae
Celent inultae; stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus:

Aurum irrepertum, et sic melius situm,
Quum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere, humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.

Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tanget armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitae
Tecta velint reparare Trojae.

Trojae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victricis catervas
Conjuge me Jovis et sorore.

Ter si resurgat murus aëneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Cepta virum puerosque ploret.

Non haec jocosae conveniunt lyrae:
Quo Musa tendis? Desine pervicax
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.



IV.

AD CALLIOPEN.



Descende coelo, et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharaque Phoebi.

Auditis? — an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.

Me fabulosae Volture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliae,
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes

Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae,
Saltusque Bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Ferenti;

Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis; ut premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine Dîs animosus infans.

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Bajae.

Vestris amicum fontibus et choris,
Non me Philippis versa acies retro,

Devota non exstinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.

Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo, et arentis arenas
Litoris Assyrii viator.

Visam Britannos hospitibus feros,
Et laetum equino sanguine Concanum;
Visam pharatratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro:

Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis almae. Scimus ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbis, regnaque tristia,
Divosque mortalisque turbas
Imperio regit unus aequo.

Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens, juventus horrida, brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

Sed quid Typhoeus, et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus, evolsisque truncis
Enceladus jaculator audax,

Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Volcanus, hinc matrona Juno, et
Numquam humeris positurus arcum,

Qui rore puro Castaliae lavit
Crinis solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque sylvam,
Delius et Patareus Apollo.

Vis consilî expers mole ruit sua:
Vim temperatam Dì quoque provehunt
In majus; idem odere vires
Omne nefas animo moventis.

Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum, notus et integrae
Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.

Injecta monstris Terra dolet suis,
Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum: nec peredit
Impositam celer ignis Aetnen:

Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiae additus
Custos: amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.



V.

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare: praesens Divus habebitur

Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

Milesne Crassi conjuge barbara
Turpis maritus vixit? et hostium —
Pro Curia, inversique mores! —
Consenuit socerorum in arvis,

Sub rege Medo, Marsus et Appulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus, aeternaeque Vestae,
Incolumi Jove, et urbe Roma?

Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Foedis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum,

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Adfixa delubris, et arma
Militibus sine caede, dixit,

Derepta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero:
Portasque non clusas, et arva
Marte coli populata nostro.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,

Nec vera virtus, quum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis: erit ille fortis,

Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.

Hic, unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!

Fertur pudicae conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse voltum:

Donec labantis consilio patres
Firmaret auctor numquam alias dato,
Interque moerentis amicos
Egregius properaret exsul.

Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantis propinquos,
Et populum reditus morantem,

Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum.



VI.

AD ROMANOS.



Delicta majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedisque labentis Deorum, et
Foeda nigro simulacra fumo.

Dìs te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dî multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

Jam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, et adjecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.

Paene occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus et Aethiops:
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

Fecunda culpae secula nuptias
Primum inquinavere, et genus, et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, et fingitur artibus:
Jam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.

Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina: neque eligit,

Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis;

Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emtor.

Non his juventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum:

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severae
Matris ad arbitrium recisos

Portare fustis, sol ubi montium
Mutaret umbras, et juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.



VII.

AD ASTERIEN.



Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii,
Thyna merce beatum;
Constantis juvenem fide,

Gygen? Ille Notis actus ad Oricum
Post insana Caprae sidera, frigidas
Noctis non sine multis
Insomnis lacrymis agit.

Atqui sollicitae nuntius hospitae,
Suspirare Chloën, et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.

Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.

Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hyppolyten dum fugit abstinens:
Et peccare docentis
Fallax historias movet:

Frustra: nam scopulis surdior Icarî
Voces audit adhuc integer. At, tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus justo placeat, cave:

Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,

Nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.

Prima nocte domum claude: neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae:
Et te saepe vocanti
Duram difficilis mane.



VIII.

AD MAECENATEM.



Martiis caelebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores, et acerra turis
Plena; miraris, positusque carbo
Cespite vivo,

Docte sermones utriusque linguae.
Voveram dulcis epulas et album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis centum, et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.

Mitte civilis super Urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen:

Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis:

Servit Hispanae vetus hostis orae,
Cantaber, sera domitus catena:
Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Neglegens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere:
Dona praesentis cape laetus horae, et
Linque severa.



IX.

CARMEN AMOEBAEUM.



Horatius.

Donec gratus eram tibi,
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici juvenis dabat:
Persarum vigui rege beatior.

Lydia.

Donec non alia magis
Arsisti, neque erat Lydia post Chloën:
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

Horatius.

Me nunc Thressa Chloë regit,
Dulcis docta modos, et citharae sciens:

Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.

L y d i a.

Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti:
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

H o r a t i u s.

Quid? si prisca redit Venus,
Diductosque jugo cogit aëneo?
Si flava excutitur Chloë,
Rejectaeque patet janua Lydiae?

L y d i a.

Quamquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice, et improbo
Iracundior Hadria:
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.



X.

AD LYCEN.



Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro: me tamen asperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis? et positas ut glaciet nivis
Puro numine Jupiter?

Ingratam Veneri pone superbiam;
Ne currente rota funis eat retro.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.


O, quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus viola pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat: supplicibus tuis

Parcas, nec rigida mollior aesculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Coelestis patiens latus.



XI.

AD LYDEN.



Mercuri, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo,
Tuque Testudo, resonare septem
Callida nervis,

Nec loquax olim, neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis:
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Adplicet auris;

Quae, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.

Tu potes tigris comitesque silvas
Ducere, et rivos celeris morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulae,

Cerberus: quamvis Furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.

Quin et Ixion Tityosque voltu
Risit invito: stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas, et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,

Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae, nam quid potuere majus?
Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro.

Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis aevum.

Surge, quae dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde

Non times, detur: socerum et scelestas
Falle sorores;

Quae, velut nactae vitulos leaenae,
Singulos, eheu! lacerant. Ego illis
Mollior, nec te feriam, neque intra
Claustra tenebo.

Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.

I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus: i secundo
Omine: et nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.



XII.

AD NEOBULEN.



Miserarum est, neque Amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere: aut exanimari metuentis
Patruae verbera linguae. Tibi qualum Cythereae
Puer ales, tibi telas, operosaeque Minervae
Studium aufert, Neobule Liparei nitor Hebri,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus: catus idem per apertum

Fugientis agitato grege cervos jaculari, et
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum.



XIII.

AD FONTEM BANDUSIUM.



O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus

Primis et Venerem et proelia destinat:
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.

Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere: tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes, et pecori vago.

Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.



XIV.

Herculis ritu, modo dictus, o Plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Caesar Hispana repetit Penatis
Victor ab ora.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat, justis operata Divis;
Et soror clari ducis; et decorae
Supplice vitta


Virginum matres, juvenumque nuper
Sospitum. Vos o pueri, et puellae
Jam virûm expertes, male ominatis
Parcite verbis.

Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Caesare terras.

I, pete unguentum, puer, et coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.

Dic et argutae properet Neaerae
Myrrheum nodo cohibere crinem:
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito.

Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae:
Non ego hoc ferrem, calidus juventa,
Consule Planco.



XV.

AD CHLORIN.



Uxor pauperis Ibyci,
  Tandem nequitiae fige modum tuae,
Famosisque laboribus:
  Maturo propior desine funeri

Inter ludere virgines,
  Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Pholoën satis,
  Et te, Chlori, decet: filia rectius

Expugnat juvenum domos,
  Pulso Thyjas uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
  Lascivae similem ludere capreae:

Te lanae prope nobilem
  Tonsae Luceriam, non citharae, decent,
Nec flos purpureus rosae,
  Nec poti, vetulam, faece tenus cadi.



XVI.

AD MAECENATEM.



Inclusam Danaën turris aënea,
Robustaeque fores, et vigilum canum
  Tristes excubiae munierant satis
    Nocturnis ab adulteris:

Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem pavidum, Jupiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium Deo.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum

Demersa exitio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit aemulos
Reges muneribus. Munera navium
Saevos illaqueant duces.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Jure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.

Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab Dis plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto, et transfuga divitum
Partis linquere gestio,

Contemtae dominus splendidior rei,
Quam si, quidquid arat impiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

Purae rivus aquae, silvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meae,
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.

Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora

Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis:

Importuna tamen Pauperies abest;
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.



XVII.

AD AELIUM LAMIAM.



Aeli, vetusto nobilis ab Lamo,
Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, et nepotum
Per memores genus omne fastus:

Auctore ab illo ducit originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim,

Late tyrannus: cras foliis nemus
Multis et alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquae nisi fallit augur

Annosa cornix. Dum potis, aridum
Compone lignum: cras Genium mero
Curabis et porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.



XVIII.

AD FAUNUM.



Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos finis et aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Aequus alumnis:

Si tener pleno cadit haedus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae, vetus ara multo
Fumat odore.

Ludit herboso pecus omne campo,
Quum tibi Nonae redeunt Decembres:
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus:

Inter audacis lupus errat agnos:
Spargit agrestis tibi silva frondis:
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.



XIX.

AD TELEPHUM.



Quantum distet ab Inacho
  Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, et genus Aeaci,
  Et pugnata sacro bella sub Ilio:

Quo Chium pretio cadum
  Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum et quota
  Pelignis caream frigoribus, taces.

Da Lunae propere novae,
  Da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
  Miscentor cyathis pocula commodis.

Qui Musas amat imparis,
  Ternos ter cyathos adtonitus petet
Vates: tris prohibet supra
  Rixarum metuens tangere Gratia,

Nudis juncta Sororibus.
  Insanire juvat, cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
  Cur pendet tacita fistula cum lyra?

Parcentis ego dexteras
  Odi: sparge rosas: audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
  Et vicina seni non habilis Lyco.

Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, Vespero,
Tempestiva petit Rhode:
Me lentus Glycerae torret amor meae.



XX.

AD PYRRHUM.



Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paullo fugies inaudax
Proelia raptor:

Quum per obstantis juvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum,
Grande certamen, tibi praeda cedat
Major, an illi.


Interim, dum tu celeris sagittas
Promis, haec dentis acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam

Fertur, et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.



XXI.

AD AMPHORAM.



O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam et insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum,

Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die:
Descende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina.

Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas et arcanum jocoso
Consilium retegis Lyaeo:

Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque: et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Te Liber, et, si laeta aderit, Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiae,
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.



XXII.

AD DIANAM.



Montium Custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantis utero puellas
Ter vocata audis, adimisque leto,
Diva triformis:

Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.



XXIII.

AD PHIDYLEN.



Coelo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle,
Si ture placaris et horna
Fruge Lares, avidaque porca:

Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Robiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Nam, quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima, pontificum securis

Cervice tinguet. Te nihil adtinet
Tentare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penatis,
Farre pio et saliente mica.



XXIV.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae,
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, et rigidi Getae:
Inmetata quibus jugera liberas

Fruges et Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.

Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens:

Nec dotata regit virum
  Conjux, nec nitido fidit adultero:

Dos est magna parentium
  Virtus, et metuens alterius viri
Certo foedere castitas,
  Et peccare nefas, aut pretium emori.

O quisquis volet impias
  Caedis et rabiem tollere civicam,
Si quaeret pater urbium
  Subscribi statuis, indomitam audeat

Refrenare licentiam,
  Clarus postgenitis, quatenus, heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
  Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Quid tristes querimoniae,
  Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges, sine moribus
  Vanae, proficiunt, si neque fervidis

Pars inclusa caloribus
  Mundi, nec Boreae finitimum latus,
Durataeque solo nives,
  Mercatorem abigunt? horrida callidi

Vincunt aequora navitae?
  Magnum pauperiés opprobrium jubet
Quidvis et facere et pati,
  Virtutisque viam deserit arduae?

Vel nos in Capitolium,
  Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
  Gemmas, et lapides, aurum et inutile,

Summi materiem mali,
  Mittamus, scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis
  Pravi sunt elementa: et tenerae nimis

Mentes asperioribus
  Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer,
  Venarique timet; ludere doctior,

Seu Graeco jubeas trocho,
  Seu malis vetita legibus alea:
Quum perjura patris fides
  Consortem socium fallat et hospitem,

Indignoque pecuniam
  Heredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae: tamen
  Curtae nescio quid semper abest rei.



XXV.

AD BACCHUM.



Quo me, Bacche, rapis tui
  Plenum? Quae nemora, aut quos agor in specus,
Velox mente nova? Quibus
  Antris egregii Caesaris audiar

Aeternum meditans decus
  Stellis inserere et consilio Jovis?
Dicam insigne, recens, adhuc
  Indictum ore alio. Non secus in jugis

Exsomnis stupet Evias,
  Hebrum prospiciens, et nive candidam
Thracen, ac pede barbaro
  Lustratam Rhodopen. Ut mihi devio

Ripas et vacuum nemus
  Mirari libet! O Naïadum potens
Baccharumque valentium
  Proceras manibus vertere fraxinos:

Nil parvum aut humili modo,
  Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenaee! sequi Deum
  Cingentem viridi tempora pampino.



XXVI.

AD VENEREM.



Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
  Nunc arma defunctumque bello
    Barbiton hic paries habebit,

Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
  Funalia, et vectis, et arcus
    Oppositis foribus minacis.

O quae beatam, Diva, tenes Cyprum, et
Memphin carentem Sithonia nive,
  Regina, sublimi flagello
    Tange Chloen semel arrogantem.



XXVII.

AD GALATEAM.



Impios parrae recinentis omen
Ducat, et praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino
Fetaque volpes:

Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquom similis sagittae
Terruit mannos. Ego cui timebo,
Providus auspex,

Antequam stantis repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.

Sis licet felix, ubicumque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas:
Teque nec laevus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.

Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego, quid sit ater
Hadriae, novi, sinus, et quid albus
Peccet Iapyx.

Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Austri, et
Aequoris nigri fremitum, et trementis
Verbere ripas.

Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus, et scatentem

Belluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax.

Nuper in pratis studiosa florum, et
Debitae Nymphis opifex coronae,
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten: Pater o, relictum
Filiae nomen, pietasque, dixit,
Victa furore!

Unde? quo veni? Levis una mors est
Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum? an vitiis carentem
Ludit imago

Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentis
Carpere flores?

Si quis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratae! lacerare ferro, et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri.

Impudens liqui patrios Penatis:
Impudens Orcum moror! O Deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!

Antequam turpis macies decentis
Occupet malas, teneraeque succus
Defluat praedae, speciosa quaero
Pascere tigris.

Vilis Europe, pater urguet absens,
Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zonā bene te sequuta
Laedere collum.

Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age, te procellae
Crede veloci: nisi herile mavis
Carpere pensum,

Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, et remisso
Filius arcu.

Mox, ubi lusit satis: Abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae,
Quum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.

Uxor invicti Jovis esse nescis:
Mitte singultus: bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus orbis
Nomina ducet.



XXVIII.

AD LYDEN.



Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum,
Lyde, strenua Caecubum,
Munitaeque adhibe vim sapientiae.

Inclinare meridiem
  Sentis: ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
  Cessantem Bibuli Consulis amphoram.

Nos cantabimus invicem
  Neptunum, et viridis Nereïdum comas:
Tu curva recines lyra
  Latonam, et celeris spicula Cynthiae:

Summo carmine, quae Gnidon
  Fulgentisque tenet Cycladas, et Paphon
Junctis visit oloribus:
  Dicetur merita Nox quoque naenia.



XXIX.

AD MAECENATEM.



Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
  Cum flore, Maecenas, rosarum, et
    Pressa tuis balanus capillis

Jam dudum apud me est. Eripe te morae:
Nam semper udum Tibur et Aesulae
  Declive contempleris arvum, et
    Telegoni juga parricidae.

Fastidiosam desere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis:
  Omitte mirari beatae
    Fumum et opes strepitumque Romae.

Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.

Jam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem: jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.

Jam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit, et horridi
Dumeta Silvani: caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

Tu, civitatem quis deceat status,
Curas, et Urbi Sollicitus, times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus:
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento

Componere aequus: cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos,

Stirpisque raptas, et pecus et domos
Volventis una, non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Quum fera diluvies quietos

Irritat amnis. Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem

Dixisse: Vixi; cras vel atra
Nube polum Pater occupato,

Vel sole puro: non tamen irritum,
Quodcumque retro est, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.

Fortuna saevo laeta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Laudo manentem: si celeris quatit
Pennas, resigno quae dedit, et mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quaero.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces

Addant avaro divitias mari.
Tum me, biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.



XXX.

Exegi monumentum aere perennius,
Regalique situ pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis

Annorum series, et fuga temporum.
Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam. Usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita Virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus,
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis, et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.



Argumenta Carminum

et

Adnotationes.

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM
LIBER TERTIUS

CARMEN I.

ARGUMENTUM.

Descriptio hujus carminis admodum plana atque perspicua. Homines, utcumque prae ceteris mortalibus imperii, divitiarum, honorumque amplitudine conspicui, eadem, qua tenues atque infimae sortis, moriendi necessitate tenentur, atque adeo hactenus ne hilum quidem ab his differunt. Tum ne beatos quidem in ista fortuna facile eos dixeris, quandoquidem is ipse splendor, quo et sibi ita videntur, et vero pravo vulgi utique aestimantur judicio, tantum abest, ut vitam suavem atque jucundam efficiat, ut eam potius aegritudine curarumque multiplici aestu involvat, atque plane obruat. Ac in amplissimo quidem honoris constitutos gradu perpetua angi sollicitudine, ne inde dejiciantur; divites autem, praeterquam quod opum con-

tinuo jacturam metuant, earumdem augendarum cupiditate vexari, voluptatumque, quibus sese immergant, distorqueri fastidio. Atque hac sententiarum conversione vix luculentius explicari gnome poterat: hominem, in re modica constitutum, eaque contentum, verbo, αὐταρκῆ, utpote quem nec metus, neque cupiditates tangant, solum recte atque beate vivere; quam quidem Horatius popularibus suis, quos haud uno istius generis morbo graviter laborantes animadvertebat, adcurate hoc carmine commendare voluit. — Eximias hujus carminis virtutes, cum admirabili tractationis artificio, tum eloquutionis vi, ornatuque splendidissimo proditas, facillimo unusquisque, nisi plane hebes sit, observabit negotio. Fuere tamen (hosque recte profanum vulgus, a poetarum lectione arcendum, adpellaveris) qui vel in singulis ejus partibus, maxime initio, miris modis alucinarentur, vel totum carmen, utpote nexu idoneo prorsus destitutum, crisi sua confoderent, lacerarentque. Cujus quidem judicii temeritatem, a tenui ipsorum poetico, ut ita dicam, spiritu profectam nemo paullo cordatior hic a me excussam desiderabit.

Adnotationes.

v. 1—4. Saluberrima ad vitam bene instituendam praecepta hoc carmine traditurus poeta, quo fortius efficaciusque iis lectorum alligaret animos, justamque argumenti gravitati dignitatem adjungeret, ista tanquam ex adytis Musarum, quarum se sacerdotem fert, profatur, adhibitis, quae in antiquis mysteriis praefari mystes solebat, religiosis formulis. Primum igitur ἀμυήτους a sacris suis excludit hoc pronuntiato praeconio; *Odi et arceo*, procul hinc facessere jubeo (sed illud *odi* quanto

ἀναργέστερον!) *profanum vulgus*, profanos, βεβήλους. Solennis fere summovendi a sacris formula erat: ἑκὰς, βέβηλοι! ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρὸς, Callim. H. Ap. 2. *Procul o, procul este, profani*, Virg. Aen. VI. 258. *gressus removete profani* Claudian. R. P. I. init. In animo forte poeta habuit Orphei initium, quo itidem sublimioris sapientiae praeceptis praefatur, apud Wintert. p. 459. φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις πᾶσιν ὁμῶς. Ad eos; qui sacris interessent, spectabat altera formula: *favete linguis*, εὐφημεῖτε, *faventiam* h. silentium *adhibete* (sunt Attii verba apud Non. III. 93.); *imperatur* enim *silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente*, Seneca V. B. c. XXVI. Utramque conjunxit Eurip. Bacch. 68. τίς ὁδῷ; τίς δὲ μελάθροις; ἔκτοπος ἔστω; στόμα δ' εὔφημον ἅπας ὁσιούσθω. Aristoph. Θεσμοφ 39. εὔφημος πᾶς ἔστω λεὼς, στόμα συγκλείσας. Cf. infra III. 14, 11. 12. Res et formula multis notata. Vid. Heins. ad Sil. XVI. 295. Cerd. ad Virg. Aen. V. 71. Exspectare adeo jubet poeta carmen *sacro silentio dignum* (qualia Alcaei et Sapphus judicat Noster II. 13. 29.) h. argumenti gravissimi. Colores e Nostro duxere Propert. IV. 6. 1. *Sacra facit vates, sint ora faventia sacris*, in victoria Actiaca celebranda. Stat. Silv. II. 7. 19. *Lucanum canimus, favete linguis*, et Martial. X. 87. 3. *Linguis omnibus et favete votis; natalem colimus.* Praeiverat Callim. H. Ap. 17. εὐφημεῖτ' ἀΐοντες ἐπ' Ἀπόλλωνος ἀοιδῇ. Cf. ad I. 15. 3. II. 13. 29. Audientiam adeo sibi his formulis facere velle poetam, putandum; nihil amplius. Sunt tamen, qui poetam in ordinem redigant, profanosque, pravis opinionibus imbutos, initiatos contra, generosiores, sublimiumque praeceptorum suorum capaces, intelligi statuant; vel, ut ipsorum verbis exponam: „imperiosa quadam cum arrogantia statuit, quibus lectoribus tam philosophicum et παράδοξον carmen scripserit, quibus non. — 2. *carmina non prius audita*, carmen novum, singulare, ob nobilissima, quae ejus argumentum faciunt vitae praecepta, ad quae penitius haurienda mire sic acuitur atque praeparatur legentis animus. Similiter in celebrando Augusto, tanquam excellentiore carminis materie, III. 25. 8. *Dicam insigne, recens, adhuc indictum ore alio.* Καινὰς ἀναβολὰς poetae Dithyrambico forte eandem ob causam tribuit Aristoph. Avv. 1385. Alii simpliciter ad poesin lyricam referunt, quam Horatius

princeps inter Romanos divulgaverit (III. 30. 13.); quo quidem totius tetrastichi vis plane infringitur. — *Musarum sacerdotis* augusta atque valde adposita h. l. poetarum adpellatio. Μουσᾶν ἱεροὺς ὑποφήτας eosdem vocat Theocr. XVI. 29. Πιερίδων πρόπολον Pindarum Plato XXVIII. (A. Br. I. 174) Lucanum *Romani chori sacerdotem* Stat. Silv. II. 7. 21. cf. eund. Silv. V. 1. 17. Propert. III. 1. Alia vide apud doctiss. Boettiger. — 4. *canto*, praecino, praeco verba *virginibus puerisque*, virginum atque puerorum choro, tanquam Χοροδιδάσκαλος. Hujus enim est *praecipere* (I. 24. 2.) *docere* (II. 19. 2.) modos ac verba, a choro virginum et puerorum ediscenda atque decantanda. Praeclare vero personam, quam initio susceperat, tuetur poeta, colores ad priscam hymnorum, qui a choro virginum et puerorum canerentur, rationem attemperando. Miro alii acumine juvenilem aetatem, utpote mollem ac docilem, et a cujus institutione sequentis seculi mores pendeant, his praeceptis initiari velle statuunt poetam, verentem scilicet, ut vulgus adultum jam obstinatum et obfirmatum ad vitia, ad rectos sensus reduci queat.

v. 5 — 16. Sententia per hos vv. ita continuatur: Homines, quocunquae sive potentiae (*reges* vv. 5 — 8.) sive divitiarum (v. 9.) sive denique honorum, ad quos vel nobilitas generis vel propria ipsos virtus evexit (vv. 10 — 13.) fastigio atque amplitudine *insignes*, eadem, quae *imae* sortis homines, mortalitatis manet conditio; ne splendidissima quidem fortuna quemquam a fati necessitate immunem praestat. Vulgaris haec sententia, toties inculcata ab Horatio, novo ac plane exquisito doctrinae adparatu cultissimoque orationis habitu declaratur h. l. Quae ipsa res fraudi fuit Intpp., ut, quae secundariae essent notiones, quaeque illuminandae unice inservirent picturae, has statuerent primarias, sicque de sensu totius loci paullulum deflecterent. Turbatum est maxime in vv. 5 — 8. eorumque idoneo cum sqq. nexu constituendo. Simplicissima eorum enuntiatio erat: Reges, quorum summa potestas est, qui solo Jove minores sunt, qui soli Jovi cedunt potentia; hos tamen ipsos *Necessitas sortitur* cet. Pro hoc disjuncte, ut lyricum decebat: Regum summa potestas est; enimvero hos ipsos mors manet. Facile inde intelligitur, v. 6 — 8. ad extollendam potius, quam ad deprimendam regum majestatem adjectos esse. Cf. I. 12. extr. III. 5. 1. Docte autem poeta ita in-

vertit: reges ceteris hominibus imperant; at Jupiter est ἄναξ ἀνάκτων; uti audit Aeschyl. Suppl. 533. — *Regum*, regibus *imperium est*, reges imperium exercent, habent *in gregem*, homines, populos *proprios* sibi subjectos, h. regum suprema in terris est majestas, potentia. Pindari Ol. I. 181. τὸ ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι, laudarunt jam alii. *Greges*, homines, qui alteri parent, subditi sunt, prisca loquendi simplicitate dicti: reges enim ποιμένες λαῶν Homerico loquendi usu, et ἀγελαστῆσαι pro βασιλεῦσαι occurrit apud Sophocl. Oedip. Tyr. 410. — *timendorum*, auget imperii notionem. — 6. At Jupiter regibus imperat. Eadem sententiarum progressio apud Philiscum in Thebanis apud Stob. floril. Grot. p. 233. ἐμοῦ γάρ ἐστι κύριος μὲν εἷς ἀνήρ· τούτων δὲ καὶ σοῦ μυρίων τ' ἄλλων νόμος, ἑτέρων τύραννος· τῶν τυραννούντων φόβος. δοῦλοι βασιλέων εἰσίν· ὁ δὲ βασιλεὺς, θεῶν. E Nostro profecisse videri potest Stat. Silv. III. 3. 50. *propriis sub regibus omnis terra; premit felix regum diademata Roma; — — hanc ducibus frenare datum: mox crescit in illos imperium Superis.* Senec. Thyest. 612. *Omne sub regno graviore regnum est.* Jam Callim. H. in Iov. 75 et 79. 80. ἐν (πτολιάρχων) πάντα· τί δ' οὐ κρατέοντος ὑπ' ἰσχύν; ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες· ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων θειότερον. τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο λάξιν. — 7. 8. *Dei Exsuperantissimi*, uti passim in nummis audit (cf. Spanh. ad Callim. H. in Jov. 91.) Ζηνὸς πανυπερτάτου. Jam summam Jovis potentiam magnifice declarat *triumphus* ejus *giganteus*, victoria de Gigantibus reportata. Ornatum a sua gente quod poeta repetiit, hoc tanto magis consentaneum videri debet, quo proprius victoria ista triumphi Romani speciem attingeret. Curru enim in Gigantum strage Jovem invectum refert antiquitas, itaque in monumm. antiquis repraesentatur. Vide Winkelm. monum. ined. p. 9. n. X. Ad Nostrum Claudian. de R. P. I. 153. *Aetna Giganteos numquam tacitura triumphos.* — 8. *cuncta*, universam rerum naturam *moventis*, commoventis, concutientis solo *supercilio* moto, nutu. Augusta ac plena mejestatis imago! ducta e noto Homeri loco Il. α. 528 — 30. Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων — μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον, exornata a Catullo Epith. Pel. 204 — 6. *Annuit invicto coelestum numine rector, quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt sidera concussit*

que micantia sidera mundus. cf. Virgil. Aen. X. 115. Ovid. Met. I. 179. Stat. Theb. VIII. 82. 83.

v. 9. *sqq.* Alius in summa opum abundantia vivat. Hoc, uti et reliqua, quae subjiciuntur, per comparationem poeta extulit: Alius alium divitiis antecellat. Jam quod doctius erat, speciali notione ac Romano plane sensu: alius ampliora latifundia possideat, specialiori hoc notione, qua omnino vividior imago exsistit, poeta dedit; alius plures colat arbores in fundo suo, plura in agris suis arbusta disponat. *Est ut*, ἔστιν ὡς, ἔστιν ὅπως, pro, fieri adsolet, accidit, ut *vir viro*, itidem graece pro, alius alio. — *latius sulcis ord.* potest dictum videri pro, sulcis per latiora intervalla factis adeoque latiori intervallo ordinet; sed majorem vim habet, si latius ad totam ῥῆσιν trahas, ut sit: per latiorem terrae tractum, per latissimum fundum *ordinet*, ordine digerat, certo intervallo disponat *sulcis*, defigat, plantet atque colat *arbusta*, arbores. Designantur cujuscunque generis arboreta (non, quod fere volunt, novellae arbores, e seminariis in agrum transferendae; vide vel Juven. XIV. 144.) maxime oliveta, vineta; atque his tribuuntur στίχοι, ὄρχατοι (Hom. Il. ξ. 23.) *ordines*, quibus vites atque oleae defigebantur. Ita *ordinare vineam* dixit Colum. III. 13. *arborum ordines* Cic. Sen. 16. *villam myrtetis ordinatam* Martial. III. 58. 2. Per quincuncem fere dirigebantur sulci (Colum. l. l.) quo, in quamcunque partem spectantibus recto nihil erat speciosius (Quinctil. I. O. VIII. 3.). Sulcos autem proprie posuit poeta, nam *aut scrobibus, aut sulcis vineae conserebantur*, Colum. c. l. — 10. sqq. *Hic*, alter *petitor*, petiturus summos magistratus, candidatus (adhibuit sic Sueton. Jul. 23.) *descendat*, prodeat *in Campum* Martium, populique, creandis magistratibus ibi convocati, suffragiis sese committat *generosior*, nobilitate generis fretus, ceteris competitoribus generosa prosapia praestans. *Descendere* e situ regionis dictum; campus enim Martius erat depressior. Vide v. c. Vellei. II. 92. cf. Gronov. Obss. p. 411. Lips. — 12. Alter, ignobili quidem genere ortus, homo novus, at *moribus*, sua virtute, et, quam inde consecutus est, *fama*, bona existimatione *melior*, praestans, gratiosus apud populum, *contendat* cum reliquis de suffragiis auferendis, s. de magistratu obtinendo; h. praestet aliis. *Contendere nobilitate* similiter Lucret. II. 11. *Civiliter* autem

contendere dicebantur *competitores in certamine honoris ac dignitatis*, Cic. Off. 1. 38. — 13. ille magna clientum manu stipatus magistratum in concione petat. Valebat is adeo auctoritate et gratia apud populum, quem beneficiis sibi obstrinxerat. Res notissima. Ceterum praeclare totum hunc locum ita adornavit poeta, ut studia simul ac contentiones Romanorum, quibus ad summos magistratus petendos ferrentur, designaret, quod sane ad legentium animos magnam vim habet ob apodosin. Iu hoc etiam poetam acutum agnosce, quod solennes modos, quibus ad istos perveniebatur, breviter attingit. Nam in quovis repraesentantur homines, magnitudinis specie quadam insignes, quae nec ipsa a morte liberet. — 14 — 16. Hos tamen neutiquam ipsorum magnitudo ac splendor a naturae debito absolvit; aeque morti obnoxii sunt, ac infimi. Docta hanc sententiam imagine repraesentavit poeta. Cogitanda *Necessitas* dea, 'Ἀνάγκη, Εἱμαρμένη, Μοῖρα, in locis inferis collocata, (etiam Platoni de Rep. X. p. 621. Steph.) quae urnam, in quam omnium hominum nomina conjecta sunt, perpetuo movet. Iam cujus sors inter commovendum excidit, hic ad inferos citatur, hunc fatale est mori. Stat. Silv. II. 1. 218. *Ibimus omnes, ibimus immensis urnam quatit Aeacus umbris.* Cf. II. 3. 26. — *sortitur insignes et imos*, sortes s. nomina tam *insignium*, illustrium quam *imorum*, infimae sortis hominum in urna conjecta habet *aequa* moriendi *lege*, conditione, h. eadem lex, eadem moriendi conditio proposita est et claris et obscuris hominibus — 16. *Urna movet omne nomen* omnium nomina, dum ipsa concutitur, versatur, (eodem ornatu Claudian. R. Pros. II. 332. *Urna nec incertas versat Minoia sortes*) et hoc pro vulgari omnium nomina continentur hac urna; hinc *capax*, πάνδοκος, πανδέγμων, epitheto locis ac rebus inferis communi. Vid. ad Hom. H. in Cer. 9.

v. 17. *sqq.* Sententiarum nexus ita animo informandus videtur: Homines vel amplissimae dignitatis, cet. neutiquam morti exemti sunt. Quid? quod ne beatos quidem istos, dum vivunt, in isto fastigio facile dixeris, quandoquidem omnes lautioris istius splendidiorisque conditionis fructus curis ac sollicitudine, quae illam continuo comitantur, plane intercipiuntur, regibus, ne regno; locupletibus, ne divitiis calamitatum aliquo genere exuantur, timentibus. Jam vide poeticam

autem in tractanda enuntiandaque hac sententia. Quo vividius ostenderet poeta nihil ei esse beatum, cui semper aliquis terror impendeat, colores orationi adspersit e nota Damoclis historia, quam lege sis apud Cic. Quaest. Tusc. V. 21. Macrob. in Somn. Scip. I. 10. Sidon. Apoll. Epp. II. 13. et Boeth. Consol. Phil. III. 5. (cf. Wyttenb. ad. Plut. de S. N. V. p. 51,) — Homini *impio* (docte adcommodatur *cervici* epitheton) *cui ensis* vagina *destrictus*, nudatus *pendet*, imminet *super cervice*; quem adeo perpetua animi versat anxietas, illi cet. Simili colore Seneca Herc. Oet. 656. *Pectora pauper secura gerit — sed non strictos respicit enses.* Eodem allusum putem a Claudiano in Ruf. II. 16. *impositi radiant cervicibus enses*, quem locum vana censura et conjectura exagitat Gesn. *Radiant* enses, qui stricti sunt, et *impositi* cerv. dicuntur, in cerv. jamjam ruituri. — 19. Omnes huic vitae deliciae insuaves erunt. *Dapes Siculae*, vel conquisitissimae epulae non *elaborabunt*, efficient, praebebunt *dulcem* gratum ac jucundum *saporem*, insipidae ipsae erunt. Dapes *elaborant* saporem, in quibus deligendis condiendisque curiosa adhibita est diligentia; quales erant Siculae, unde eae in proverbium abiere. Plato Epist. VII. p. 326. B. βίος εὐδαίμων — Συρακουσίων τραπεζῶν πλήρης. Cf. eundem de Rep. III. p. 404. D. Cratini et Antiphanis loca apud Athen. XIV. 23. p. 661. E. F. Lucian. Dial. Mort. IX. p. 360. ibique Hemsterh. Adde Adag. Schott. p. 149. 175. et 249. — 20. Oratio, si quid video, ita continuanda erat: nec cantus av. citharaeque somnum *lenem* reducent. Sed docte epitheton ad seqq. transtulit poeta. Cantus somnum *reducit*, arcessit, conciliat, suadet, adjuvat somnum. Praepositio enim hanc vim habet, ut, quae per vices ac certo temporis intervallo fiunt, significet. Cf. II. 10. 15. Alii de somno interrupto, sicque reconciliando capiunt; quod neutiquam damnaverim. Prior tamen ratio simplicior videtur. Ad rem Seneca de Provid. c. III. *Feliciorem tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, et morosae uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo leve resonantium quaeritur?* Spectant etiam huc Menandrea apud Stob. Floril. Grot. p. 391. ᾤμην ἐγὼ τοὺς πλουσίους — — οὐ στένειν τὰς νύκτας, οὐδὲ στρεφομένους ἄνω κάτω οἴμοι λέγειν· ἡδὺν δὲ καὶ πρᾶόν τινα ὕπνον καθεύδειν, ἀλλὰ τῶν πτωχῶν τινά. νυνὶ δὲ cet.

v. 21. *sqq.* Quanto beatiores contra tenuioris sortis homines; qui neque timent, neque cupiunt quidpiam! quantam animi tranquillitatem sua ipsis praestat innocentia atque continentia! Sententia suavissimo phantasmate expressa, ad quod proximis vv. manu quasi ducebatur poeta *Agrestes viros* s. agricolas speciatim posuit, quo major vis toti loco accederet ex oppositione. Tyrannidi enim comes impietas, metus; securitas contra atque innocentia vitae rusticae propria. Somnus *lenis* ἡδὺς, μαλακὸς, *non fastidit*, aspernatur, frequentat adeo *domos hum. agr. vir.* casas rusticas. — 13. *umbrosamve ripam* aquae leniter strepentis. Cf. V. 2. 27. Ovid. Fast. III. 17. Virg. Ge. II. 470. eadem de re: *mollesque sub arbore somni non absunt.* — 24. *Tempe*, pro quavis valle amoena. — *Zephyris agitata*, quae Zephyri perflant; nemoribus consita poetam cogitasse, haud inepte ex orationis ornatu cogas. Virgil. l. l. similiter habet, *frigida Tempe.* Ad sententiam Senec. Herc. Oet. 644-47. *Cespes Tyrio mollior ostro solet impavidos ducere somnos. Aurea rumpunt tecta quidem, vigilesque trahit purpura noctes.* Idem ep. 90. *Sollicitudo nos in nostra purpura versat, et acerrimis excitat stimulis; at quam mollem somnum illis dura tellus dabat!*

v. 25. Scilicet is demum beate vivit, cui, quantum satis est, sufficit. Modicis enim facultatibus contentum neque augendi distorquet cupiditas, neque periculorum, quae lucro inhiantibus continuo imminet, conturbat metus. Illustratur hoc divitis Romani, e mercatura et latifundiis quaestum facientis, exemplo. *Desiderantem*, expetentem nihil ultra, quam, *quod satis est*, τὰ ἀρκοῦντα, quae ad vitam commode sustentandam sufficiunt, non angit metus naufragii, ut mercatorem. At quam ornate ac vivide haec ultima expressit poeta! Illum non *sollicitat*, sollicitum de vita ac mercibus suis reddit mare *tumultuosum*, procellosum, tanquam mercatorem, ubi tempestatem ingruentem videt. Simillime V. 2. 6. de rustico; *neque horret iratum mare.* Cf. I. 1. 11. et III. 29. 57. *Tumultus*, *seditio* cet. solennia poetis de mari tempestuoso. — vv. 27. 28. Exornant tempestatis notionem poeticis coloribus. *Saevus Arcturi impetus*, κακὴ δύσις ὑετίοιο Ἀρκτούρου Perses Theb. V. 1. in Anal. Br. II. p. 5. *Impetus Arcturi cadentis.* esse potest: saeva procellae vis, tempestas

ab Arcturo occidente excitata, fere ut 'Ἀρκτούρου λαίλαπα dixit Leonid. XCII. 4. Anal. Br. I. 244. Exquisitius tamen videtur, si impetum de rapido ejus motu, qui sideribus omninoque coelo ab antiquis adseritur, accipias. Notus Ovidii locus Metam. II. 70. *Adde quod adsidua rapitur vertigine coelum* — Nitor *in adversum, nec me, qui cetera vincit impetus.* Esset adeo: nec Arcturus *saevus*, δεινὸς (Arat. Dios. 13.) perniciosus, dum rapido motu deorsum fertur, dum occidit. De eo Plaut. Rud. 69 sqq. *Increpui hibernum et fluctus movi maritimos. Nam Arcturus signum sum omnium acerrumum. Vehemens sum ex, oriens, cum occido vehementior.* Occidit autem Arcturus IV. Cal. Nov. — *Haedi orientis*, haedorum orientium *impetus*, quo in altum enituntur, pro vulgari adeo: Haedorum ortus. Oriuntur autem haedi priodie Non. Octobr. vespere, Colum. XI. 2. 73.) unde ἑσπέριοι ἔριφοι Theocrit. ζ. 53. Iidem occasu suo tempestates excitare crediti. Cf. Callim. Epigr. XIX. 5. 6. Nicaen. Sam. V. 4. in Anal. Br. I. 417. Schol. Arat. Phaen. 158. Ceterum de hac vi stellarum, ut ita dicam, poetica res satis nota. Vide ad I. 28. 21.

v. 39. — 31. Neque ista sollicitudo animum ejus subit, quae latifundiorum dominum continuo premit, ne proventus ex agris calamitate aliqua intercipiatur. Jam ex pluribus unum tantum posuit proventus genus, at pluribus hoc calamitatis generibus oneravit, quo planius ac vividius justas metuendi causas ob oculos poneret. — Vineae grandine *verberatae*, pulsatae, fructu decusso. — 30. *fundus mendax*, ager, qui spem domini eludit, destituit, proventu quem pollicebatur, negato. Opponitur *fides segetis* III. 16. 30. Nostrum respexit Petron. c. 117. — *arbore nunc aquas culp.* cet. Propter coeli intemperiem. At quam ornate haec poeta extulit! *Arbores*, h. vites et oleae *culpant*, culpam s. causas mendacii h. sterilitatis transferunt, sterilitatis causas praetexunt, suaviter! quasi se purgent fundi domino. Sed eosdem colores deprehendas jam in fragm. Philemonis apud Stob. floril Grot. p. 403. Καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις πᾶσιν ἡ γῆ θηρίοις ἑκοῦσα παρέχει τὴν καθ' ἡμέραν τροφὴν αὐτὴ πορίζουσ', οὐ λαβοῦσα. πάνυ μόλις, ὥσπερ τὸ κατὰ χρέος κεφάλαιον, ἐκτίει τὸ σπέρμα, τοὺς τόκους ἀνευρίσκουσ' ἀεὶ πρόφασίν τιν' αὐχμόν, ἢ πάχνην, ἵν' ἀποστερῇ. Ex Nostro fluxit pulcherrimum poemation, quod legitur in Catal. Scal. p. 76. de-

maio, dignum quod ex parte huc transferatur: *Quid frusta, quereris, colone, mecum, quod quondam bene fructuosa malus Auctumnis sterilis duobus adstem? Non me praegravat, ut putas, senectus, nec sum grandine verberata dura, nec gemmas modo germine exeuntes seri frigoris ustulavit aura, nec venti, pluviaeve, siccitasve, quod de se quererer, malum dederunt: — — Sed quod carmina pessimi poetae ramis sustineo laboriosis.* — *aquas* nimias, nimiam pluviam. — 31. nunc nimiam siccitatem. Pro hoc docte, *sidera torrentia*, exurentia, exsiccantia *agros.* Nam a sideribus, maxime Sirio (hinc Σείριος ἀζαλέος Hesiod. Scut. 153.) qui κατ' ἐξοχὴν astrum audit, (Alcaeus II. 1. p. 100. Urs.) aestus gravior derivabatur. Noster. V. 16. 53 54. (uti reponendi sunt isti vv.) *nullius astri gregem aestuosa torret impotentia. Sideratio* inde (ἀστροβολία) morbus dictus, quo germina arborum aduruntur, et exarescunt. Vide, quem laudat Boettiger, Niclasium ad Geop. V. 36. p. 331. — *hiemes*, hiemem *iniquam*, noxiam, infestam arboribus, vel nimio, vel nimis protracto frigore, κρύος ἄκαιρον.

v. 33 — 40. *Nunc vobiscum loquor, quorum aeque spatiose luxuria, quam illorum avaritia diffunditur. Vobis dico, quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant? nullum flumen, cujus non ripas aedificia vestra praetexant? Ubicunque in aliquem sinum litus curvabitur, vos protinus fundamenta jacietis, nec contenti solo, nisi quod manu feceritis, maria agetis introrsus;* Senec. Ep. 89. Nexus adeo: Neque vero divites ideo beatos dixeris, quod deliciarum atque voluptatum omnium divitiae usum ipsis atque copiam largiantur: etenim quae voluptas sincera esse potest, animo intus tumultuante, atque cupiditatibus districto. Nonne hoc ipso animum inquietum produnt, quod, prioribus in fastidium adductis, novis usque sese immergant deliciarum generibus? Jam, quibus opes suas explicarent, animique aegritudinem et faterentur, et expellere conarentur divites Romani, plura poeta adnumerat genera. Ac primo quidem loco tangit seculi sui insaniam, villas in mari aedificandi; tum peregrinationes memorat mari terraque recreandi animi causa susceptas; denique, quae orationis variandae causa conclusioni (vv. 41. sqq.) demum docte adjiciuntur, aedificia splendida, pretiosam supellectilem, atque oblectamenta convivalia. — *Pisces sentiunt* aequor *contractum*, coar-

ctatum, augustiori mari includuntur. Praeclare sic piscinarum maritimarum amplitudo oculis subjicitur. Quam eandem alia imagine repraesentavit Senec. Thyest. 459. *Non classibus piscamur, et retro mare jacta fugamus mole*, qui locus e nostro ductus videtur. Insulse quidam ipsum mare, cui decessit aliquantulum, contractum dici autumant; nec melius alii, quibus ignotae hae piscinae erant, de piscibus cogitant molium ambitu *forte* comprehensis, antequam spatium inclusum caementis expleretur; quae sane admodum jejuna foret piscium mentio: quae contra ad notandum seculi istius infamem luxuriam gravissima est, si memineris cum alias ob causas, tum, ut quavis tempestate piscium maritimorum copia esset, insanos hos sumtus fuisse impensos. Piscibus autem hunc *sensum* (*sentiunt aeq. contr.*) tribui, ne quis sententiam paullo argutius expressam putet, a poetica omnino ratione haud alienum videri debet. Qua simili vel Tibull. II. 3. 45. *Claudit et indomtium moles mare*, lentus ut intra negligat hibernas piscis adesse minas. — 34. *Jactis* inmissis *in altum* saxorum *molibus*, quibus mare excludatur. Verbis propriis poeta usus est, *jaci* enim in mare *moles* dicuntur, quoties excluditur aqua, notante Acron. Cf. Torrent. h. l. Nostrum respexit Sidonius II. 57. *Itur in aequor* molibus, *et veteres tellus nova* contrahit *undas*. — *huc frequens* cet. Ενάργειαν in exornanda hac pictura facile sentias. Opus laboriosa operariorum contentione, instigante redemtore maturatur; dominus adstat atque instat ferventi operi, cujus mox absoluti ipsum pertaesum est. *Redemtor*, qui opus faciendum certa mercede conduxit, *frequens cum famulis*, docte pro, cum frequentibus, multis servis operariis, *demittit caementa*, struem lapideam, Puteolano pulvere coagmentatam, compagem saxeam, qua structurae soliditas efficitur. Cf. Heyn. ad Virg. Aen. IX. 711. Partem adeo munimenti nunc posuit poeta, quum antea generaliori vocabulo (moles) usus esset. Indocte autem plerique intpp. statuunt, moles pro aggere mari excludendo oppositas, caemento autem totum spatium, quod mari detractum esset, expletum fuisse; nam et hoc communiendo aggeri, cui praetoria inaedificabantur, et, quae his structionibus inclusa erat pars maris, diversis piscium maritimorum gregibus saginandis inserviebat. Similiter Martial. IX. ep. 76. in fundamento balnei *silicem durum et structile cae-*

mentum conjunctim ponit. — *terrae fastidiosus*, quem pertaesum est in terra habitare, quem aegritudo terra expellit; graviter hoc adjectum. — 37. 38. Sed nec hic ipsi contingit esse tranquillo. Pro hoc quam ornate ac vivide: *Timor* et *Minae*, (personas cogita) quae terrent animum scelerum conscium, Furiarum instar, *scandunt eodem, quo dominus*, conscendunt cum domino praetorium, comitantur eum. — 39. *Neque*, si mari iter relaxandi animi causa faciat, *Cura*, aegritudo *decedit* ab *aerata* s. rostrata *triremi*, una cum eo navem conscendit, perregrinatur. Navem h. l. *aeratam* cum dilectu dictam puta; quasi Cura aeris fulgore haud deterreatur. — 40. Et, si equum conscendit, iter voluptarium facturus, sedet, imminet tergo ejus. Cf. omnino II. 16. 21. sqq. et ibi Not. Ceterum simili colore Aeschylus Prom. 276. homini Πημονὴν προσιζάνειν et Theocr. XXI. 5. μελεδῶνας ἐφίστασθαι, item Lucret. II 47. *Curas sequaces* dixit.

v. 42. *sqq.* Conclusio: Itaque si honorum ac divitiarum amplitudo, quasque eae vitae commoditates ac delicias adferant, tantum abest, ut curas dispellant, ut novis potius animum onerent, et ad majora concupiscenda irritent; cur quaeso meae memediocritatis poeniteat, quae sola maximum ad bene beateque vivendum momentum efficit? *Dolentem*, aegro animo, curis maceratum vel splendidissimus divitiarum usus haudquaquam *delenit*, permulcet, erigit, exhilarat. Divitiarum usum specialibus, quas aetas sua ipsi suggereret, notionibus exposuit poeta. Primo loco memoratur *Phrygius lapis*, s. marmor Synnadicum, ad Synnada, Phrygiae oppidum, caesum. Candidum erat, maculisque distinctum purpureis. Statius Silv. I. 5. 37. *Purpura sola cavo Phrygiae quam Synnados antro ipse cruentavit maculis lucentibus Attis.* et inde Sidon XVII. 137. *puniceo preciosus livor in antro Synnados.* Cf. omnino Plin. XXXV. 1. et Strabo L. IX. p. 437. et XII. p. 865. unde discitur, in maximo Romanis habitum fuisse pretio. Declaratur adeo a poeta aedium magnificentia, columnis Phrygiis distinctarum. Nota Tibulli III. 3. 13. *Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis.* — 42. *Purpurarum*, purpurae *usus sidere clarior*, inversa ratione dictum pro, usus purpurae clarioris sidere. Iam *purpurae usum* graeca doctrina atque elegantia (de qua v. Valken. ad Eurip. Phoen. p. 71. et ad

Theocr. XXII. 4.) hic positum censent, χρῆμα πορφυρέου, pro simpl. *purpura*; quidni purpuram usui adcommodatam, adeoque vestes, stragulas purpureas simpliciter intelligas? eoque aperte ducit locus Lucret. II. 47. quem in animo habuit poeta: *Metus hominum curaeque sequaces — neque fulgorem reverentur ab auro, nec clarum* vestis *splendorem* purpureai. Etiam in Virg. Ge. II. 466. *Nec casia liquidi corrumpitur* usus olivi, est: oleo utuntur, casia haud corrupto. Purpura *sidere clarior*, est resplendens, lucida. *Sidus formae* ita dixit Stat. Silv. III. 4. 26. et *sidereos artus* hoc sensu tribuit Veneri Claudian. XXXI. 3. Purpurae autem, maxime Laconicae, (v. ad II. 18. 7.) splendor proprius; unde fulgoris notionem simpliciter habet IV. 1. 10. Conf. omnino Dorv. ad Charit. VI. 4. et Gesner. Th. LL. v. *purpureus*. — *Falerna vitis*, vina agri Falerni Campaniae, adeoque nobilissima. — 44. *Costum*, unguentum e radice fruticis, ejusdem nominis, qui in Patale, Indiae insula, provenit. De eo Plin. XII. 12. Cf. Salm. de Homonym. H. I. p. 128. — *Achaemenium*, Parthicum, ab Achaemene, Persarum rege, dicitur, quod illud ex India per Parthorum regionem in Romam adveheretur. Sic *nardum*, quae erat folium costi, *Achaemeniam* vocat noster V. 13. 12. Unguenta autem vino adposuit poeta, ex more convivantium. Vide v. c. II. 3. 13. II. 7. 21.

v. 44. Generalem sententiam: splendidam fortunam, quasque adferat vitae lautitias atque voluptatum illectamenta, ob innumeras, quibus animum impediant, curas ac sollicitudines, haudquaquam expetenda esse, in mediocri contra sorte animum optime componi, speciali, notione expressam ita adornavit, ut se ipsum, de ejus veritate penitus persuasum, splendidum divitiarum contemtorem ferat, et in modica fortuna beatum sese ostendat; quo sane nihil fortius ad eundem in aliis excitandum sensum cogitari potest. Cf. III. 16. 18. sqq. Iam, quod speciatim erat: cur magnificas aedes exstruam, hoc parte tantum, quae aedium erat magnificentissima, descripta absolvit poeta. Atrium *sublime* et per se erat, et totius aedificii altitudinem animo objicit. Quo et spectat *moliar*, pro tenui, exstruam. Similiter Seneca Ep. LXXXIX. extr. ubi divitum insaniam perstringit, ipsorum *tecta ex plano in altitudinem montium educta* memorat. Atrii splendor designatur per postes *invidendos*, superbos, maximi pretii. Sed quam delectum hoc

epitheton! Quod divitias invidiae obnoxias, atque etiam hoc nomine possessori molestas simul innuit. *Invidendam aulam* eadem virtute dixit II. 10. 7. Ceterum eadem in re Virg. Ge. II. 462. memorat *varios pulchra testudine postes — novo ritu*, ad novas architectonicas regulas descriptum. — 47. *Cur valle permutem divitias*, docta ac perpetua h. v. inversa structura (v. I. 17. 2. II. 12. 23.) pro, vallem divitiis, h. cur divitias praeoptem, anteponam agello meo Sabino *operosiores*, quae mihi multo magis molestae sint, quae animum curis exerceant. Sane sententia sic satis aperta atque adposita h. l. Si tamen curiosius ornatus rationem, oppositionisque vim perpendas, eandem quidem, sed specialiori eademque exquisitiori adumbratam imagine deprehendes. Scilicet docte generalem divitiarum notionem posuit poeta, adstrictam tamen ad certam, qua eae ostenduntur, speciem opposita *valle* et adi *operosiores*. Unde recte cogas, aedes in altum eductas, h. l. intelligi debere. Est adeo: cur alta palatia praeferam valli meae Sabinae cum humili tecto? Ac ne de usu loquendi dubites, adi Not. ad II. 3. 20. ubi eadem notione *divitias in altum exstructas* poni vides; et aedes *operosae* sunt, multa opera, magno molimine exstructae. Quo plane sensu Ovid. Met. XV. 667. *operosa dei templa* et Sueton. Octav. LXXII *operosa praetoria* dicuntur. Ceterum ad mentem poetae plane adposita sunt Menandrea apud Stob. Flor. Grot. p. 389. Κρεῖττον γάρ ἐστι — μὴ πόλλ' ἀηδῶς, ὀλίγα δ' ἡδέως ἔχειν, πενίαν δ' ἄλυπον μᾶλλον, ἢ πλοῦτον πικρόν.

ARGUMENTUM II.

Vix ullum Horatii carmen dari existimo, quod magis diversa super consilio ejus, tractatique argumenti ratione VV. DD. judicia expertum sit. Atque in eorum quidem reprehensionem incurrit, qui tribus illud partibus,

in fortitudinis, virtutis et silentii laude celebranda occupatis, a poeta ita descriptum judicarent, ut nullus plane inter eas nexus intercederet: quam quidem alii a poeta depellere studuere hactenus, ut adflatui divino hanc sententiarum diversarum ὕλην concedi condonarique oportere pronuntiarent. Quae quam docta disputatio sit, et quam commode ita poetae causa agatur, facile intelligitur. Acutius alii sententiarum nexum sibi perspicere visi, dum ad notiones, quas ipsi animo concepissent, poetae verbis satis violenter atque arbitrarie subjectas, exigerent poetam, totius carminis pervertere argumentum. Fuere denique, qui stricto in hoc carmen gladio grassati, tres istas partes in totidem carminum frusta, quo concoquerentur scilicet facilius, discinderent. Nobis equidem Horatius hoc carmine tanquam in tabula priscae Romanorum virtutis imaginem ad vivum delineare voluisse videtur, atque eo quidem consilio, ut populares suos, ab ista veterum norma immane quantum degressos, ad adumbrandam eam exprimendamque exhortaretur atque incenderet. Non igitur virtutis in genere, sed ejus maxime, quae rem publicam pace belloque incolumem praestat atque florentissimam, sese praeceptorem fert, quam quidem civilem haud inepte adpellaveris. Hinc ad illuminandam istam virtutis imaginem eos potissimum adlevit colores, qui priscos gentis suae mores, per quos Romanum domi militiaeque sartum tectumque stetisset imperium, plane referrent. Exhortatus igitur poeta juventutem Romanam ad pristinam laborum tolerantiam, fortitudinemque bellicam, qui-

bus adversus externos hostes defensetur res publica, ad virtutem commendandam progreditur, quam quidem formulis ac notionibus Stoicis ita descriptam dat, ut facile adpareat, domestica ipsi istius exempla, quae imitanda proponeret, obversata fuisse. Scilicet ut studia cupiditatesque honorum atque ambitiones e civitate, haud raro graviter inde concussa, tolleret, virtutem s. honesti studium, non tam ob externa praemia, quae admodum fortuita sint, quam per se expetendam pronuntiat; suam enim ipsimet inesse dignitatem amplissimam, suam esse aeternam nominis famam. Tum, qua nullum fortius ad continendam civitatem cogitari potest vinculum, fidem in specie memorat, ad eamque servandam juventutem Romanam, proposita Deorum vindicta, graviter exhortatur. Atque ad hanc quidem, speciatim a poeta adpositam, neminem facile offensum iri arbitror, nisi qui poeticae ne dicam lyricae tractationis plane ignarus sit.

Adnotationes.

v. 1 sqq. Duobus fere modis sententia constitui potest, prouti verborum ordinem instituas. Alter modus est: ***Puer***, Romanus, ***robustus***, robustior aetate factus, adultus ***condiscat pauperiem pati***, adsuescat paupertati, *acri militia* toleranda. Ita vero ***robustus*** nullam fere vim habet, cum puero adultioris aetatis notio insit (vide vel IV. 1. 15.); tum sententiae, si subtilius agas, minus recte se excipiunt (Puer paup. ferat, et Parthos cet.). Praestat igitur altera ratio, qua duo commata docte copulantur, quamque et ipsa verborum suadet collocatio: Puer condiscat paupertatem pati, robustusque fiat, induretur acri militia, ut sufficiat tolerandis militiae aerumnis. Scilicet vulgaris forma erat; Juventus Romana severa disciplina continea-

tur, unde corpus ad tolerandos militiae labores induretur, corroboretur. Jam severam disciplinam paupertatis notioni subjecit poeta, quae adeo victu modico ac duro, vigiliis, caloris ac frigoris patientia, tolerandisque laboribus corpus atque animum confirmat atque ad fortitudinem acuit, uti contra luxus atque ignavia enervat ac deprimit. Praeclare in hanc rem Eurip. fr. Alex. apud Stob. Flor. Grot. 389. Κακόν τι βούλευμ' ἦν ἄρ' εἰς εὐανδρίαν ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισιν αἵ τ' ἄγαν τρυφαί. Πενία δύστηνον μὲν, ἀλλ' ὅμως τρέφει μοχθοῦντ' ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια. Unde et ἀγαθὴ κουροτρόφος audit πενία Arcesilao apud Stob. Tit. XCV. Cf. ad I. 12. 43. *Angusta*, ut *res arcta, angusta* (Juven. III. 165.); opponuntur *res amplae*. — *amice pati*, ἀγαπητῶς φέρειν ἀγαπᾷν, aequo animo eam ferre, lubenter in ea adquiescere, noto Graecismo. — *acri*, dura, laboriosa; ut grave *Martis opus* Virgil. Aen. VIII. 516. — 3. Jam acrem militiam exponit, exornatque ulterius poeta, memoratis speciatim, quibuscum congrediatur miles Romanus, Parthis, ferocissima, eademque Romano nomini infestissima gente. — *vexet*, conturbet, adfligat, adsidue instando. *Vexare turmas hostium* fortiori hoc significatu habes IV. 14. 23. — *eques*, utpote in pugna adversus Parthos equites. Res nota. — *metuendus hasta*, ornatius quam, hastatus, s. protentis vel conjectis in eos hastis. — 5. Moretur, *sub divo*, sub aëre, in castris, (nam et haec ad aerumnas militiae referenda) ut soli ac frigori corpus adsuescat; et versetur *in rebus trepidis*, periculosis, in summo discrimine, ne animus ad subita belli expavescat. Hoc igitur ad animum, illud ad corpus confirmandum spectat. *Res trepidae* in bello adeo sunt, ubi res in summum discrimen adductae sunt, maxime, quae nec opinantes opprimunt, ac percellunt. Ita Livius, Silius, et alii.

v. 6 — 12. Sequitur pictura ad sensuum et adfectuum naturam ac veritatem summa cum ἐναργείᾳ a poeta adornata, qua quidem vulgarem sententiam „timendus sit hostibus, audacter hostes invadat," vivide adumbratam facile cognoscas. Cogita legiones Romanas in hostili agro urbi admotas, hostem vel e castris ad moenia positis, vel ex urbe, eruptione facta, in aciem progressum atque manum conserentem, tum imbellem aetatem atque sexum e moenibus praeliantes spectantem,

suisque atque urbi timentem. Postremam hanc ideam ductam volunt intpp. ex Hom. Il. γ. 154. quam sane natura rei, in summum discrimen adductae, suppeditat. Hinc mentio ejus rei in urbium obsidione satis frequens apud scriptores antiquos. Jam Hesiod. Scut. Herc. 241. πλέονες ἔτι δῆριν ἔχοντες μάρναντ᾽· αἱ δὲ γυναῖκες εὐδμήτων ἐπὶ πύργων χάλκεον ὀξὺ βόων, κατὰ δ᾽ ἐδρύπτοντο παρειάς. Esquisitum autem artificium poetae agnosce in revocata ad certam speciem generali imagine, atque ad eam quidem, qua mirifice legentis animum adfectum iri intelligeret. — *Illum* pugnantem *prospiciens e moenibus hosticis*, hostilibus, *matrona tyranni*, uxor regis *bellantis*, bellum cum pop. Romano gerentis, *et virgo adulta*, nubilis, *suspiret* suspirent, h. suspiriis timorem prodant, metuant, *ne* cet. Alii, τῷ *eheu* forsan inducti, sqq. puellae verba et suspirare pro, cum gemitu dicere, dictum statuunt, minus docta atque concinna ratione. — 9. *rudis agminum*, pugnandi, imbellis, cum tali scilicet adversario commissus; suaviter, et ex intimo istarum feminarum, misere ejus vitae timentium, animi sensu: quem ceteroquin tibi fortissimum fingas licet. — 10. *sponsus regius*, juvenis regiae virgini desponsus. Sed et ipsum filium recte statuas. — *lacessat*, irritet, impetat, adgrediatur *leonem*, juvenem Romanum leonis instar ferocientem, fortissime pugnantem. Nobilitavit docta hac ratione poeta frequentem satis viri fortis cum leone comparationem. Similiter Sil. VII. 401. *Jam cernes Libycum hunc vallo adsultare leonem*, de Hannibale. Perductus forte eo fuit Homerico epitheto θυμολέων, v. c. Il. ε, 639. Od. δ. 814. λ, 266. cf. Hesiod. Theog. 1007. — *asperum tactu*, ad quem si accedas, ubi eum provoces, *asperatur*, furit, Docte redditur Graecorum ἄπλητος, h. ἀπρόσμαχος, ἀπρόσιτος. Iratum *asperum* dici, nota res. *Asper et improbus ira* de lupo Virg. Aen. IX. 62. τραχὺς λύκος Theocr. ep. 6. 3. Atque a vultu aspero, truculento, irato (*Asper*, *acerba tuens*, Virg. Aen. IX. 764.) metaphoram potius petitam duxerim, quam a mari aspero. — 11 Quem *ira*, ardor, cupiditas pugnandi *cruenta* cruoris cupida (proprie ipse *cruentus*, truculentus, caedis cupidus) effera *rapit*, praecipitem agit, fert, h. qui ira percitus fertur, (ἰθὺς φέρεται μένει de leone Hom. Il. υ. 172.) grassatur per mediam hostium aciem, per confertos hostes; pro hoc multo gravius est *per*

medias caedes. per hostium confertim a se caesorum agmina, qui late stragem edit. Eadem vi Achilles *in caedem* Lyciorum e Scyro proreptus dicitur I. 8. 16. De iracundia leonibus insita cf. I. 16. 15. Adposite quoque Lucret. III. 297. *in primis vis est violenta leonum, pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes, nec capere irarum fluctus in pectore possunt.* Ceterum ira virtutem bellicam declarari, in vulgus notum.

v. 13. Nexus: strenue rem agat miles Romanus, memor, nihil aut dulcius, aut gloriosius esse, quam atrociter dimicando pro patria mortem oppetere, a qua nec ignavi ac fugientes e proelio immunes sint. Sed majorem vim habet gnome absolute sic posita. Notissima Tyrtaei: τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ῃ πατρίδι μαρνάμενον, et Callini (Anal. Br. I. 30,) τιμῆέν τε γάρ ἐστι καὶ ἀγλαὸν ἀνδρὶ μάχεσθαι γῆς πέρι καὶ παίδων, κουριδίης τ' ἀλόχου δυσμενέσι cet. — 14. Etiam ignavos mors opprimit, milites in fuga caeduntur. Hoc imagine Simonidea descripsit poeta: ὁ δ' αὖ Θάνατος ἔκιχε καὶ τὸν φυγόμαχον. Scilicet antiquo phantasmate Mors, Πότμος, Μοῖραι, Κῆρες inter acies errare (Hesiod. Scut. 249.), militi morti addicto adstare (Κῆρες ἐφεστᾶσι θανάτοιο Il. μ. 326. ἄγχι παρίσταται οὐλόμενος Κὴρ Q. Cal. VI. 427.) eum adsequi ac rapere; nota Homerica, ἔλλαβε πορφύρεος Θάνατος, ἕλε Μοῖραι Πότμος) dicuntur. — *fugacem persequitur*, fugienti instar, donec adsequatur; pertinaciam enim in sequendo declarat hoc verbum, estque ornatius quam, consequitur. — Caedendo terga ac poplites; nam hos maxime petebat hostis insequens. Memorato hoc speciatim mortis genere et tota imago mire animatur, et ignominiae nota, quae ei inest maxima, simul, ob oculos ponitur. — *tergo timido*, timidi, militis fugientis.

v. 17. sqq. Laudata tolerantia ac fortitudine generatim nunc poeta virtutem commendat, momentis, quae ad amplectendam eam invitent ac perducant, ex ipsa deductis. *Virtutem* nimirum (Plautinis uti liceat, Amphitr. II. 2. 17.) *praemium esse optimum, virtutem omnibus rebus anteire profecto, virtutem omnia in se habere, omnia adesse bona, quem penes sit virtus.* Hanc igitur sectari oportere, ut vere beatum te intelligas, quod quidem divitiarum, honorum, ceterarumque rerum externarum possessione etsi amplissima neu-

tignam adsequare. Magnifice haec, adsumta gravi Stoici sapientis persona, eloquutus est poeta. Jam quum Stoicis virtus *rationis absolutio* (Cic. de Fin. V. c. 14.) sit h. recta atque consummata ratio, naturae consentanea, facile perspicitur, in hominem ista praeditum ea cadere omnia, imo soli huic propria esse, quae nisi duce ista recte administrari nequeant. Ducta inde Paradoxa ista: Sapientem *solum* esse *regem*, qui, vitiis adfectibusque superior, optime imperio fungi calleat, quum privati hac virtute multorum quidem domini, sed plurium vitiorum servi sint; *solum divitem*, qui nulla re egeat, divitiisque solus uti sciat, insipidi contra solam κτῆσιν habeant, et, inexplebili libidine vexati, vere egeant, verbo, omnia sapientis rectissime dici, qui sciat uti solus omnibus. Hinc et Nostrum: Sapientem solum ac perpetuum esse magistratum, Consulem, Dictatorem, Praetorem, quod is solus munere isto recte fungatur, et quod virtutis possessio perpetua sit; ceteros autem, honore isto a populo ornatos, privatos. Ita *Albinum praetorem* refert Cicero (Acad. Quaest. IV. 45.) *cum Carneades et Stoicus Diogenes in Capitolio starent, jocantem Carneadi dixisse: Ego tibi praetor esse non videor, quia sapiens non sum; — tum ille; Huic Stoico non videris.* Docte autem poeta hoc dogmate totam descripsit virtutem Stoicam, ut ostenderet, in ea sola reposita esse omnia, dignitatem habere ex se sola, praemia adeo, quibus amantes sui condecoret, esse ampla, certa ac solida. — 17. *nescia repulsae*, quae repulsam numquam fert, non, quod virtute praestantes viri a populo aut a regibus honores non petant, neque se ei periculo committant, ut repulsam ferre possint, ut quidem Lambinus expedit; quandoquidem honores, ceteraque, quae in ἀδιαφόροις, quae secundum naturam sunt, προηγμένων nomine veniunt, sumenda utique ac quadam aestimatione dignanda censebant Stoici: neque verior, etsi multo speciosior, altera haec explicandi est ratio: quae repulsam ignominiosam pati nequit, cui non turpe est, repulsam ferre, quum virtus haud ulli obnoxia injuriae sit. Quam in rem apte laudant illustre Catonis exemplum, in praeturae petitione praeteriti, huncque populi contemtum magnifice contemnentis, de quo Seneca ep. 104. *Vides honorem et notam posse contemni? eodem, quo repulsus est die, in comitio pila lusit.* Agitur his vv. de dignitate vir-

tuti propria ac debita; hanc, quo magis extollat, poeta comparat cum fucato splendore, quem dignitas a populo ingesta habeat; hanc incertam: pravis artibus obfuscatam alieni arbitrii adeoque instabilem, illam propriam, nativo decore coruscam, ac perpetuam esse. Est igitur: Virtutis honores certi sunt, sapiens magistratum gerit virtuti suae proprium, numquam adeo repulsam fert, qua nonnumquam notantur ii, qui *populares honores* (uti Boeth. Cons. Phil. III. 4. vocat) ambiunt. Ita *sordidae* in genere notam designat, quae repulsae ex vulgi opinione inhaeret. — 18. *fulget honoribus*, ornate et cum vi pro, magistratum gerit; nam est magistratus sapientis, qui soli virtuti innititur, nullis sordibus obscuratae, cujus adeo summus fulgor est. Cic. de Fin. III. 14. *Ut obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae; — sic quum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum aestimatio* (τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, adeoque honorum, divitiarum cet.) *splendore virtutis et magnitudine obscuretur, obruatur, atque intereat necesse est.* Id. pro Sex. XXVIII. *Virtus lucet in tenebris, splendetque per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit.* Hinc honores ejus *intaminati*, puri, nulla, ut populares, labe polluti, quibus dignitatem ac splendorem hominum demum fallax adnectit opinio. Hi adeo *per se* sordidi, abjecti, quod propria vi carent, qua explendescant, non ut fere volunt, quod pravis ambitus artibus quaeruntur; illi naturali splendore conspicui. — 19. 20. Etiam in his vv. turbatum est ab Intpp. Est simpliciter: Virtutis possessio perpetua est, est ἀναφαίρετος, stabilis, immutabilis; honores adeo ejus itidem stabiles ac perpetui, *non unius anni* (VI. 9. 39.) populares contra sumuntur ac ponuntur alieno arbitrio. — *Secures*, fasces, insigne imperii, pro ipso imperio, magistratu. — *Aura popularis*, favor populi instabilis, judicium, quod nulla certa ratione ducitur, quod levissimis de causis impellitur. Ad verba ac sententiam poetae Stat. Silv. II. 2. 121. *Midae gazis et Lydo ditior auro, Troica et Euphrataea supra diademata felix, quem non ambigui fasces, non mobile vulgus, non leges, non castra tenent, qui pectore magno spemque metumque domas vitio sublimior omni* cet. in quibus consummatam Stoicae virtutis imaginem facile agnoscas.

v. 21 — 24. Alterum virtutis incitamentum, immortalitas.

Possit quidem tetrasticho poetice declaratus videri sapientis animus *erectus ad supera, sectator coelestium, devius caducorum* (ut Macrob. in Somn. Scip. c. XVII. eloquitur) qui exercitio virtutis Deo adsimilatur; de quo, eodem colore Plato in Philebo 173. πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις τῷ θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. Ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον κ. ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. Senec. ep. 65 *Philosophia animum a terrenis dimittit ad divina. Haec libertas eius est, haec evagatio: subducit interim se custodiae, qua tenetur, et coelo reficitur.* Idem ep. 75. *Ex hac faece evadamus in illud sublime et excelsum, ubi tranquillitas nos manet* cet. Etiam vv. 23. 24. ad animum ab omni labe humana purum et intactum, τέλεον, καθαρὸν, ἐξηρτημένον ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, ut Stoici loquuntur, satis commode transferri possunt. Sed interposita *recludens . . . . coelum* dissuadent hanc rationem et v. 25. *Est et fideli tuta sil. merces*, manifesto docet, etiam hic de virtutis mercede accipi debere. — *recludens* patefaciens *coelum immeritis mori*, mori haud sinit viros immortalitate dignos, in coelum subvehit sui amantes. Parum opportune haec interjecta esse, facile adparebit, si seqq. consideres. In hoc enim membro est Virtus dea, in altero abstracte ponitur pro homine virtute praedito. Deberet esse: recludens immeritae mori sc. sibi coelum, quamquam, si sensum tuum consulas, parum placeat. Ad sententiam poetae Seneca Herc. Oet. 1961 et 1983. *Virtus in astra tendit*, et: *numquam Stygias fertur ad undas inclyta Virtus.* — *tentat iter via* copia poetica pro, iter molitur, via ingreditur, *negata* inaccessa multitudini insipidae. Nam soli *virtuti via nulla invia est*, Ovid. Metam. XIV. 113. Sic *negatas vias* reditum ex inferis locis, paucis concessum (Virg. Aen. VI. 129.) vocat Senec. Hippol. 224. *Tentare* solenne de arduo ac difficili conatu. Sic *aërias tentasse domos* I. 28. 5. *coelestia tentare* I. Epp. 17. 34. ut alios omittam. 23. 24. *Spernit fugiente penna*, fugit, evolat in coelum spernens, deserens, relinquens *coetus vulgares*, vulgus virtutis expers, cui adeo inaccessa haec via; et humum *udam*, nebulosam, humidam, ob crassum aërem, qui terrae proximus est. Opponitur *aether liquidus* II. 20. 2. Laudant Val. Flacc. I. 10. *Eripe me populis et habenti nubila terrae.*

v. 25. *sqq.* In constituendo horum vv. cum antecedentibus nexu, ipsaque eruenda inde sententia magnopere turbare atque aestuare videas interpretes. Cujus quidem dissidii caussas in operosiori cultu, abstrusiorique ornatu, quo sententiam involvit ac paene dicam obruit poeta, quaerendas esse facile deprehendas. Esse hoc poetarum tamquam spiritu divino adflatorum, inquit Lambinus non semper in proposito sermone haerere, sed ad alia nonnumquam aberrare, sententiaque longe a principio diversa carmen concludere. Igitur et hic poetam aberrare ad laudem silentii, neque postea reverti ad sermonem institutum. Cruquius de taciturnitate militari h. de tacendis arcanis consiliis, nominibus deorum patriorum, ne ab hoste evocentur cet. loqui poetam autumat. Jani denique pietatem adversus deos opinatur inculcari his vv. a poeta. Quibus omnibus refragantur verba, ac bona ratio, quae et poetae enthusiasmo (qui tamen hic nullus est) correpto constare debet. Unus omnium verum, quamquam ex parte tantum vidit Torrentius, qui „poetam nunc fidem, quae silentio probetur, collaudare, et perfidiae poenam comminari" rectissime pronuntiat; falsus tamen in hoc, quod subjicit veluti divino numine adflatum vatem diversas in unum carmen conjecisse sententias. Vide Argum. Scilicet Virtute in genere laudata speciatim nunc poeta commemorat Fidem, utque huic sua constet merces suum praemium; ita perfidiae contra poenam manere ait certissimam. Fidem autem etsi designet una potissimum parte, atque ea quidem, qua maxime spectetur, silentio; (uti contra *Fides arcani prodiga* est I. 18. extr.) latiore tamen sensu h. l. accipiendam, omninoque intelligendam esse eam, qua pactis cujuscunque generis religiose servandis obstringimur, e seqq., ubi violatae fidei s. perfidiae poenae a Jove ὁρκίῳ infligi dicuntur, satis liquidum fit. Atque ita demum de verborum sensu tuto pronuntiare licet, qui, rejecto poetico velamine, hoc ordine procedere debet: Etiam Fidei servandae intenta sit juventus Romana; quae uti cultorem suum amplissimis atque certissimis ornat praemiis, ita is, qui eam prodit ac deserit, scelere se obligat gravissimo, adeo quidem, ut plane ei aequiparandus sit, qui mysteria Cereris evulgaverit. Poenam igitur manere talem hominem certissimam (vv. 31. 32. gravissimamque, quippe quae vel ad

eos pertingat, qui, ipsi quamvis integri purique sint, cum isto consortium habeat. Jam quum sententiae v. 25. elocutionem ad Augusti dictum, ἀλλ' ἔστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας quod in ejus Apophth. ad Athenodorum Plutarchus (T. II. p. 207. Fr.) refert, conformasset poeta, prona satis erat perjuri cum sacrilego, qui sanctissima mysteria eloquitur h. cum scelestissimo homine comparatio. Hanc autem graecis ideis amplificatam dedit poeta, ut statim videbimus. Jam expende elocutionis vim et ornatum. *Merces tuta*, μισθὸς ἀσφαλὴς, γέρας ἀκίνδυνον, praemium certum constitutum est *fideli silentio*, fidei, quae silentio praestatur, tum omnino fidei in genere. Proprium hoc habet fides tamquam virtus, quae sibi ipsa merces est. Vide ad v. 17. Omnis vis igitur ponenda in epitheto, ut fidele silentium idem sit, quod Senecae Thyest. 317. *fides tacita* et Herc. fur. 301. *fides muta* dicitur. Plane ita *aestuosam impotentiam*, pro aestu impotenti posuit Noster V. 16, 62. Et sic saepius alibi. — 26. Sequitur oppositio: perjurio contra statuta est poena gravissima. Jam hoc ita convertit poeta: perjurus haud minus nocens est, quam qui mysteria Eleusinia divulgat. At majorem ἐνάργειαν indignatio habet, qua conversionem hanc acuit poeta: Detestor, aversor tam scelerati hominis consortium. Pro scelerato est, qui *sacrum Cereris arcanae*, h. sacra arcana Cereris, mysteria Eleusinia *vulgat*, prodit; et pro consortio speciatim est: ne sit mecum *sub iisdem trabibus*, ὁμωρόφιος (v. Valken. Diatr. p. 189.) sub eodem tecto, domo, aut *solvat phaselum*, h. funes, quibus litori adligatus est, ornate pro, paret mecum navigationem; mecum naviget. Phaselum pro quocunque navigio poeta posuit, cum dilectu; auget enim propter exiguam formam et materiam fragilem, e qua compactus est, sc. fictili, (unde *fictiles phaselos* vocat Juven. XV. 127. periculi metum. Hinc *fragilis* audit Nostro et Ovid. ex Pont. I. 10. 39. Ceterum idem sententiae color est in Eurip. Electr. 1334. ἀδικεῖν μηδεὶς θελέτω, μηδ' ἐπιόρκων μέτα συμπλείτω. Proprius tamen ad orationis formam Callim. H. Cer. 118. Δάματερ μὴ τῆνος ἐμὶν φίλος, ὅς τοι ἀπεχθὴς εἴη μηδ' ὁμότοιχος.

v. 29. *Diespiter* (v. ad I. 34. 5.) *neglectus*, cujus numen, vindictam haud veritus est homo jurejurando obstrictus, quem adeo perjurio violavit. Hoc plane sensu Catullus LXIV. 133.

de Theseo: *siccine discedens*, neglecto numine divum *immemor ah devota domum perjuria portas.* — *Addidit* ἀορίστως, (ut mox *deseruit*) addit *incesto*, perfido, *integrum* intactum purum a perjurio, cum isto degentem; perjurum ulturus, interdum ne insonti quidem, cum isto viventi, parcit, sc. ne noxius elabatur. Communis haec antiquorum populorum opinio de vindicta divina, qua et scelerum contagioni obviam iri, aliosque a perpetrandis iis, metu deorum injecto, absterreri credebant. Adpositus hanc in rem est locus Aeschyl. VII. adv. Theb. 605. sqq. ἐν παντὶ πράγει ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς κάκιον οὐδὲν — ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ ναύτῃσι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ, ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει· ἢ ξὺν πολίταις ἀνδράσιν, δίκαιος ὢν ἐχθροξένοις τε καὶ θεῶν ἀμνήμοσι ταυτοῦ κυρήσας ἐνδίκως ἀγρεύματος πληγεὶς θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ δάμη. Laudant et Hesiod. Ἔργ. 240. Eurip. Suppl. 226.

v. 31. 32. Graviter claudit generalis sententia: Sceleri vindictam divinam imminere, raro sceleratum poenam effugere; quae vivida pictura a poeta adumbratur. Cogitanda Poena Dea, scelerum vindex, quae antecedentem scelestum insequitur, Νέμεσις ὑστερόπους μετερχομένη, (Strato ep. LXXI. 2. 3. Anal. Br. II. 375.) ἰχναίη (Diod. Sard. V. 1. Anal. Br. II. p. 186.) Ἐριννὺς ὑστερόπους (Orph. Argon. 1162. αἰὲν Ἐριννὺς ὑστερόπους ἕπεται) ὑστερόποινος (Aeschyl. Ag. 58.) ὑστεροφθόρος (Soph. Antig. 1088). Nota quoque Platonis: ἀκόλουθος τῆς ἀδικίας ἡ τιμωρία. Jam quum *lento gradu* nonnumquam *ad vindictam sui divina procedat ira*, (Valer. Max. I. 1. fin.) eadem dea *clauda* fingitur h. l. Alias est *tardigrada*, ut in notissimo Eurip. fragm. apud Plut. de S. N. V. p. 6. ed. Wyttenb. σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ στείχουσα (Δίκη) μάρψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχῃ. *Lentoque irrepunt agmine Poenae*, Stat. Theb. V. 60. Ad Nostrum Tib. I. 9. 4. *Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.* Incertus apud Stob. Ecl. physs. VII. p. 119. Grot. ἡμέρας ἢ νυκτὸς ἡ Δίκη ποτὲ τῷ δυσσεβοῦντι σῖγ' ἔχουσ' ἐνήλατο. *Tacitos pedes* elegantius ἀπαλοὺς πόδας vocat Rhian. I. 17. ἡ δ' Ἄτη ἀπαλοῖσι μετατρωχῶσα πόδεσσιν ἄκρης ἐν κεφαλῇσιν ἀνώϊστος καὶ ἄφαντος — ἐφίσταται. Quo eodem respectu Diis iratis *laneos* pedes tribui potius censuerim, quam quod tarde veniant nocentibus, ut existimat Porphyr. h. l.



ARGUMENTUM. III.



Exposita atque vividissimis coloribus adumbrata animi in recto atque honesto constantia, ad praemia, quae ei parata atque constituta sunt maxima, poeta progreditur, eaque, maxime in aeternitate nominis posita, ad majorem rei fidem faciendam, heroum statim, qui ista consequuti sint, exemplis declarat atque illustrat. Percensita igitur Dioscurorum, Herculis et Bacchi, quibus Augusti numen mira arte immiscetur, apotheosi, in Romulo, immortalibus editis operibus (Liv. I. 16.) immortalitatem adepto, subsistit. Atque hujus quidem, Urbis quippe imperiique. Romani conditoris, consecrationem poeta latius persequitur, itaque tractat, ut rem in concilio Deorum de recipiendo inter ipsos Romulo agitatam transactamque plane repraesentet, oculisque paene subjiciat, quo fortius scilicet popularium suorum, quibus virtutis pertinaciam hoc carmine vellet commendatissimam, feriret animos, adque aemulandum istud exemplum incenderet. Quod ut adsequeretur poeta, Senatus Romani de Julio Caesare divinis honoribus mactando statuentis atque deliberantis speciem magna cum dignitate ad deos transtulit, quorum concilia, super humanis rebus habita, poetis epicis, Homeri exemplo, admodum frequentari nosset. Neque vero perrogatas singulorum Deorum sententias adposuit, sed satis habuit, solam Junonis, utpote quae ceterorum judicia, quibus Romulum ornassent honorificentissimis, satis manifestaret, luculenta oratione explicitam referre. Atque in hoc

quidem exquisitum poetae perspicitur judicium, quandoquidem ad Romuli merita recte aestimanda, omninoque ad majorem rei gestae fidem faciendam hoc Junonis effatu vix quidquam cogitari poterat illustrius atque efficacius. Maxima enim Romuli merita fingas tibi necesse est, quae Junonem, implacabili erga Trojanos eorumque reliquias flagrantem odio, perpulerint, ut tanta ei praemia concederet. Aliae insuper causae adferendae, rationesque ita subducendae erant, et ne inveteratum Junonis odium (quod in femina plane unquam restinctum iri nemo facile in animum induxerit) facti obstaret probabilitati. Quod quidem egregie cavit poeta, dum illud odium Trojae cineribus, ut ita dicam, inureret, istiusque terrae solo circumscriberet; idque ad Romanos tum demum commigraturum esse significat, si de Troja instauranda unquam consilia inirent. Quod suspicaturam Junonem admodum proclive erat, quum coloniae pro veteri necessitudine tenerentur, metropolin suam omni modo juvare, adflictam vel adeo deletam erigere atque instaurare. Igitur initio statim exsultat de eversa Troja muliebris Iunonis impotentia, ipsas hujus urbis ruinas sepultas, solumque vastum ferisque inhabitatum superbe laetatur, utque acceptae a Paride injuriae, primariae irarum causae, qua vix gravior ulla feminae offerri possit, perpetua haecce sint solamina, unice laborat. Hinc facilem sese Marti pro Romulo deprecanti praebet, in ejusque apotheosin consentit et vel immensam imperio Romano magnitudinem spondet, dummodo ne Troja unquam a Romanis exsuscitetur. Ductum hoc plane ex animi com-

motioris natura, qua alteri omnia lubentes largimur, dummodo, de quo cupide laboramus, id consequamur. — En argumentum carminis summo cum artificio contexti, in quo describendo mirandum adeo non est, interpretes aliosque viros doctos diversa admodum sequutos, omnesque fere nebulam pro Junone, ipsis miris modis oratione sua illudente, fuisse amplexos.

Adnotationes.

v. 1 — 8. Virum *justum*, eundemque *propositi tenacem*, in proposito suo, h. in justo sectando perseverantem, (*justitiae pertinacem* vocat Apul. Apol. p. 338.) *semper in proposito susceptoque consilio permanentem* (quod de Catone praedicat Cic. Off. I. 31.), nihil a virtute sua abstrahit. Exquisitissimarum imaginum copia hanc sententiam, quae carminis primaria est, illustravit poeta. — 2. *ardor civium* concitata atque factiosorum hominum studiis exasperata civium multitudo, *prava*, civitati exitiosa *jubentium*, volentium, vi ad obtinenda ea grassantium. Ad conciones turbulentas in libera civitate referunt fere intpp., et *jubere* sensu Romano accipiunt, ut in nota formula, *velitis, jubeatis Quirites*; ut adeo *prava jubere* simpliciter esset: iniquas leges ferre, uti Scholl. expediunt; haud incommode utique. Majorem tamen δεινότητα sententia hacet, si de seditione populi, ubi ardet s. *saevit animis ignobile vulgus* (Virg. Aen. I. 149. de eadem re) et prava *jubet*, imperat, imperiose postulat, quibus sese vir recti amans audacter opponit, accipias. Constantiam enim, animique firmitatem hoc modo magis spectari comprobarique quis non sentit? Atque ita *furorem civilem* ac *vim* Noster adhibuit IV. 15. 17. — 3. *Vultus instantis tyranni*, docte et ἐναργῶς pro, tyrannus vultu truculento instans, terribilium adparatu ad prava compellens. Seneca de Const. Sap. c. IV. *Etiam cum potentes et imperio editi et consensu servientium validi nocere ei intendent, citra sapientem omnes eorum impetus deficient.* Et magis adposite Juven. VIII. 79. *Phalaris licet*

imperet ut sis falsus et admoto dictet perjuria tauro cet. — 3. *quatit*, concutit, labefactat, deturbat eum de *mente solida*, conturbat animi ejus constantiam, adversus omnia confirmatam. Docte Boettigerus comparat Simonideam sententiam, quae est apud Plat. Protag. T. I. p. 339. Steph. *λέγει που Σιμωνίδης — ὅτι ἄνδρα ἀγαθὸν μὲν ἀληθέως γενέσθαι χαλεπὸν, χερσί τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον ἄνευ ψόγου τετυγμένον.* Idem Simonidis respexit Aristot. l. I. de Mor. c. 11. *Καὶ τὰς τύχας οἴσει κάλλιστα, καὶ πάντῃ πάντως ἐμμελῶς ὅγ' ὡς ἀγαθὸς ἀληθῶς, καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου.* Etiam Diog. Laert. in Pittacc L. I. c. 76. *οὗ καὶ Σιμωνίδης μέμνηται, ἄνδρα ἀγαθὸν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπόν.* Vid omnino docte de hac Simonidea sententia agentem Heyn. Opusc. Acad. T. I. p. 160. sqq. Ad rem ac verba Seneca de Const. Sap. c. III. *Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas aut caedi vel deteri potest, sed incurrentia ultro retundit*; — *quemadmodum projecti in altum scopuli mare frangunt, ita* sapientis animus solidus *est.* Idem c. VI. *Non est quod dubites, an tollere se homo natus supra humana possit, an dolores, damna, ulcerationes, vulnera, magnos motus rerum circa se frementium securus adspiciat* — — *En adsum hoc vobis probaturus, munimenta incussu arietis labefieri, et turrium altitudinem cuniculis et latentibus fossis repente residere; at nulla machinamenta posse reperiri, quae* bene fundatum animum agitent. — *neque Auster* cet. Neque rerum, quas formidabiles natura habet, timor sapientis animum percellit. Ad physicos terrores transit poeta, Pindari exemplo. Vide ad III. 30. init. Pro mari tempestuoso docte est *Auster dux Hadriae*, qui imperium exercet in mare Hadriaticum, qui adeo procellas excitat in mari. De eodem I. 3. 15. *Quo non arbiter Hadriae major tollere seu ponere vult freta.* Cf. II. 17. 19. III. 17. 9. Ita et expedienda illa Taciti Annal. II. 23. *Omne dehinc coelum, et mare omne in Austrum cessit*; pro quo male nuper quidam coni. *in aestum* cessit. *Turbidus*, ad saevitiam orisque truculentiam refer, qua mare impetit, lacessit. Ita doctius atque aptius *τῷ dux* erit phantasma, quam si simpliciter intelligas, qui turbat mare. Ira enim ac furor vehementiori vento proprius, ex poetarum constanti figmento. *Animosos Euros* ita Virgilius dixit Ge. II. 441. ut alios taceam. — 6. Nec

fulmen. Pro hoc satis ornatum erat, Jupiter fulmen jaculans; at quam vivide ac spendide pro isto, *magna manus* (ut *dextra rubens* I. 2. 3.) *Jovis fulminantis.* Doctam satis indocte nonnulli inversionem h. l. statuunt, dictamque esse volunt *magnum manum Jovis*, pro *magni Jovis m.* Magna utique manu opus erat, in fulmine longe mittendo, eoque satis magni ponderis (δεκάπηχυν κεραυνὸν Jovem Olympium dextra sustinuisse tradit Lucian. Tim. T. I. p. 107. Reiz.) Omnino cum magna manus augustiori deorum heroumque speciei satis adcommoda sit, tum ea maxime memoratur a poetis in re non nisi magnarum virium impendio perficienda. Ita vel Junoni χεῖρα παχείην, qua terram adusque Tartara commoveret, tribuit auctor Hymni in Apoll. vs. 340. Nec in Virg. Aen. V. 485. *Ingentique manu malum de nave Seresti erigit*, dubito, quin ingentem Aeneae manum cogitaverit poeta, hocque epitheton cum virtute posuerit, quum de malo erigendo sermo sit. De Domitiano tamquam deo Martialis IV. 8. 9. 10. *bonus aetherio laxatur nectare Caesar, ingentique tenet pocula parca manu*, etsi parum suavi oppositione. Nostrum expressit Sil. VII. 371. *Coelene exciderint, et magna fulmina dextra torserit Omnipotens.* Mirare autem Sivrii acumen, jungentis, *fulminantis*, fulmine ferientis *magna*, juxta II. 10. 11. etsi a Boethio quoque hunc locum ita acceptum paene adfirmare ausim, Cons. Philos. I. Metr. IV. *Quisquis composito serenus aevo invictum potuit tenere vultum, non illum rabies minaeque ponti versum funditus excitantis aestum, aut celsas soliti ferire turres ardentis via fulminis movebit.* — 7. 8. Docte variavit poeta orationis structuram, quae ita continuanda erat: nec coeli ruina viri justi animum conturbabit. Si *orbis* coeli, coelum *fractum illabatur*, frangatur, dissiliat, atque irruat in ipsum. Scilicet rudiori aevo quum homines tonitrus fragorem a coelo aereo, per quod Jupiter curru itidem aereo inveheretur, repeterent, proclive sane fuit, ut graviore sono perterriti ipsam coeli ruinam aliquando extimescerent. Hinc in Theognideis. v. 849. Ἐν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε χάλκεος, ἀνθρώπων δεῖμα παλαιγενέων. — *Ruinae*, coelum ruens *feriet*, opprimet quidem eum sed *impavidum*, imperterritum. Ad animae contemtum totum locum transtulit Seneca Quaest. Nat. VI 32. *Hanc qui contemserit, secu-*

rus videbit maria turbari: etiamsi illa omnes excitaverint venti. Securus adspiciet fulminantis coeli trucem et horridam faciem. Frangatur licet coelum, et ignes suos in exitium omnium, inprimis suum misceat. Securus adspiciet ruptis compagibus solum etc. De sapiente Seneca Thyest. 358. eadem fere imaginum progressione: *Quem non concutiet cadens obliqui via fulminis, non Eurus rapiens mare, aut saevo rabidus freto ventosi tumor Adriae, quem non lancea militis aut strictus domuit chalybs.*

v. 9. sqq. Nobilissimus transitus. Vide nexum sententiarum vulgarem: Virum justi tenacem nihil a proposito suo divellit, hujusque constantiae fructus in ipsum redundant uberrimi, amplissima eum manent praemia. Jam inpromptu est intelligere, quam docta atque artificiosa posterioris sententiae, subjectis demum declaratae exemplis, sit conversio. Observatu quoque digna est lyrica brevitas in enuntianda sententia: Tales se praestitisse Dioscuros ceterosque heroas, hujusque virtutis praemium tulisse immortalitatem. *Hac arte*, hac certa agendi norma, sc. ut in justo perseverarent, hujus propositi tenaces, adeoque, hac invicta animi in sectando justo constantia. Alii *artem* ἀρετὴν simpliciter esse volunt, et vel inde per syncopen ductum cum Donato ad Ter. Andr. I. 1. 4. statuunt. Jam quum heroas istos non propter divinam ipsorum originem sed sola virtute sua coelum promeruisse, *utilitatumque magnitudine* (Cic. de Nat D. II. 23.) *constitutos fuisse deos* constanter tradat antiquitas, aptiora his atque illustriora a poeta vix poni potuisse exempla, facile intelligitur. Cic. de Legg. II. 8. *Divos et eos, qui coelestes semper habiti, colunto, et ollos*, quos endo coelo merita locaverint, *Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum*: et c. 11. *Sicut Herculem et ceteros coli lex jubet, indicat omnium quidem animos immortales esse*, sed fortium bonorumque divinos. Facit huc divinum Aristotelis in Hermiam ᾆσμα (in Anal. Br. I. 177.) unde haec delibamus: Ἀρετὰ πολύμοχθε γένει βροτείῳ, — — τοῖον ἐπὶ φρέν' ἔρωτα βάλλεις, καρπὸν φέρεις τ' ἀθάνατον. Σεῦ δ' ἕνεχ' οὑκ Διὸς Ἡρακλῆς, Λήδας τε κοῦροι πολλ' ἀνέτλασαν, ἔργοις σὰν ἀγρεύοντες δύναμιν. Sil. XV. 77. sqq. *Quibus aetherei servatur seminis ortus* (h. quibus divinam animae originem virtute adserere datum est) *coeli porta patet. Referam*

quid cuncta domantem Amphitryoniaden? quid, cui, post Seras et Indos captivo Liber quum signa referret ab Euro, Caucaseae currum duxere per oppida tigres? Quid suspiratos magno in discrimine nautis Ledaeos referam fratres, vestrumque Quirinum? Cf. Ep. II. 1. 5 — 12. Lucan. IX. 9. — *Pollux* cum fratre *Castore.* De Dioscuris inter deos adscriptis v. Heyn. ad Apollod. p. 735. — Hercules *vagus*, qui totum terrarum orbem pervagatus ubique virtutis suae monumenta reliquit. Eurip. Herc. fur. 1196. *Οὐκ ἄν γ' εἰδείης ἕτερον πολυμοχθότερον πολυπλαγκτότερόν τε θνατῶν.* Adde Pind. Isthm. IV. 94. Apud Stat. Theb. VIII. 512. de Hercule: *duris famulus cum casibus omnes lustro vagus terras.* Cf. quoque Virg. Aen. VI. 802. Docte igitur declarantur hoc epitheto labores Herculis per universum terrarum orbem proditi, quorum praemium erat coelum, et Hebes conjugium. Cf. Hesiod. Theog. 950 sqq. Sophocl. Philoct. 1415 sqq. Pind. Nem. I. 105. sqq. Lucian. Concil. Deor. 6. p. 531. T. III. *οὐκ ὀλίγων πόνων ἐπρίατο (ὁ Ἡρακλῆς) ἀθανασίαν.* Incertus apud Brunk. Anal. III. p. 142. *Σῆς ἀρετῆς ἱδρῶτι καλὴν ἀπέδωκεν ἀμοιβὴν σὸς γενέτης, Ἥρακλες, ἐπεὶ πόνος ἄσπετον εὖχος ἀνδράσιν οἶδεν ἄγειν μετ' ἀπείρονα κύκλον ἀέθλων.* Ibid. p. 209. c. 281. *οὐ γάρ σοι κρητὴρ χαλκήλατος, οὐδὲ λέβητες, ἀλλ' ὁδὸς εἰς αὐλὴν Ζηνὸς ἔπαθλον ἔφυ.* Stat. Silv, III. 1. 23. *tui solium Jovis* et virtute parata astra *tenes haustumque tibi succincta beati nectaris excluso melior Phryge, porrigit Hebe.* Herculis apotheosin exhibet anaglyphum, a Corsinio et aliis illustratum; de quo v. Heyn. Antiqu. Aufss. T. I. p. 29. — 10. *Enisus*, enisi in altum, viam in coelum moliti, *attigere* penetravere, pervenere ad *arces igneas* ardentes stellis, (ut Virg. Aen. IV. 482.) coelum stellatum, h. Dii facti sunt, immortalitatem consecuti sunt. *Eniti* praeclare de difficili atque ardua via. Nostri locum egregie in rem suam vertit Val. Flacc. I. 563. sqq. ubi Jupiter Herculem et Dioscuros ita alloquitur: *Tendite in astra viri*: — durum vobis iter et grave coeli institui. *Sic ecce meus; sic orbe peracto Liber et expertus terras remeavit Apollo.*

v. 11. 12. Observa copiam et ornatum poetae in varianda structura et enuntiatione ejusdem sententiae. Sequi debebat: Ita et Augustus viam sibi in coelum paravit. Tum vide, quot modis poeta variaverit atque exornaverit immortalitatis

adsequendae notionem. Magnifice autem et exquisite prorsus haec a poeta interjecta est sententia, tantoque magis Romanorum atque ipsius Augusti adeo percellere debuit animum, quo illa, animo etsi ex insperato prorsus objecta, minus tamen curiose anquisita videatur. Jam ex Dione LI. 20. satis constat, a Senatu Augusto vivo divinos hactenus honores decretos fuisse, ut in hymnos nomen ejus referretur; privata autem religione eundem aris, templis et effigie numinum maxime in provinciis cultum fuisse, plures testantur. Etiam nummis expressam Augusti adhuc vivi consecrationem videre licet apud Angeloni Hist. Aug. p. 13. Cf. Patin. ad Numism. Impp. p. 52. Quem igitur in terris adhuc morantem populus Romanus divinis prosequebatur honoribus, hunc poeta εὐφαντασίωτος in coelo cum Diis convivantem nectarisque haustu se proluentem exhibet. Hoc enim modo τὸ *deum fieri* eloquebatur priscus sermo. Notissima Virgilii Aen. I. 78. *tu das epulis accumbere Divum*, ubi v. Heyn. ἀθανασίας πίνειν, h. *ducere nectaris succos* (v. 34.) Lucian. Dialog. D. IV. p. 212. et ibi Hemsterh. Adde insignem Theocriti locum XV. 106. Κύπρι Διωναία, τὺ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνατᾶς — ἐποίησας Βερενίκαν, ἀμβροσίαν ἐς στῆθος ἀποστάξασα γυναικός (coll. Ovid. Met. XIV. 606. 7.) Apulei. Met. VI. p. 134. Bip. *Porrecto ambrosiae poculo, summe, inquit* (Jupiter), *Psyche, et immortalis esto.* Ita quoque Hercules ἀποθεωθεὶς cum patera est apud Spenc. Polym. XIX. 4. Quod autem Augustum cum istis heroibus σύνθακον facit poeta, in hoc tacitam hujus cum istorum meritis comparationem facile observes; quam similiter in hanc rem inter Ptolemaeum, Alexandrum et Herculem adornavit Theocrit. XVII. 16. ss. Τῆνον (Πτολεμαῖον) καὶ μακάρεσσι Πατὴρ ὁμότιμον ἔθηκεν ἀθανάτοις, παρὰ δ' αὐτὸν Ἀλέξανδρος φίλα εἰδὼς ἑδριάει· — ἀντία δ' Ἡρακλῆος ἕδρα σφιν ταυροφόνοιο ἵδρυται, unde profecisse Nostrum vix dubitandum videtur. Quo minus probabile fit, coenam illam δωδεκάθεον, cujus Suet. Aug. 70. meminit, quod quidem Gesnerus statuebat, aut dedicatam Augusti inter Herculem et Pollucem statuam, quae Dacerii opinio est, huic phantasmati primam originem dedisse. Ceterum dubitari potest, quo sensu Augusto *os* s. faciem *purpuream* tribuat poeta. Quum purpura a splendore maxima commendata veteribus fuerit poetae simpliciter pur-

pureum dixerunt, quod esset splendidum, pulchrum, nulla coloris habita ratione. Vid. ad IV. 1. 10. Atque hoc quidem satis adpositum videtur ad declarandam divinam Augusti speciem, quam et grandiorem et pulchriorem humana poetae fingunt. Certatim laudant Virg. Aen. I. 590. *lumen juventae purpureum* in eadem re. Ovid. Met. XIV. 827. de Romulo inter deos recepto: *pulchra subit facies, et pulvinaribus altis dignior.* Vividior tamen pictura exsistit, si Augustum nectaris poculum dextra tenentem, unde ei vultus refulgeat, (nectar enim statuebant ἐρυθρὸν antiqui) cogites. Ita est *rubens dextera* I. 2. 3. Atque hanc quidem explicationem ipsa verborum adjuvare videtur collocatio. Ita quoque ceperim Statii locum, quem Bentl. adfert, Theb. III. 440. *nitidum terris Aurora deisque* purpureo *vehit* ore *diem.*

v. 13. *Hac* arte s. virtute etiam Bacchus meruit immortalitatem. Sed nova hanc Bacchi ἀποθέωσιν poeta repraesentat imagine: *vexere te tigres tuae*, quod docte et ornate dictum pro, curru tigribus juncto coelum invectus es. Ita enim orationem supplendam esse, praeter vocc. *merentem* et *pater*, ipsa contextus ratio manifesto docet. Alii potentiam Bacchi divinam omnino in domandis curruique junctis tigribus spectari, itaque a poeta declarari statuunt. Sed hoc figmentum tantummodo spectat ad domitam triumphatamque Indiam, declarandamque mansuetiorem, monstrata vini cultura, vivendi rationem. A Romano autem populo, idque a pompa triumphali, vel, quod vero multo videtur similius, circensi, in qua Impp. consecratorum statuae thensis circumferrentur, ductam esse hujus apotheoseos ideam vix dubitem. Vide Not. sequ. *Ariadnen* Bacchi *lyncibus in coelum vectam* similiter fingit Prop. III. 17. 8. Apud Graecos novus coeles in coelum atque concilium deorum a deo quopiam introducitur, quae antiquissima fere ἀποθεώσεως species est. Sic Mercurius Bacchum (Pausan. III. 18), Bacchus Pana, Silenum, et Satyros (Lucian. Concil. DD. 4. T. III. p. 429.) Minerva Herculem (Stat. Theb. VIII. 515.) cf. Pausan. l. l. et Heyn. *Antiqu. Aufss.* P. I. p. 29.) Apollo Helenam (Eurip. Orest. 1685.), ad deos transferunt. — *merentem* promeritum divinos honores. Militantem exponunt, et de expeditione ejus Indica cogitant Scholl. male. *Patrem* adpellat Bacchum, tamquam deum; res notissima. Tigres *jugum*

trahunt, graphice prorsus, pro, currum trahunt *collo* s. cervice jugo alligata. — *indocili*, ob feritatem natura insitam, quae perdomanda Baccho erat. Cultiorem vitae rationem, quam propter coelo allegi meruit Bacchus, ita declarari, in promtu est videre. — 15. 16. Romulus, *Quirini* adpellatione inter deos Romanorum ἐγχωρίους s. indigetes receptus, Martis *equis* curru, (pessime nonnulli: patria s. bellica virtute) *Acheronta fugit*; superos petiit, Ἀχέροντα πολύστονον οὐκ ἐπέρασεν Theocr. XVII. 47. laudante Boettig. Add. Consol. ad Liv. 241. *Ut Remus Iliades, et frater, conditor urbis*, effugerent *aliqua* stagna profunda *via*. In repraesentanda Romuli apotheosi a vulgari narratione discessionem facere poetam equidem vix putem; nam quum totam persequi satis alienum ab h. l. fuisset, decerpsit inde, quibus ad rem, quam vellet, exprimendam opus haberet. Nam sublimem eum coorta subito tempestate, (quo fere modo Herculis apotheosin vetus poeta, quem Appollod. II. 7. (unde sua habet Zenob. apud Schott. p. 11.) sequitur celebraverat) raptum (Liv. I. 16.) idque a Marte patre, communis opinio erat. Ovid. Met. XIV. 816. *Adnuit Omnipotens, et nubibus aëra caecis occuluit, tonitruque et fulgure terruit urbem.* Tum *conscendit equos Gradivus — pronumque per aëra lapsus constitit in summo nemorosi colle Palati, reddentemque suo jam regia jura Quiriti abstulit Iliadem.* Idem brevius Fast. II. 496. *Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus aether: Fit fuga, rex patriis astra petebat equis.* Romuli consecrationem exhibet diptychon eburneum, in quo idem quadrigas agens conspicitur, apud Buonarott. in Osserv. sopra alcuni frammenti di vasi antichi p. 236. Atque ita saepius apotheosis in antiquis monimentis expressa conspicitur, ita quidem, ut equis elephanti interdum substituantur; quod ipsum argumento est, a pompa Circensi maxime hunc consecrationis ritum repeti debere.

v. 17. Junone tandem placata, s. in apotheosin Romuli consentiente. Hanc sententiam, in qua subsistit, et quacum totum carmen finit, vide quomodo amplificaverit atque exornaverit poeta. Conf. Argum. — *Gratum elocuta cons. I. Divis*, ubi Juno in Deorum consessu hanc orationem habuisset, *gratam* auditu ceteris Diis, quoniam Junonem haud amplius suade Romulo inter Deos recipiendo consilia moraturam in-

telligerent. Praeclare autem statim initium orationis Junonem muliebri exsultantem prodit impotentia, qua suam Trojae demum excidio iram exsatiatam manifestat. Paullo impeditiorem orationis structuram ita explica: *Fatalis incestusque judex et mulier peregrina Ilion in pulv. vertit damnatum mihi et castae Min. ex quo destituit.* cet. — *Ilii* nomen cum vi repetiit poeta, (fere ut Eurip. Or. 1381.) *Ilion*, illud splendidum atque opulentum *Ilion* corruit; inest adeo amara pristinae ejus urbis potentiae recordatio, cum intimo voluptatis ex eadem subversa sensu. Atque haec irrisio majorem vim habet, quam si suppleas, I. illud invisum I. cecidit — *Judex* cum delectu pro inviso nomine Paridis, cujus iniquum de forma sua judicium alte Junonis animo insideret. *Fatalis* in gentis suae exitium natus, perniciem patriae adferens, Δύσπαρις, Αἰνόπαρις. Seneca Agam. 730. *fatalis sedet inter potentes arbiter pastor deos.* — *incestus*, gravius quam, adulter, raptor Helenae. — 20. *mulier peregrina*, γυνὴ βάρβαρος, ξένη, per contemtum Helena dicta (ut Andromache captiva apud Eurip. Andr. 650. 671.) quae parentes ac conjugem Menelaum deseruit, (λειπoπάτωρ, λειπόγαμος Eurip. Or. 1305.) Paridem secuta. — *in pulv. vertit*, in cinerem redegit, evertit. Eurip. Andr. 113. ἔλειπον ἄστυ — ἐν κονίαις. Eidem Troja subversa Ἰδαία κόνις dicta Hec. 325. Ceterum Paridi et Helenae Juno Trojae excidium attribuit, quo clarius pateat, suamet ipsorum culpa ac flagitiis Trojanos periisse, majorum suorum fraude poenam istam dudum promeritos. Eadem ratione Paris ἀρχέκακος dictus Colutho 385. Cf. Virg. Aen. X. 90. De Helena Pallad. XII. 3. ἐκ γὰρ τῆς Ἑλένης μοιχευσαμένης φόνος ἀνδρῶν. — *Damnatum* poenae, exitio addictum; κατάδικον (ita *damnata bello Pallene* Val. Fl. II. 16. *damnatus taurus* id. I. 787. etiam Virg. Aen. IV. 699. *caput damnaverat Orco*, et passim alibi) quod delendum statueratis et cujus sumendi supplicii curam *mihi* et *Minervae* injunxeratis, *ex quo*, postquam Laomedon *destituit*, fraudavit Neptunum et Apollinem *mercede* pro muris instaurandis *pacta*, pacto non stetit; ob Laomedontis perjurium. Μισθὸν generatim Homerus Il. φ. 442.) posuit in tradenda hac fabula; nata inde in constituenda mercede narrationis diversitas. Vid Hygin. f. 89. et ibi Intpp. Burm. ad Ovid. Met. XI. 204. — 14. *cum pop. et*

duce fraud., cum universa gente Trojana. Nam perjurii infamia universae deinceps genti, ejusque regibus inhaerebat. Adposite laudant Virg. Aen. IV. 141.

v. 25. Non amplius *splendet*, cultu regali ac forma conspicuus est, comit, jactat sese *Lacaenae adulterae*, Helenae; vel inversa ratione: Helena haud amplius cultum Paridis et formam miratur, pulchritudinis ejus splendore capitur, ut IV. 9. 13. *Non sola comtos arsit adulteri crines* cet. — Hospes *famosus* Paris dicitur non tam ob laesum hospitium, quam adulterio: Ita *famosos labores* dixit Noster III. 15. 3. *infamem Helenam* V. 17. 42. *famosam tabernam* Virg. Cop. 3. *corruptelis adulteriisque famosum* Sueton. Claud. 16. — 26. *nec Priami domus . . . refringit*, quam ornate pro: Hector, e domo s. gente Priami, non amplius sustentat, defendit Illium, occubuit. Minus recte alii sententiam inde cogunt; non amplius esse Trojam, quam jam ante dederat poeta. *Priami domus*, familia gens *perjura*, perfida, ob Laomedontem; *mendax Dardaniae domus* eandem ob causam dicta Senec. Agam. 863. — *refringit*, exquisite pro, retundit, reprimit cum clade Achivorum *pugnacium* fortiter oppugnantium aciem, sustentat Trojam. *Aquilonem Zephyris refractum* e Nostri imitatione dixit Stat. Silv. IV. 5. 8. Eadem prorsus virtute Rhoetus *retortus* leonis unguibus dicitur II. 19. 23. — *Hectoreis opibus*, ope, fortitudine Hectoris, noto graecismo.

v. 29. Bellum adversus Trojanos *ductum*, productum in decem annos *nostris seditionibus*, dissidiis, dum alii nostrum pro Trojanis, alii pro Achivis staremus, tandem *resedit*, compositum, finitum est; imagine a subsidentibus maris procellis desumta. Ita bellum exoriens *tumescere* dictum Virg. Ge. I. 465. et Nilus *undans bello ac magnus fluens* h. bello tumidus eidem Ge. III. κυμα μάχης Tyrt. III. 22. ubi vid. Klotz. Inversa ratione mari procelloso *seditio* tributa a Stat. Theb. IX. 142. — *Protenus*, inde a Troja excisa, *Marti* pro Romulo filio deprecanti in ejus adeo gratiam *iras graves*, funestas reliquiis Trojanorum, Romanis, et *invisum nepotem*, odium erga nepotem, Romulum *redonabo*, donabo, missum faciam, deponam; exquisito hujus verbi usu. Ita Livius apud Sil. XV. 603. *patriae donaverat iram*, h. reip. causa injurias sibi factas haud ultus est. Plura congessit Ruperti ad Sil. I. 487. Dicitur

autem donare aliquid alicui, h. in alterius gratiam remittere aliquid, ut Cic. ad Div. V. 4. *inimicitias reip. donare*, et donare aliquem alicui, h. in alterius gratiam alicui ignoscere. Justin. XXXII. 2. 5. *ut adpareret*, — *donatum filio patrem*, h. filium Demetrium Philippo patri veniam obtinuisse. — 32. *Troïa sacerdos*, Ilia, sed alterum cum vi, ut causa statim, ob quam nepos Junoni invisus esset, adpareat.

35. *Ego patiar*, graviter et cum dignitate, pro tenui, ego haud amplius repugnabo, intercedam, quo minus inter deos Romulus recipiatur. Postremum exquisita copia extulit poeta. *Sedes* Deorum *lucidas*, δώματα μαρμαίροντα, αἰγλήεντα, Olympum. — *succos nectaris*, nectar *ducere*, ἕλκειν, bibere Vid. ad I. 17. 22. Adde Eurip. Cycl. 416. ἔσπασεν τ' ἄμυστιν ἑλκύσας. De nectare immortalitatem conciliante vid. ad v. 12. Adde Apulei. p. 426. Oud — 35. *et adscribi* referri inter *ordines quietos Deorum*, docte pro, in ordinem Deorum quietorum. A populo Romano ductum esse orationis colorem, facile est videre. Eodem passim Lucianus usus est, veluti in Conc. DD. T. III. p. 529. ubi a Momo παρεγγεγραμμένοι Dii quidam, h. qui clam in tabulas censuales relati sunt, proferuntur. Adde Apul. p. 425. — Dii *quieti*, securum agentes aevum, (I. Serm. V. 101.) beati, μάκαρες, ex antiqua de Deorum vita notione. Unde ἀφρόντιδες εὐωχεῖσθαι: dicuntur Lucian. DD. Deor. XXIV. T. I. p. 276. Eadem ἡσυχίας notio est apud Pind. Nem. I. 107. de Hercule inter Deos relato.

v. 37. Servatur a poeta τὸ πρέπον in Junonis persona etiam hactenus, quod Romanis imperium orbis terrarum haud invideat, dum ne Trojam iterum exstruant; quae sola ipsi irarum causa exstiterat. *Dummodo longus pontus*, vastum mare, dum mare longe *saeviat*, quam ornate pro, interjectum sit, disjungat Romam ab Ilio; et hoc pro: dum ne terram hanc incolant, Iliumque instaurent Romani. — *Exsules*, Romani, ab Aenea profugo oriundi; at quam invidiosum alterum! — *in qualibet* terrarum *parte regnanto*, regnent, ad quasvis terrarum oras imperii sui fines proferant, ubicunque imperent. — *beati* hoc ipso, quod late regnent. Acumen quaesivit poeta in vv. *exsules* et *beati*.

40. Dum Troja mera vastities sit. Adprime convenit Junonis commotiori animo haec ejusdem fere sententiae, in ma-

jus tantum auctae, repetitio. Absoluta erat imago ita enuntiata: Dum armentum pascat in solo Trojano, dum ferae ibi habitent; qua quidem solitudo ac vastitas terrae maxima poetis designatur. Alpheus. IX. 5. (Anal. Br. II. 130) ἀλλ' ἡ μὲν κρείσσων ἐστὶ πόλις· αἱ δὲ πεσοῦσαι δείκνυσθ' εὐμύκων αὔλια βουκολίων. Antonius (Anal. Br. II. 240). de Mycenis: αἰπολίοισιν ἔναυλον ἐρημαίοισιν ἀνεῖμαι. De iisdem Munatius v. 5. (A. B. I. l.) μηλόβοτος κεῖμαι καὶ βούνομος ἔνθα Μυκήνη. Isocrates in Plataico p. 302. C. τήν τε πόλιν ἐξανδραποδισθῆναι, καὶ τὴν χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον, laudante Valken. ad Eurip. Hippol. 683. Trojani agri vastitatem ita describit Lucan. IX. 966. *Jam silvae steriles et putres robore trunci Assaraci pressere domos, et templa deorum jam lassa* (qui etsi alte sese terrae immiserint, vix tamen templorum ruinas attigere) *radice tenent*; *ac tota teguntur Pergama dumetis: etiam periere ruinae.* Jam pro Trojae urbis ruinis, quod generalius erat, speciatim *Priami Paridisque busta*, tumulos poeta magna cum ἐνεργείᾳ commemorat; quibus armenta *insultant* ἐπιθρώσκουσι, in quo summa contumeliae atque irrisionis significatio est. Colorem poeta duxisse videtur ex Hom. Il. δ. 177. τύμβῳ ἐπιθρώσκων Μενελάου κυδαλίμοιο. Apte quoque Lambin. laudat Eurip. Electr. 327. de Aegistho: ἐνθρώσκει τάφῳ sc. Agamemnonis. Adde Nostri V. 16. 19. *Barbarus heu cineres insistet victor.* — *ferae catulos* ibi *celent*, parturiant, latibulum ferarum Trojae solum sit. — *inultae*, ita ut nemo exsistat, qui injuriam, manibus Trojanorum illatam, ulciscatur, eos proturbet; adeoque secure, tuto, utpote in vastissima solitudine.

v. 42. Resp. Romana florentissimo statu gaudeat. Exquisite poeta *Capitolium* in specie memorat; nam illud aeternitatis imperii sui pignus haberi volebant Romani. Cf. I. 37. 6. *stet fulgens*, inconcussum, statu integro. Ad gloriam autem τὸ *fulgens*, et, qua ista nititur, potentiam Romanam potius retulerim, quam ad templa et monimenta Capitolii splendida; in quo nulla vis est h. l. — 43. Roma hostes vel ferocissimos domet, sibique subjiciat. Parthos in specie poeta ponit, tanquam infensissimos Romano nomini atque gravissimos hostes, et quo insignitior Augusti victoria esset, de gente ista reportata, Junonis praedictione. — Roma *ferox* bello, bellicosa, vel si ad totam ῥῆσιν trahas, successu, victoriis elata, superba, utrum-

que satis commode. — *Medis* s. Parthis *triumphatis possit dare jura*, docte pro, triumphet de Parthis, iisque det jura, leges victoris jure imponat, in provinciam Romanam redigat. Si *possit* omnino vim habet, explicem: Resp. Romana eo usque crescat, tantos auctus habeat, ut Parthos terrorem nominis Romani, subjugare valeat. Sed saepissime παρέλκει apud Augustei seculi poetas. Exempla pete a Burm. ad Prop. I. 1. 15.

45 — 48. *Horrenda* terribilis gentibus facta magnitudine sua, quam splendide pro tenui: illa. Nisi potius praestat: Illa *horrenda extendat*, h. horribilis fiat, terribilis sit gentibus *extendendo late*, dilatando atque proferendo *nomen* suum, imperii fines *ad ultimas* extremas terrarum — 46. *qua medius liquor . . . . rigat arva Nilus*, versus Occidentem et Orientem. Utrumque designavit h. l. poeta per Gades et Nilum Alias (ut IV. 15. 16.) simpliciter est, ab ortu solis ad usque occasum. *Qua* parte *liquor*, mare, πόντια νοτίς, (veluti Eurip. Hec. 1250.) *medium secernit*, medium est (unde Mediterraneum dictum) interfluit, disjungit *Europen ab Afro*, Africa h. ad fretum usque Gaditanum. De Hesperia, terrarum Romanis tum cognitarum versus Occidentem *ultima* (I. 36. 4.) res satis nota. — 48. Ultimam Orientis plagam Aegyptum ponit poeta, eamque a Nilo designat, qui *tumidus*, exundans, exuberans, *rigat* atque fecundat *arva*; res notissima. Ceterum praeclaro artificio poeta hac extremarum terrae partium, Hispaniae et Aegypti, descriptione laudes ac victorias Augusti intexuit: nam Cantabriam et Aegyptum ab eo perdomitam subjugatamque ita declarari vel hebetiores sentient.

49. — 52. Augustam speciem habet haecce priscae Romanorum frugalitatis atque paupertatis commendatio, cum quod gravis ei e Junonis persona accedat auctoritas, tum maxime quod istis potissimum artibus tanquam fundamento reip. Romanae splendorem atque magnitudinem inniti pronunciet. Jam nexus sententiarum atque ordo hic est; *Roma* quaquaversum extendat imperium suum, consecutura hoc, enisura in tantum fastigium, dum *fortior* erit, fortem et excelsum animum ostendendo, dum sustinebit *spernere*, dum alto animo *spernat* potius, contemnat *aurum*, divitias, quam *cogat*, congerat, coacervet; paupertatem, spretis divitiis, amplexa. — *irrepertum*, quod reperire haud laborant, quod non rimantur, quod

terra abscondi haud gravantur; et *sic*, *cum terra celat*, occultat, multo *melius situm*, quippe ab usu hominum ita remotum, quod adeo haud erui debuerat, ob innumera, quae inde in genus humanum redundarunt, mala atque calamitates. Sil. I. 231. *scelerum causas operit Deus.* Senec. ep. 94. *Aurum et argentum et propter ista nunquam pacem agens ferrum, quasi male nobis committerentur, abscondit.* Eadem ideo *illis, in quibus jacuere tenebris dignissima* idem vocat Ep. 92. Conf. eundem de Benef. VII. 10. Boeth. Cons. Philos. II. metr. V. *Heus primus quis fuit ille, auri qui pondera tecti gemmasque latere volentes pretiosa pericula fodit.* — 51. 52. Difficilior paullo horum vv. sententia. Nos eam cum antecedentibus ita connectendam statuimus: Dum Roma aurum contemnit, quod melius in terra lateret, quod adeo maximo humani generis damno effoditur; quandoquidem teterrimum inde enatum est avaritiae vitium, scelerum omnium proventu feracissimum. Nullum enim tam immane facinus est, ad quod perpetrandum non impellat avaritia, nihil tam sacrum, quod non sacrilega manu contingat, atque exspoliet. Atque hac speciali imagine utpote ἐναργεστάτῃ, inclusisse atque absolvisse putandus est poeta sententiam: Aurum esse avaritiae, sicque omnium scelerum parentem fecundissimam. Igitur *dextra* avari, avarus *rapit* convertit *in usus humanos* h. suos, profanat, *omne sacrum*, vel sanctissima quaevis, h. vel sacrilegio sese polluit, dum cupiditates suas expleat. *Humanos* s. profanos usus dixit, cum vi, et ex oppositione τοῦ *sacrum.* Simillime, si quid video, Euripid. in Danaë (apud Stob. flor. Grot. p. 91.) de divite avaro, suum ipsius defraudante genium: ὅστις δόμους μὲν ἥδεται πληρούμενος, γαστρὸς δ' ἀφαιρῶν σῶμα δύστηνον κακοῖ, τοῦτον νομίζω καὶ θεῶν συλᾷν βρέτη, τοῖς φιλτάτοις τε πολέμιον πεφυκέναι.

53. — 60. Romana caput orbis terrarum sit, ita tamen, ut Troja ne iterum exstruatur. Hoc docte atque ornate admodum expressum dedit poeta. *Quicunque* quantumvis remotus *terminus obstitit*, objicitur, praetenditur, est *mundo*, orbi terrarum, utcunque dissiti sint terrarum fines. Terminus *obstat*, tanquam obex, qui impedit, quo minus ulterius pervenire liceat; docta admodum ratione, quam parum cepere intpp. Cruq. *obstitit* interpretatur, sese opposuerit, restiterit Romanis. Ges-

nerus autem: *Quic. term.* orbis terrarum *obstitit*, i. e. objectus e regione atque adeo subjectus est *mundo*, i. coelo, et cuicunque ejus parti. Neutrum satis commode. 54. *h. tangat* attingat *armis*, ad hunc arma proferat, eo usque imperium extendat — *visere gestiens* . . . *rores* et vel ad inhabitabiles terrae plagas bellando perveniat, eo usque victorias continuet. Tò *gestiens* praeclare et bellicosum Romanorum animum et vero etiam difficultates ad ista loca penetrandi designat. 55. Eam terrae plagam *visendi*, adeundi cupida, qua *ignes* solis *debacchentur*, insano more saeviant, furant, qua sol ferventissimus est, Zonam torridam. *Bacchari*, *furere*, *insanire*, verba solennia de rebus, quae modum excedunt, maxime physicis. Virg. Cir. 480. *Afer et hiberno bacchatur in aequore turbo.* Plura vide ad I. 25. 11. Auxit hanc vim poeta addito *de*, tanquam sol istis in locis omnem suum furorem promat atque deponat. — 56. *qua* perpetuae *nebulae*, caligo densa, spissus aër et *rores pluvii*, pluviae, imbres debacchantur, nimii sunt, h. utramque Zonam frigidam. Nebularum autem imbriumque solennis mentio in earundem descriptione. Virg. Ge. I. 235. *circum extremae dextra laevaque trahuntur caerulea glacie concretae* atque imbribus atris. Tibull. IV. 1. 154. *duae gelido vastantur frigore semper, illic et densa tellus absconditur umbra* Cf. I. 22. 17. — 24.

v. 57 — 60. Hanc tamen ipsis fatorum legem *dico*, constituo hac tantum lege *fata*, quae de immenso Romanorum imperio portendi, rata esse jubeo. *Bellicosis*, cum vi, quatenus armis sibi imperium istud quaesituri sint. — *nimium pii*, nimia in metropolin pietate ducti. Metropolin enim, eodem quo liberi parentes adfectu colere, opibus juvare, attritam deletamve instaurare pro necessitudine, quae ipsis intercedebat, coloniae tenebantur. Sacro id *pietatis* nomine sancitum erat. Vide omnino Heyn. Prolus. II. de veterum coloniarum jure atque causis, insertam ejusdem Opusc. T. I, p. 312. et Boettig. h. l. — 59. *Rebus* nimium (hoc enim repetendum) *fidentes*, potentia freti, opibus confisi, rerum successu elati. — *ne velint*, ne in animum inducant, ne lubido ipsos incessat, *tecta Trojae*, Trojam *avitam*, μητρόπολιν suam, *reparare*, instaurare ἀνοικίζειν.

v. 61. 62. Sententia satis perspicua: Troja instaurata iterum exscindetur; sed oratio paullo impeditior. Sunt, qui *fortu-*

nam Trojae pro Troja dictum accipiant, et Tr. *interabitur*, simpliciter exponant, iterum vastabitur; quae sane durissima videtur ratio. Equidem *Trojae renascentem fortunam* doctiore junctura positum existimem pro; *Trojae renascentis fortuna*, h. fatum, sors Trojae, ubi forte *renascatur*, resurgat, iterum exstruatur, *iterabitur*, eadem erit, idem fatum Troja, quod olim habuit, experietur, idque *tristi clade* funestissimo interitu; quae verba augendae rei et perspicuitatis causa adjecta a poeta. *Troja renascens*, *resurgens* alias poetis de Roma a Trojanis condita frequentatur. Vid. Burm. ad Prop. IV. 1. 47. — *alite lugubri*, infausto augurio, pessimis auspiciis. Auspicato enim coloniae deducebantur urbesque condebantur (cf. IV. 6. 24.) ut notissimum. — 63. 64. Novos iterum me adversus Trojam hostes parante. Sed quanto augustior imago, qua ipsa Juno hostilium sese catervarum ducem profitetur! — *victrices*, quippe a Junone, at quali dea, ductas. Hinc, quanta ἐνάργεια in vv. *Conjuge me Jovis et sorore*, insit, facile perspicitur. Notissima Virgilii: *Ast ego quae Divûm incedo regina Jovisque et soror et conjux*, cet. Cf. eundem Aen. VII. 308.

v. 65 — 68. Mira δεινότης est in *ter-ter*; pro vulgari: quoties resurgat, toties pereat. — *resurgat murus auctore Phoebo*, ab Apolline iterum exstruatur, isque *aëneus*, validissimus, si Troja firmissimo munimento circumdata restituatur. Aere aut ferro eductos muros pro solidissimis efferebat antiquus sermo. Ita *Cyclopum educta caminis moenia* Virgil. Aen. VI. 630. ubi vide Heyn. Thirynthem a Cyclopibus munitam plures tradidere, Vid. Strabo VIII. p. 572. Apollod. II. 2. — 66. *pereat excisus*, dejiciatur, excidatur cum tota urbe. Seqq. *ter uxor . . . ploret*, egregie speciali imagine captam dirutamque urbem repraesentant: *Uxor capta*, in servitutem abducta *plorat* luget *virum*, maritum et *pueros* insolentia victoris occisos. Ita gravius erit, quam si explices: filios in pugna occisos.

v. 69. Tandem cohibet atque in gyrum suum Musam revocat poeta, paullo liberius evagatam, Junonis indignatione effervescente penitusque exaestuante. Idem plane exitus est II. 1. 37. *Haec* gravioris argumenti, parum apta sunt *lyrae* meae *jocosae*, jocis, lusibus, referendis tantum accommodatae; quam constanter de sua poesi lyrica modestiam Noster praefert. Cf. ad II. 1. 37. — 70. *Quo tendis*, evagaris, fines tuos excedendo,

sublimia tractando. — *Desine* noli *pervicax*, pervicaci ausu, arroganter *referre*, ne arroges, sumas tibi referre *serm. Deorum*. Junonis, atque ita *magna*, quae majoris sunt moliminis, quae vires tuas excedunt, quibus par non es, *tenuare*, extenuare imminuere, deprimere *modis parvis*, tenuioribus, quam argumenti dignitas ac gravitas postulat. Nam sonus parvus seu tenuis, de argumento tenui, carmine humili; ut saepius poetae. Prop. IV. 1. 58. *Hei mihi quod nostro parvus in ore sonus.* Ceterum in prosa oratio ita connecti debuerat: Desine magna modis parvis tenuare; referendo cet.



ARGUMENTUM IV.



In hujus quoque carminis describendo argumento, legitimoque partium ejus explorando connubio, dici vix potest, quantum interpretes turbarum dederint. Quarum equidem dispellendarum diversarumque opinionum cum lectoris fastidio exagitandarum parum curiosi de summa carminis, ejusque vere lyrica tractatione paullo adcuratius dispiciamus. Hoc igitur agamus. Ac primum quidem singularem hoc carmen ingressum habet; poeta enim, sublimium sensuum ac phantasmatum plenus, Musam invocat, quae illa evolvat, sibique praesto sit. Quumque hujus praesentissimam opem experiretur, animum ejus, vividissimo hujus rei sensu fortiter perculsum, pristinorum, quae a prima inde aetate cumulate in eum Musae contulerint, beneficiorum subit recordatio, quibus recensendis gratissimus immoratur, indeque sese, Musis quippe addictum, earumdem praesidio ubivis locorum tuto ver-

saturam gloriabundus profitetur. Scilicet exquisita hac sententiarum conversione poeta suo ipsius exemplo communitam comprobatamque gnomen voluit, optime cum eo agi, qui Musis sese in clientelam atque fidem commendaverit: qua quidem satis complanata via erat, ad primarium carminis argumentum, quo Augustum, finitis bellis civilibus ad Musarum castra transgressum, mitem ac lenem principem Romanis poeta exhibere atque commendare voluit. Musis enim deberi, quod Augustus imperium et acceperit et tenuerit, quae quippe talibus animum ejus praeceptis imbuerint, quibus illud optime fundatum sit atque indies corroboretur. Nimirum e poetarum, maxime graecorum, Augustum. quem multum otii iis impendisse satis constat, lectione edoctum poeta refert, illud demum stabile imperium, eam firmam potentiam esse, quae, lenitati innixa, consilio et ratione administretur; violentia contra ac temeritate maximas vires effundi. Atque hanc quidem carminis partem, quae in laudando Augusti imperio occupatur, (inde a v. 37.) exquisita sententiarum conversione, phantasmatumque vigore ita instruxit illuminavitque poeta, ut facile felicissimum Pindari aemulatorem agnoscas. Omnino hoc carmen sedulo excutiant ii, quibus lyricae poeseos parum explorata ratio est.

Adnotationes.

v. 1. Solennis Nostro Musarum invocatio in argumento gravi ac sublimi. Vid. I. 12. et ejusd. libri c. 24. Neque dubitari potest, quin graecum exemplum ante oculos habuerit. Laudant Alcmanis fr. apud Hephaest. p. 22. Μῶσ' ἄγε Καλλιόπα, θύγατερ

Διὸς, ἀρχ' ἐρατῶν ἐπέων, ἐπὶ δ' ἵμερον ὕμνῳ καί χαρίεντα τίθει χορόν. Item Stesichori apud Ursin. p. 79. *Δεῦρ' ἄγε Καλλιόπεια λιγεία.* *Calliopen* cum dilectu huc advocari, quandoquidem ei Musarum principatus deferatur, (Hesiod. Theog. 79. *Καλλιόπη θ' ἡ γὰρ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων*) quod volunt plerique intpp., vix equidem putem. Nam promiscue fere Nostro Musarum nomina poni, patet vel ex I. 12. 2. quod carmen argumenti dignitate haud nostro inferius est. *Coelo* eam devocat; quod et ipsa Musarum sedes est Olympus, unde Homero Il. β. 491. *Ὀλυμπιάδες* audiunt. Laudant et Ennianum versum: *Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum.* Sed et in hoc quosdam argutari video, tanquam magis splendide de coelo vocentur, quam de Parnaso aut alio monte iis sacro. Ita tamen Clio poeta per Heliconа, Pindum et Haemum quaerit I. 12. 5. ut alia loca taceam. Insulse autem antiqui interpretes huic cum superiori carmine nexum intercedere commenti sunt, ita quidem, ut Musam *coelo descendere*, h. „de Diis loqui desinere, et a Junonis sermonibus, quos in coelo habuisse eam ostenderat, transire" jubeat poeta. — *Regina ἄνασσα*, communi Dearum epitheto; non autem, quod Gesn. et alii statuunt, quod reges juxta Hesiod. l. l. comitetur. Hoc enim munus habet, tanquam heroici carminis praeses. — *Dic melos*, cane carmen, *longum* longe duraturum, perenne; quod quidem nihil arrogantiae habet, cum illud carmen a Calliope dici cupiat. *Tibiam* et *citharam* cumulat poeta (ut I. 1. 32. et I. 32. 1.) quoniam ad utramque carmina lyrica canebantur. — 3. *voce acuta ἐπὶ λιγυρῇ, λιγείῃ*, clara, arguta; unde et *λιγαίνειν* Anacr. XXX. 3. — *fidibus citharaque*, pro, fidibus citharae; nam alterum declarative subjicitur, familiari Nostro ratione. Alii fides lyrae intelligant, diversas adeo a cithara; parum docte. — *Phoebi*, Conf. I. 21. 12. et 32. 13.

v. 5 — 8. Voti compos factus sese in Musarum lucos abreptum ibique consortio concentuque Dearum suavissimo frui sibi adeo persuasum habet poeta *εὐφαντασίωτος*, ut et alios eadem videre atque audire credat. Unde: *auditis* sc. Musarum cantum? Alii adventantem cum cantu Calliopen, quae adeo poetae invocanti praesto sit, significari autumant, nescio quam commode; quum poeta ipse statim in loca, Musis frequentari solita, sese abreptum fingat. Pessime autem post Acronem quidam ad Calliopem et ceteras Musas referunt: „auditisne me vocantem?" —

an enthusiasmo correptum deludit vana imago? an decipior falsa specie? *Insania* praeclare de animo sublimium phantasmatum vi et copia conturbato, qui excelsiore spiritu incensus, expulso humano sensu, (Claudian. R. P. I. 5.) furentis instar, extra se rapitur. Jam *amabilem*, dulcem, jucundam, istam insaniam profitentur poetae, cum quod divinitus ea adflari credatur (II. 19. 6. *plenoque Bacchi pectore* turbidum laetatur) tum quod homines Deorum consortio admoveat, ut h. l. Cf. I. 1. 30. — *Videor* mihi *errare per lucos*, in Musarum nemora abreptus, ibique *audire* Musas canentes. Nemorum autem Musis per Heliconem et cetera loca, ipsis consecratorum satis frequens apud poetas mentio, cujus quidem figmenti origo a secessu, ut ita dicam, poetico videtur repetenda; quo magis mireris, Elysii lucos a quibusdam hic intelligi — *pios*, profanis inaccessos, quos pios tantum vates intrare licet; vel simpliciter sacros, Musis ἀνειμένους. Ita *sacras* earundem *silvas* vocat Sil. XIV. 29. — *quos aquae amoenae subeunt*, intrant, praeterfluunt, et *aurae amoenae*, lenes, Zephyri mulcent, perflant. Ita secessum suum Tiburtinum adumbrat Noster IV. 2. 10. 11. Ceterum ad hunc Nostri locum respexisse putandus est auctor dial. de caus. corruptae eloqu. c. 12. *Nemora vero et luci, et secretum ipsum tantam mihi offerunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu — componuntur; sed secedit animus in loca pura atque innocentia; fruiturque sedibus sacris.*

v. 9. Praeclaro artificio argumenti tractatio ita exordio adnectitur, ut transitus ludibundum potius poetam quam in certo quodam argumento occupatum defixumque prodere videatur. Quum enim Musas sibi invocanti praesto esse intelligeret, vivide hujus rei sensu percussus inflammatusque pristinorum, quae sibi ab iisdem inde a tenerrima aetate obtigerint, beneficiorum memoriam grata mente recolit, atque ita suo ipsius exemplo sententiam, quae hujus carminis primaria est, luculentissime comprobat, illos, qui Musarum sese addixerint patrocinio, imperturbata securitate frui. Docte autem poeta sententiam: se a pueritia Musis carum fuisse, subjecta statim narratione exponit atque illustrat. Ordinem verborum hunc tene: *Me puerum* aliquando *in Vulture Apvulo ludo somnoque fatigatum fabulosae palumbes n. fr. texere. — Palumbes fabulosae,* quarum plura in fabulis ministeria occurrunt, quae narrationi mirationem faciunt, pro-

digiosa; adposito h. l. epitheto, vid. ad I. 22. 7. — *Vultur* s. Vulturnus, mons in finibus Apuliae, cujus jugum in Lucaniam porrigebatur. In hoc igitur, quod *extra limen*, fines *Apuliae*, *altricis suae*, h. quae patria ipsi esset, protenditur, ferocioribus animalibus infestum (vid. ad v. 18.) Horatium puerum evagatum cogita. Vide Obss. — 11. *somno*, cui diu reluctatus fuerat, *fatigatum*; oppressum, victum. Notissima Homeri (Il. κ. 98.) καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ. Ita Hercules ὕπνῳ βεβαρημένος, *somno gravatus* (Virg. Aen. VI. 520.) audit in epigr. ἀδεσπ. 285. (Anal. Br. III. 210.) — 12. *fronde nova* recentibus lauri et myrti ramis, vel omnino τὸ τερατῶδες istius rei τῷ *nova* indigitavit poeta; neque hoc absonum judicabis, si cogites, ramos istos aliunde fuisse adlatos. Nam myrtetis montem istum, qui ursos aleret, consitum fuisse, nemo facile in animum induxerit. Atque hoc illud erat, quod maxime stuperent vicini.

v. 13 — 16. Ad fidem rei faciendam, haec adjecta existima. Jam quod generatim erat: quod mirum videretur Vulturni adcolis, pro hoc, quo res vero esset propior, speciatim percensuit, qui illud viderint, regionis istius incolas. *Acherontia*, *Bantia* et *Forentum*, oppida in confinio Apuliae et Lucaniae sita; unde alii huic, alteri regioni alii ea adsignant. *Nidum Acherontiam* vocat, nidi instar in declivi montis (forte ipsius Vulturni) haerentem, excelsam; nihil amplius. *Ithacam in asperrimis saxulis adfixum* nidulum eadem ratione vocat Cic. Orat. I. 44. — For. *humile*, depressum, in valle situm.

v. 17. Mirabantur, *ut* quomodo in regione, saevissimis feris infestata, tam confidenter somno indulgerem. — *corpore tuto*, tutus, nihil timens *a viperis et ursis*. — *atris* venenatis. Perpetuum hoc veneni epitheton. — 18. *Ursos* Lucaniae tribuit etiam Ovid. Halieut. 57. *Foedus Lucanis provolvitur ursus ab antris*; ut vel inde colligas, Vulturnum in Lucanos exiisse. — *premerer*, multo significantius, quam tegerer, magnum enim frondium in eum *collatarum* s. congestarum copiam animo subjicit. Factum autem hoc in omen futuri poetae, uti optime Scholl. expediunt. Ita recens natum Pindarum exhibuerat pictura *lauri ac myrti ramis incubantem*, quam describit Philostr. Icon. II. 12. cujusque ideam forte ex ipsius Pindari carminibus, unde etiam Horatius, Pindari aemulator, ad se traduceret, depromtam acute conjectabat Boettig. — *Non sine Diis*, οὐκ ἀθεεὶ (v. c. Od. σ. 352.) Musarum praesidio *animosus*, fretus, audax.

v. 21. In vestra tutela sum, ubicunque degam. Speciatim pro hoc poeta loca, ipsi frequentari solita, adnumerat. *Vester tollor*, docta brevitate pro, vestrae tutelae confido, vos me tutamini, dum proficiscor, eo, peto *Sabinos*, agrum meum in Sabinis. Pro hoc magis proprie est *tollor*, ad naturam Sabinae regionis, quae montosa est (Strabo V. p. 348. C. unde et *arduo* S. h. l.) et Roma illuc proficiscentibus per adclivia enitendum erat. — *seu mihi placuit*, lubet proficisci, seu petam. — 23. *Praeneste*, Latii oppidum, in monte situm. (*altum* inde Virg. Aen. VII. 682. cf. Strabo V. p. 365.) quo aestate secedere solebant Romani, frigoris captandi gratia — 24 *Tibur supinum* in declivi collis parte positum. Cf. infra 29. 7. et de Tiburtinae regionis amoenitate I. 7. 12. sqq. et II. 6. 5. sqq. — 24. *Bajarum* sinus in amoenissima Campaniae ora, miti aëris temperie, aquarumque salubritate (unde *liquidae* h. l. dictae) celebratissimus. Noster Epp. I. 1. 83. *Nullus in orbe sinus Bajis praelucet amoenis. Principes* ideo dictae Martial. VI. 42 7. *vaporiferae*, (ob aquas calidas. Cf. Strabon. V. p. 373.) *blandissima litora, Bajae*, Stat. Silv. III. 5. 96. Hyeme atque ineunte vere Romani ibi desidebant. Ceterum totius loci sententiam pervertit Gesnerus, dum Horatium secessus illos frigidos aestate, hyeme tepidos, quaerere se non voluptatis et ignobilis otii causa, sed ut cum Musis et in literis versari sine interpellatione possit, ostendere putat, prave utique accepto τῷ *vester* pro, in vestro (Musarum) otio, vestris deditus studiis. In quam sententiam abripi se passus est cultiore v. 13. oratione, et Epist. I. 2. 2.

v. 25. Vos cultorem vestrum s. poetam e praesentissimis mortis periculis eripuistis. Hoc iterum speciali potiorum periculorum ipsi intentorum commemoratione exornat atque illustrat poeta. — *amicum*, addictum, gaudentem *vestris fontibus et choris*, vestro sodalitio, consortio, quam ornate pro, me poetam. Musas enim ad fontes ipsis sacros choreas indefesso studio agitantes exquisitum poetarum exhibet phantasma. Hesiod. Theog. 2. sqq. αἵ θ' Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος — καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν ὀρχεῦνται — καί τε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο ἀκροτάτῳ Ἑλικῶνι χορους ἐνεποιήσαντο καλους, ἱμερόεντας, ἐπεῤῥώσαντο δὲ ποσσίν. Unde pro vulgato, inter Musas versari doctius est, choros cum Musis celebrare, ut h. l. Similiter Propert. II. 10. 1. *Jam tempus lustrare aliis Helicona choreis.* Eidem *Graii chori*,

graecorum poetarum carmina dicta III. 1. 4. — 26. *Acies retro versa*, inclinata, in fugam conversa, omnino pro, clades apud Philippos accepta me non exstinxit, salvus ex ista clade evasi, idque Musarum beneficio. A Mercurio se exemtum isti cladi memorat II. 7. 13. — 27. *Arbor devota* exsecrabilis, diris devovenda, utpote quae dominum suum oppressura esset. Casum istum celebravit II. 13. — 28. *Palinurus*, promontorium ad extremum sinum Veliensem in Lucaniae ora, naufragiorum periculis infame. Nomen ei a Palinuro, Aeneae gubernatore, obtigisse, notum vel e Virg. Aen. VI. 381. Jam Palinurus paene *exstinxit* Horatium, tempestate ad illud coorta, et nave inde ad eos scopulos allisa. Cujus periculi cum nullibi poeta meminerit, frustra eos agere arbitror, qui de tempore, quo Horatius ibi periclitatus sit, dispiciendo anxie laborant. Factum illud esse, quum e Macedonia Italiam redierit, plurimi post Acronem statuunt. Sanad. illam tempestatem intelligit, quae Octaviani, Siciliam a. V. DCCXXVI. petituri classem ad Lucaniae oram repulerit. Sane, si Horatium expeditioni isti interfuisse constaret, simul omnis, quam *Siculae undae* mentio infert, expedita foret difficultas, maxime si statuas, classem istam a Siculo inde mari tempestate rejectam fuisse. Quod tamen uti temere ponitur, ita multo melius cum poeta agi arbitror, si eum geopraphicarum subtilitatum incuriosum, fines maris Siculi paullo longius extendisse dicas.

v. 29. *Utcunque*, dummodo, quandocunque *vos mecum eritis*, vos viae comites habebo, *libens*, audacter *navita* ac *viator*, terra marique periculosissima loca ferissimasque gentes adibo. Eadem sententiarum progressio I. 22. 17 sqq. Jam, quo acrior ac vividior istorum periculorum feriret sensus animum, specialibus rem exornatam dedit nominibus poeta. Maris pericula designat a *Bosporo* Thracio, *insaniente* fluctuum ac ventorum aestu, procelloso. Conf. II. 18. 14 et 20. 13 — 31. *tentabo*, delectum verbum ad declarandam audaciam (v. ad I. 28. 5. adde Catull. XI. 12.) qua navigatio illa periculosissima instituitur. — *arentes aren. lit. Ass. viator*, junge tentabo *arentes arenas*, arenosa deserta, *viator lit. Ass.* iter faciens per *litora*, θῖνας, arenosos cumulos Assyriae, quod copiose et ornate dictum pro, tentabo arenas, seu quod doctius est, litora Assyriae, h. Syriae. *Litus* enim h. l. graeco θινὸς significatu primario, qui est, ὁ τῆς ψάμ-

μου σωρὸν, ***arenae cumulus***, (v. Schol. ad Apollonii Λιβύης διὰ ἐρήμους IV. 1384. et quem laudat doctiss. Boettiger Stanl. ad Aesch. Pers. 820.) *Assyriam*que pro Syria (uti II. 11. 16. et saepissime alibi) a poeta adhiberi, vix dubitandum videtur. Designatur adeo *Syriae Palmyrenae solitudines*, *quae usque ad Petram urbem et regionem Arabiae felicis adpellatae pertinent*, Plin. H. N. V. 24. Has easdem vel similes alii inepti quidem a poeta statuunt interpretes, sed rem longius repetunt; litore Assyrio vel pro Syria universa accepto, quatenus ea mare attingat, vel, quod arenae illae ingenti planitie undique porrectae potius litoris vel aequoris quam terrestris regionis speciem ostentent, ut Bentl. qui in hanc rem laudat Plutarch. Vit. Crass. p. 556. οὐ φυτὸν ὁρῶσιν, οὐ προβολὴν ὄρους καθιέντες, ἀλλ' ἀτεχνῶς πελάγιόν τι χεῦμα, θινῶν τινων ἐρήμων περιεχόντων τὸν στρατόν. Idem tamen, Acronis auctoritatem, litus etiam camporum extremitatem veteres dixisse, parum probabiliter statuentis (nam Virgilii loca vix commode huc trahas) secutus confinia Assyriae et Arabiae intelligit, ubi Crassus cum toto exercitu perierit.

v. 33. *sqq. Britannos hospitibus* in hospites *feros*, truces, cruentos; hospites enim, si Acroni fides habenda, Britanni immolare ferebantur. Sed forte nihil amplius voluit poeta quam Britannos ἀξένους, inhospitales, gentem asperam, trucem, bellicosam. Qua eadem ratione Massagetas vocat Priscian. Perieg. 710. *Hospitibus saevos cunctis*, *belloque feroces. Horribiles Britannos* Catull. XI. 11. — 34. *Concani*, notus Cantabriae in Hispaniae Tarraconensi populus, a Concana urbe sic dictus Ptolem. II. 6. Ad declarandam istius gentis feritatem *laetum* h. satiari Concanum ait *equino sanguine*. De quo Concanorum more, si Silii locum excipias (III. 360. *nec qui Massageten monstrans feritate parentem cornipedis fusa satiaris*, *Concane*, *vena*, in populorum Hispaniae recensu) aliunde quidem haud constat; quo minus tamen Nostro fidem detrahas, vetat Strabo III. p. 165. qui Cantabris multa cum Scythis communia esse diserte tradit. Jam vero de hoc lactis equini inter Scythas usu nihil sane pervulgatius. Quo ipso Silium l. l. inductum existimo ut Concanos Massagetarum coloniam haberet. Minime igitur audiendi, qui satis temere Concanos cum Acrone in Thracia aut cum Porphyr. in Scythia collocant. — 35. *Gelonos*, Sarmatiae populum, Borysthenis accolam. — *pharetratos*, sagittiferos, (Virg. Aen. VIII.

787.) qui nunquam sine armis vagantur, adeoque truculentos, efferos. — 36. *Scythicum amnem*, Tanain, adeoque Scythas, ejus accolas. *Inviolatus*, tuto, secure.

v. 37. In vestro contubernio Augustus exantlatorum militiae laborum solatia ac fomenta quaerit, vobis se totum addixit, composita atque ordinata republica. Conf. Argum. — *altum*, in amplissimo dignitatis gradu positum, egregium, magnum; ut Ovid. Pont. 3. 63. et alibi. — *simul* ac *abdidit*, disposuit; collocavit in oppidis *cohortes*, ubi veteranos per colonias distribuit, iisque agros, militiae praemia, adsignavit; et hoc ornate pro, simul ac ab armis cessatum est, compositis bellis civilibus. Ita jam Torrentius optime h. l. explicuit. Ceteri fere omnes de militibus ad hiemandum per oppida distributis cogitant; quae ratio a totius carminis consilio aliena videtur (Vid. Argum.) tum *fessae militia cohortes* non tam unius aestatis, quam potius multorum annorum militiam (ut II 7. 18. *longa fessum militia latus*) a qua tandem requies datur, haud obscure innuunt. — *abdere* quietis otiique adjunctam notionem habet. *Latet abditus agro*, Noster Epp. I. 1. 5. de gladiatore, rude donato, laudante Lamb. — 39. *quaerentem* laborūm solamina, sese ex iis reficere cupientem, *recreatis* exhilaratis *Pierio antro*, in vestris recessibus. Docte et suavi imagine vulgarem sententiam exhibuit poeta, Augustum, pace parta, Musis vacare, literarum studio delectari. *Eloquentiam studiaque liberalia* Augustum *cupide et laboriosissime exercuisse, poeticam* quoque *summatim attigisse* diserte tradit Sueton. Oct. c. 84. 85. *Antra*, s. amoeni recessus pervulgato poetarum phantasmate, ab eorundem secessu, quem carmina facturi petere videri volunt, ducto, tribuuntur montibus *Pieriis* h. Musis consecratis, in quae se conferunt poetae, Musis litaturi. Laudant Pind. Pyth. VI. 48. 49. de Thrasybulo, σοφίαν δρέπων ἐν μυχοῖσι Πιερίδων. Frequentiora apud Latinos poetas *antra Pimplea* (Martial. XII. 11. 4.) *Aonia* (Stat. Silv. IV. 6. 31.) *Pieria* (ut h. l. et Juven. VII. 60.) et sim. Atque uti se hi ab ipsis Musis carmina edoceri adflarique ferunt, ita ii, qui ad antiquioris cujusdam poetae exemplum se componunt, istorum nemora, antra frequentare dicuntur. Quo spectant Propert. III. 1. 1. *Callimachi manes et Coi sacra Philetae in vestrum quaeso me sinite ire nemus.*

v. 41. Magnum poetam agnosce in convertenda hac vulgari

sententia: Augustum Musarum beneficio, seu ut planius loquar, optimarum literarum studio, maxime poetarum lectione, lenem ac mitem principem evasisse. *Vos lene consilium datis*, vos lenitatem suadetis, vos virium prudenter moderandarum instillatis praecepta, quae quidem, poeticis figmentis exornata, antiquissimorum poetarum intexuistis carminibus. *Consilium* adeo *lene* ab eo proficiscitur, qui animum literarum studiis ad humanitatem finxit, qui leniter, h. sine omni animi perturbatione agit. Ceterum sententia generaliter, more Pindarico, expressa, insigniter Horatianam urbanitatem ostendit. Nam Augustum post bella demum civilia miliora in regenda civitate secutum consilia ita declarari, quis non videt? *gaudetis dato consilio*, monita ista eventu, successu haud destitui, saluberrima ea esse in remp. *Gaudent Musae*, dum hominum utilitati prospiciunt, eorum commoda a se promoveri intelligunt; quo sane gaudio nullum cogitari potest honestius; quod adeo deas istas adprime decet. *almae*, propitiae, beneficae, adposito h. l. epitheto. — Atque ita *scimus*, poetarum carminibus edocemur, sapientiam, h. potentiam prudenter temperatam dispensatamque, immanibus viribus, inconsulte adhibitis, praepollere. Quam sententiam subjecto statim Gigantum exemplo exponit atque illustrat poeta, ducem lyricae hujus formae secutus Pindarum, qui in punienda ὕβρει itidem Gigantum exemplo utitur, Pyth. VIII. init. cujus locum cum Nostro comparasse juvabit. Titanum et Gigantum pugnam quum antiquiores poetae iisdem fere coloribus adumbrarent, et pleraque fere e Titanomachiis in Gigantomachias transferrent, (vid. egregium Heyn. ad Apollod. I. 2, 1.) enata inde utriusque fabularum generis confusio, adeo quidem, ut promiscua essent Titanum ac Gigantum nomina, ut h. l. — *impios*, ἀτασθάλους, ὑπερφιάλους, ἀδίκους, quae solennia sunt Gigantum epitheta, v. c. Callim. Lav. Pall. 8 *immanemque turmam*, immanium virium robore stolide ferocem; ἐπεξηγητικῶς haec adposita, more Horatio familiari. — 44. Fulmine Jovem adversus Titanas et Gigantas pro telis usum, constanter tradunt poetae inde ab Hesiodo Theog. 688 sqq. Cf. Eurip. Hec. 472. Ovid. Met. I. 154. — *caduco*, desuper irruente, cum impetu dejecto, rapido; aucta hujus v. potestate, ut II. 13. 11.

v. 45 — 48. Jupiter πανυπέρτατος, qui unus omnia regit, πάνταρχος (Sophocl. Oed. Col. 1080.) παγκρατὴς (Aeschyl. Suppl. 823.) Illud *omnia* docte dispescuit atque specialibus notionibus

exposuit poeta, quo magis Jovis majestas exsplendesceret; ut adeo tota haecce Jovis ὑπάτου designatio non tam ingenii redundantiae, quod quidem nonnulli crepant, deberi, quam summo potius cum judicio facta esse videatur. — *Terram inertem*, brutam (I. 34. 9) crassam terrae molem. Auget adeo summae potestatis notionem. — *mare ventosum*, ventis turbatum, procellosum. Ad rem I. 12. 15. *qui mare ac terras variisque mundum temperat Horis* — *urbium* specialem ideam generalioribus immiscet poeta lyricus, suo jure; vid. ad I. 35. 10. in quo adeo haerendum non erat. — *Regna tristia*, Tartara, solenni ac perpetuo rerum inferarum epitheto. — 47. Declaratur Jupiter ἄναξ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *mortales turbas*, φῦλ' ἀνθρώπων, homines. — 48. *imperio aequo*, sapienter, moderate viribus utens suis, adposito h. l. epitheto, etsi ad commendandam Augusti monarchiam vix pertinere existimem cum Gesn. Forte etiam, hocque nunc verius censeo, poetice dictum pro, *aeque* Divos *atque* mortales regit, ut I. 4. 12. II. 18. 32. et alibi. *unus* graviter claudit sententiam. Ceterum numerosam verborum collocationem observent tirones in hoc versu.

v. 49 — 52. Immani virium robore istos valuisse, declarat poeta per consequens, ipsum Jovem exterritum fuisse istorum molitionibus. Supra II. 12. 7. *unde periculum fulgens contremuit domus Saturni.* Sil. IV. 277. *Quantus Phlegraeis telluris alumnus in arvis movit signa Mimas; coelumque exterruit armis.* Sidon. VI. 15. *trepidum spectabat Phlegra Tonantem.* — *Juventus horrida*, truci adspectu et vasto corpore, πέλωρα, *immania monstra*, Ovid. Fast. V. 35., etiam novo armorum genere, arborum truncis ac saxis, quibus Deos impeterent, terribilia monstra. — *Fidens brachiis*, brachiorum multitudine vasti roboris symbolo. Erant enim πολυπήχεες, ἑκατογχεῖρες; *mille manibus* armat eos Ovid. Fast. V. 37. Expressit autem poeta Homerica, (Il. XII. 135.) ὡς ἄρα τῶ χείρεσσι πεποιθότες ἠδὲ βίηφι. — 51. Otum et Ephialten, Aloidas, *fratrum* adpellatione a poeta designari, docent seqq. Nam hi *tendebant*, nitebantur *Pelium* montem *Olympo imposuisse*, imponere. Homer. Od. λ. 314. Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη. *Conjuratos coelum rescindere fratres* de iisdem Virg. Ge. I. 280. Etiam apud Apollod. I. 6. 2. Ephialtes occurrit inter Gigantas. — *opaco*, saltuoso,

v. 53. sqq. Neque tamen quidquam temerarii isti adsultus valuere adversus vim Deorum prudenter oppositam. Egregie ac magnifice prorsus hunc locum, qui ornatus poetici capacissimus erat, a poeta tractatum esse, quis non sentit? Hoc autem potissimum effectum dedit descriptione pugnae per partes facta. Jam quum Minerva rei bellicae, quatenus haud vi (id quod Martis proprium est) sed explorata ac provisa ratione administratur, praeses dea habeatur, sane consentaneum erat, praecipuas ei in ista pugna adversus Gigantas, qui soli virium robori confidebant, partes a poetis tribui. Cf. Hygin. f. 150. Sidon. Carm. VI. 17 sqq. Unde et peplo in Panathenaeis magnis ipsi consecrato, intexi solebant res a Minerva in pugna cum Titanibus et Gigantibus egregie gestae. *Palladiae texuntur in ordine pugnae, magna Giganteis ornantur pepla tropaeis*, Virg. Cir. 29. 30. Adde Apollod. I. 6. 2. — De *Typhoëo* seu Typhone vid. Hesiod. Theog. 821. Apollod. I. 6. 3. ibique Heyn. Vulgarior quidem narratio diversum a Gigantibus monstrum facit Typhoëa, quod post devictos demum Gigantas in eorum ultionem a Terra procreatum, itidemque a Jove fulmine prostratum est, ut apud Apollod. l. l.; sed et Pindarus Pyth. VIII. 20. inter Gigantas recenset, quem Noster sequitur h. l. Adde Virg. Cir. 32. qui plane cum Nostro facit, Typhonem a Minerva deletum memorans: *Additur aurata dejectus cuspide Typho, qui prius Ossaeis consternens aethera saxis, Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.* Imposita ei Sicilia, secundum Pind. Pyth. I. 29. Aeschyl. Prom. 365. et alios; juxta Homerum autem (Il. β. 783.) et inde Virgil. Aen. IX. 716. Inarime. Vid. omnino Stanl. ad Aeschyl. l. l. et Heyn. ad Virg. Aen. III. 578. — *Mimanta* Gigantem commemorant Eurip. Jon. 215. Seneca Herc. fur. 981. (*saevit horrendum Mimas.*) Φλεγραῖον adpellat Apollon. Rh. III. 1227. *Telluris alumnum* Sil. IV. 278. qui idem Prochyten insulam ei injectam ait XII. 147. Adde Claudian. R. P. III. 347. — 54. *Porphyrion statu minaci*, graphice pro, Porphyrion *minax*, truculentus, atrox. Ad altitudinem ejus plerique referunt, docte quidem et exquisito τοῦ *minaci* poetarum usu, sed minus adposito h. l. Alterum enim multo ἐναργέστερον. *Porphyrionem* vastissimae molis et roboris gigantem refert Apollod. loco saepius laud. cf. Pind. Pyth. η. 15 et 22. ubi βασιλεὺς Γιγάντων adpellatur. De *Rhoeto* cf. II. 19. 23. — *Enceladus* diversum a Typhoëo monstrum, cui Aetna secundum Virg.

Aen. III. 578. (quocum facit Quint. Cal. XIV. 582. et Lucil. Aetn. 70.) imposita. A Minerva eum prostratum memorat Eurip. Herc. fur. 908. Quint. Cal. l. l. Adde Apollod. I. 6. 2. *evulsis truncis jaculator audax*, docte pro, truncos arborum radicitus evulsos ad coelum audacter jaculantes. Δρῦς ἡμμένας adversus Deos jactas memorat Apollod. l. l. — 57. *ruentes*, irruentes, temeraria audacia (nam *ruentes* temeritatis adjunctam notionem habet; bene Schol. inconsiderate venientes") adgressi Pallada; pro quo significantius poeta *aegida Pall.* posuit, quo insignitior esset Gigantum temeritas, propter Gorgonis caput, aegidi insertum. Jam aegis, utrum de thorace an de clypeo h. l. sit accipienda admodum difficile arbitror, pro explorato statuere. Ad clypeum fere referunt, propter epith. *sonantem* (quod explicant telorum impulsu concussam, tela Gig. excipientem) quae levis admodum ratio est, quum idem, idque magis poetica ratione, ad thoracem referri queat. Quod diserte facit Quint. Cal. XIV. 456. ἔβραχε δ' αἰγὶς ἅπασα περὶ στήθεσσιν ἀνάσσης. Unde et *armisona* eadem Dea Val. Fl. I. 74. et *aeg sono fera pectore Virgo* eidem III. 88. dicta. Ac thorace in hac pugna Minervam indutam designat Lucan. IX. 655. colorem e Nostro forte mutuatus, *coeloque timente olim Phlegraeos, stantes serpente, Gigantas, erexit montes, bellumque immane Deorum Pallados in medio confecit pectore Gorgon.* In reliquis tamen poetarum locis, quae de ista pugna agunt, praestat de clypeo capere. De quo hoc quoque loco cogitandum, si, quod magis poeticum sit, sequaris. Scilicet nota imagine poetica Pallas intentat, quatit (Homer. Il. ρ. 595. τὴν δ' ἐτίναξεν sc. aegida) clypeum alte sublatum, (cf. Val. Flacc. VI. 396 sqq.) ad terrorem incutiendum. Jam intentatum Gigantibus clypeum docte poeta designat a sonitu, qui e clypeo impetuose protento, eliditur. Sic apud Hesiod. Scut. 343. Minerva αἰγίδ' ἀνασείει, unde tellus contremiscit, et Aegaeon apud Virg. Aen. X. 568. *strepit clypeis*, non invicem collisis, sed fortiter Jovi objectis. Possis etiam, quamquam paullo subtilius, ad serpentum, Medusae capiti innexarum, sibilum, inter commovendum editum, referre. — *hinc avidus stetit* cet. Docte variavit orationem poeta, quae vulgari modo ita procedebat: quid efficerent isti adversus Palladem, Vulcanum, Iunonem, Apollinem? *Vulcani* quoque magnas in Gigantomachia partes fuisse adparet ex Apoll. Rhod. III. 234. ubi eum Φλεγραίῃ κεκμηότα δηϊοτῆτι Sol curru excepisse

narratur. Apud Apollod. I. 6. 2. Clytium μύδροις ferit; unde Boettig. satis acute τὸ *avidus* ad candentes istas ferri massas, corpora depascentes, refert. Vel sic tamen de Vulcani ardore pugnandi (ut sit, *avidus* pugnae, λιλαιόμενος πολέμοιο v. c. Hom. Il. γ. 133.) accipere praestat. — *matrona*, πότνια, cum vi, quasi sola sua majestate opposita Gigantas represserit. — 60. sqq. *Apollo.* Designat hunc poeta per doctas, ut ita dicam, ambages, quas omnino amat, atque adeo ambitiose sectatur poesis lyrica. Sed miras super hac digressione argutias captare videas intpp. Lineas hujus loci ductas esse e Pind. Pyth. I. 74. Λύκιε καὶ Δάλοι' ἀνάσσων Φοῖβε, Παρνασῶ τε κράναν Κασταλίαν φιλέων, observarunt jam alii. E Nostro profecit Stat. Theb. II. 696. *Phoebe parens, seu te Lyciae Pataraea nivosis exercent dumeta jugis, seu rore pudico Castaliae flavos amor est tibi mergere crines.* — 60. *Arcus* perpetuum gestamen Phoebi. Eurip. Alc. 41. Συνήθες αἰεὶ ταῦτα βαστάζειν ἐμοί. Unde Ἀργυρότοξος simpliciter dictus; veluti Hym. Merc. 318. Cf. I. 21. 11. Porphyriona ab Apolline confossum memorat Pind. Pyth. VIII. 24. — 61. Apollinem Delphicum ornatius exhibuit Noster quam Pindarus l. l. *Castalia* fons in jugis Parnasi, Apollini sacer. Jam pro, qui Parnasum, seu Delphos tenet, suavior imago est: qui *rore puro*, fonte Cast. limpido lavatur, et pro hoc specialiori idea, *crines solutos*, promissos, fluentes, lavit ut declaretur Apollinis juventas. Infra IV. 6. 26. *Phoebe, qui Xantho lavis amne crines.* — 62. Qui Lyciam et Delon tenet. Conjunxit haec utraque poeta, quoniam Apollo hinc inde commeare fingebatur. Serv. ad Virg. Aen. IV. 144. „Constat Apollinem sex mensibus hyemalibus apud Pataram, Lyciae civitatem dare responsa, unde Patareus Apollo (cf. Lycophr. 920.) dicitur, et sex mensibus aestivis apud Delum.“ *Dumeta* non tam ad nemora, Apollini sacra, quam potius ad naturam istius regionis, quae saltuosa est atque adclivis, adcommodate memorata existimem. — *natalem silvam* in Cyntho, monte Deli. *Natalem Delon* habes I. 21. 10. Res notissima. — 64. Haec declarative subjecta, ita ut *Delius* ad natalem silvam et *Patareus* ad Lyciae dumeta referatur. De Patara videndi Strabo XIV. p. 458. et Mela I. 15.

v. 65. Deducta ex antecedentibus sententia: Vires, consilii expertes, prudentia destitutas, inconsulte adhibitas ipsa *mole* sua, magitudine sua *ruere*, praecipites dari, corruere, aegre su-

stentari, Ῥώμη ἀμαθὴς πολλάκις τίκτει βλάβην Eurip. apud Stob. Flor. Grot. p. 207. Laudant et Pindari Pyth. VIII. 19. Βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ. — 66. Contra *vim* prudentia *temperatam*, hominem potentia, qua pollet, sapienter, moderate utentem, Dii *in majus provehunt*, augent, extollunt, successum ejus conatus habere jubent. *Peragit tranquilla potestas, quod violenta nequit*, Claudian. Cons. Mall. 239. — *Vires*, paullo durius positum pro, homines violentos, propter adposita *animo mov.* — *odere*, graviter in eos animadvertunt, puniunt eos, qui animo *movent*, moliuntur, concipiunt, atque exsequuntur adeo *omne nefas*, nefaria quaevis, nihil non ex animi lubidine, agentes; verbo, ὑβρίζοντας. Egregie in hanc. rem. Eurip. Orest. 705. Καὶ ναῦς γὰρ ἐνταθεῖσα πρὸς βίαν ποδὶ ἔβαψεν· ἔστη δ' αὖθις, ἢν χαλᾷ πόδα. Μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὰς ἄγαν προθυμίας, μισοῦσι δ' ἀστοί. Brevius idem Hel. 909. μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν.

v. 69. Sequuntur exempla ὕβρεως graviter a Diis vindicatae, ad illustrandam vv. 68. 69. sententiam adjecta. Summum autem ὕβρεως genus ponit poeta, impietatem adversus Deos, diversis modis proditam. Si poeta substitisset in his: *testis centim. Gyges*, expertus est, novit, μάθεν (Pind. Pyth. 8. 16. in eadem sententia) satis gravitatis erat ex enuntiationis brevitate in transitu; sed extenuavit eam adjectis, *mearum sententiarum*, quibus nimis pedestrem orationi formam induxit. *Gyges*, *Cottus* et *Briareus*, Centimani, Coeli et Terrae filii, a patre in Tartara detrusi, indeque a Jove ad debellandos Titanas reducti, hisque in Tartarum conjectis custodes adposisi. Vid. Hesiod. Theog. inde a v. 617. Sed. h. l. iterum satis manifestam cosmogonicarum istarum fabularum deprehendere licet confusionem, qua Centimani, qui multo antiquiores sunt, et quos a partibus Deorum stetisse perhibent, cum Gigantibus rebellibus permiscentur. Similiter Briareum inter Gigantas retulit Virg. Aen. X. 565. sqq. *Orion notus tentator Dianae*, famosus, infamis ob tentatam a se Dianam. *Tentare* ut gr. πειρᾶν, verbum nequitiae, ut Tibull. I. 3. 73. cf Abresch. Lectt. Aristaenet. p. 18. Diana *integra*, illaesa pudicitia, perpetua virginitate gaudens, ἁγνή, ut in eadem fabula Homero audit Odyss. ε, 120; delectum adeo h. l. epitheton. — 71. *sagitta virginea*, virginis, et hoc pro tenui, *ejus* sag. *domitus*, δαμείς, confossus. Τοξόδαμνος eadem virtute dicta Diana Eurip. Hippol. 1451. et Ἄρης τοξόδαμνος Aeschyl. Pers. 85. Ceterum de

Orionis interitu vulgarem narrationem poeta h. l. sequitur; alias causas allegant alii. Vide omnino intpp. ad Hygin. fab. 195. et Heyn. ad Apollod. I. 4. 3. p. 53.

v. 73 Magna hujus loci vis est ex oratione variata. Sequi debebat: Testes mearum sententiarum Gigantes montibus atque insulis obruti, et Titanes fulmine in orcum detrusi. *Terra* mater *dolet injecta*, graece pro, se injectam, impositam, *monstris*, filiis *suis*, Gigantibus, et hoc cum κάθει pro, terra a Diis injecta est Gigantibus. Nam Typhoëus premitur Aetna, Co Polyboetes, Otus Creta et sic porro. — 74. *partus missi ad Orcum*, sunt Titanes, qui et ipsi Terra procreati, a Jove καταταρταρωθέντες; res nota. — *luridum*, pallidum, perpetuum Orci epitheton. — 75. Nec levantur unquam isti poena, aeterna temeritatis expendunt supplicia. Exemplis statim hanc poeta sententiam illustratam subjicit. *Ignis haud peredit*, exussit, absumsit *Aetnen impositam* Typhoëo, docte pro: Typhoëus nunquam Aetnae mole levatur, adhuc sub Aetna laborat. *Celer* e natura ignis.

v. 77. *Tityus* aeternas incontinentiae suae poenas apud inferos luit. De Tityo vide ad II. 14. 9. IV. 6. 2. *Incontinentis*, libidinosi, quod Latonae vim inferre conaretur, ideo ejus *jecur*, libidinis sedem, *haud relinquit*, adedit usque, continuo laniat *ales*, vultur. — *custos additus nequitiae*, datus ei propter nequitiam suam, et hoc pro vulgari, adsidens ei, adhaerendo ejus jecori poenas nequitiae ejus irrogatas exigens. *Custodire*, ut φρουρεῖν graecorum, h. l. simpliciter est, adesse, lateri adstare, custodis instar. Vid. ad III. 26. 6. Jam custodes *addi* dicuntur, proprio vocabulo, adjuncta molestiae, quam custodia creat, notione. Vid. Drakenb. ad Sil. II. 595. Adde Tacit. Ann. IV. 67. *Nequitia* de libidinosa intemperantia h. l. ut passim apud poetas. Vid. Burm. ad Prop. II. 4. 2. — *Pirithous* comite Theseo ad inferos descendit, Proserpinam inde rapturus (unde *amator* invidiose h. l. dictus); sed a Plutone prehensus, saxoque adligatus. Vid. Heyn. ad Apollod. II. 5. 12. p. 434. Cf. IV, 7. 28. *Cohibent* constrictum tenent *catenae*. — *trecentae* firmitatem vinculorum designant; ex quibus adeo sese Pirithous nunquam expediat.



ARGUMENTUM. V.



Phraates, quum a. U. DCCXXXI. filium, Romae detentum, ea lege ab Augusto recepisset, ut captivos et signa militaria, Crassi et Antonii cladibus amissa, sibi restitueret, huic tamen ut satisfaceret, haud prius impelli potuit, quam ea ab Augusto, quem in Asiam trajecisse, et ad Syriam usque pervenisse satis constabat, bello repetitum iri fama percrebruisset. Erat is annus ab U. C. DCCXXXIV. Quae res etsi ex pactione cum Parthis ita esset transacta, Augustum tamen, quod solo nominis sui terrore Phraatem, ut ea staret, adegisset, ita sese extulisse constat; ut maximae instar victoriae restitutionem istam habuerit, ovationeque et arcu triumphali, denique nummis quae celebraretur, dignam duxerit. Cf. Dio LIV. 8. Haud mirandum igitur, rem istam magnifice ornari extollique a poetis, adeo quidem, ut Parthos vere subactos, terramque ipsorum in provinciae formam ab Augusto redactam ambitiose jactent. Horatius itaque novam hanc laudum Augusti materiem carmine nobilitaturus, initio statim animum ita rei confectae magnitudine confusum attonitumque ostendit, ut evidentiora divinitatis Augusti argumenta vix dari posse persuasissimum habeat, quandoquidem is ab hoste formidolosissimo, quae maximi antea duces magnis amisissent praeliis, absque ullo certamine receperit. Tum, quo exactior magnitudinis rei fieri posset judicatio, vivide poeta declarat ignominiam turpi Crassianorum militum deditione, turpiusque acta servitute

(cui quam facile adsueverint vel inde adparet, quod captivorum quidam ante, quam traderentur, morte voluntaria hanc infamiam redimerent, vel in Parthis occulte remanerent, ut Dio l. l. tradit) Romani imperii majestati inflictam, quam Augustus, salva ejusdem dignitate absterserit, armisque, quae jam pridem a Senatu ideo movenda fuissent, vindicandam statuerit; captivos humili redemtionis conditione liberandi indignum reique publicae damnosum existimans. Generosum hunc Augusti sensum, quo incalescit atque defigitur poetae, patriae amantissimi, animus, Reguli, eadem olim de captivis statuentis, gravissima oratione explicuit. Atque in hac quidem sententiarum conversione, tacitaque Augusti cum Regulo, venerando priscae disciplinae exemplo, comparatione, qua nihil blandius aut ad Augusti, disciplinae serverissime regundae (Sueton. Aug. c. 24.) itidem intenti, laudes excogitari poterat illustrius, singulare prorsus poetae cognoscitur artificium, quo praeterea fieri non potuit, quin sententiae, Reguli ore prolatae, majorem vim ac gravitatem adquirerent. Regnat omnino per totum carmen spiritus vere Romanus, sententiarum vigor robustissimus, enuntiationis brevitate insigniter adjutus; eloquutioque argumenti gravitati aptissima, ut absolutissimis illud Romani ingenii monimentis jure accensendum sit. Ceterum quod poeta Britanniam ab Augusto perdomitam ait, optime hoc illustratur Strabonis loco; (IV. p. 138.) Νυνὶ μέν τοι τῶν δυναστῶν τινες τῶν αὐτόθι πρεσβεύσεσι καὶ θεραπείαις κατασκευασάμενοι τὴν πρὸς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν φιλίαν, ἀναθήματά τε ἀνέθηκαν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ, καὶ οἰκείαν σχεδὸν παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον.

Adnotationes.

v. 1. Splendida atque augusta rei imago: Divisum cum Jove imperium Divus Augustus sortitus est, ille coelum moderatur, huic orbis terrarum cura suscepta; hujus numen praesens venerari licet, illius certis tantum signis cognoscere datur. *Jovem tonantem*, e tonitru ac fulmine *credidimus* ἀοϱίστως, persuademur, ut in *coelo* eum *regnare* credamus. Eadem argumentatione Lucan III. 319. 20. a Schol. Cruq. jam laudatus; *sortisque Deorum ignarum mortale genus per fulmina tantum sciret adhuc coelo solum regnare Tonantem.* — 2. Augusti contra numen certius utpote *praesens*, in terris versans, quod oculis contingere datur, θεὸς ἐπιφανής, *tutella praesens Italiae.* ut de eodem IV. 14. 43. Solennis haecce poetarum Augustei aevi adulatio. Ovid. Fast. II. 130. *Jam pridem tu pater orbis eras. Hoc tu per terras, quod in aethere Jupiter alto, nomen habes; hominum tu pater, ille Deum.* Idem Trist. IV. 4. 19. eodem plane orationis colore et sententia: *Causa tua exemplo superorum tuta duorum est; quorum hic conspicitur, creditur ille Deus.* Valer. Max. Praef. extr. *Quo cetera divinitas opinione colligitur, tua praesenti fide paterno avitoque sideri par videtur.* Huc quoque insigniter facit carmen Ithyphallicum apud Athen. VI. p. 253. in Demetrium Poliorcetam inde a v. 15. ἄλλοι μὲν ἢ μακρὰν γὰρ ἀπέχουσιν θεοὶ, ἢ οὐκ εἰσὶν ἢ οὐκ προσέχουσιν ἡμῖν οὐδὲ ἕν· σὲ δὲ παρόντ' ὁρῶμεν. Cf. Toup. ep. crit. p. 174. Iam divinam potentiam suam Augustus adseruit, deusque *habebitur*, postquam solo nominis sui terrore *Britannos*, *Parthos*que, qui soli defuerant, *imperio* Romano *adjecit*, eos devicit, sicque totum terrarum orbem subegit. Ad rem Ovid. A. A. I. 177. *Ecce parat Caesar domito quod defuit orbi addere: nunc Oriens ultime noster eris. Parthe dabis poenas: Crassi gaudete sepulti.* Ceterum rem Noster mirum in modum auxit, magnificeque exornavit, ex aetatis suae more; vid. Argum. *Persae graves*, timendi, infesti nomini Romano; ob clades sub Crasso et Antonio ab iis acceptas.

v. 5. *sqq.* Omissis Britannis immoratur unice poeta victoriae de Parthis reportatae, utque speciosior magnitudo rei esset, persequitur atque exaggerat ignominiam caesis exer-

citibus, militibusque turpiter sese dedentibus, turpiusque in ista captivitate viventibus, nomini Romano inustam, quam sola imperii sui majestate, rerumque gestarum fama Augustus aboleverit. Commotum atque incensum indignitate rei poetae, patriae amantissimi, animum, praeclare decet commotior atque per interrogationes praecipitata oratio. — Adeone *miles Crassi*, civis Romanus sub Crasso stipendia merens, sui oblitus est, itane a majorum virtute degeneravit, ut, qui mortem pro patria oppetere debuisset, turpem deditionem honestae morti praeferret, eoque prolaberetur infamia ac dedecore, ut *maritus* ducta *conjuge barbara*, externa, eaque e populo Romanis infestissimo, *viveret*, ut matrimonium cum Parthica femina iniret? Probrosum enim atque injustum habebatur civis Romani cum externa femina conjugium. Forte in *vixit* vis est; quasi vitam suam isto conjugio redemerit miles Romanus. Ita am Schol. Cruq. „uxores a victoribus acceperunt, ut vitam mererentur.“ Cf. v. 37. — 6. et in hostili terra, tanquam in propriis sedibus, aetatem egit, ibi consenuit. Anni enim XXXIII. post Crassianam cladem edfluxerant. *Hostes soceri*, quam graviter atque invidiose! — Arvorum cultui, omninoque servitiis agrestibus captivos olim adhibitos fuisse quamquam haud negem; majorem tamen movet indignationem, si Romanos milites in Parthorum gentem ac familias adscitos, tanquam novos colonos in nova sede arvis colendis operam dare cogites. Hinc etiam graviter adjectum *sub rege Medo*, Parthorum regis jugo, servitio adsuefacti, quum in libera rep. antea vixissent. Atque ita facile perspicitur, graviorem ignaviae notam adspergi militibus, antea virtute bellica laborumque tolerantia inclytis, unde cum delectu *Marsum* et *Appulum* ponit poeta pro fortissimis Romani exercitus militibus. *Genus acre virum*, *Marsos* vocat Virgil. Ge. II. 167. cf. II. 20. 18. nunc in otio apud Parthos senescentibus, captivitatisque contumelias aequo animo ferentibus. — 7. *Pro Curia inversique mores*, docta, Horatioque familiari ratione dictum pro: o inversos Curiae mores! quantum inversa est, descivit, deflexit *Curia*, Senatus (ut II. 1. 14.) a pristinis moribus, ab antiqua majestate, qui tam lente tanti dedecoris infamiam per tam longum annorum decursum sustinere potuit, adeo quidem, ut ne bello quidem eam vindicandam, armisque captivos redimendos statue-

rit. Alii disjungunt posterius, inversosque s. immutatos *militum* mores a majorum disciplina deflexos intelligunt; quae dura admodum est ratio, etsi ad sensum totius loci satis adcommoda.

v. 10 — 12. *Obliti* ac prorsus immemores patriae suae: propter diuturnam ipsorum captivitatem. Forte tamen cum vi: indigne se populo principe, rep. Romana, cujus olim cives essent, gerentes, obliti se cives Romanos esse. Jam principatum ac dignitatem populi Romani docte specialibus adumbratam dedit notionibus. *Ancilia* memorantur h. l. tanquam fatalia aeternitatis imperii R. pignora. Res satis nota vel ex Ovid. Fast. III. 373 sqq. — *nominis*, quod e populo essent, virtute bellica conspicuo. — *togae*, dignitatis ipsorum pristinae, quod liberae reip. cives fuissent. Toga enim proprium Romanorum civium gestamen. Eadem virtute Virg. Aen. I. 282. Romanos adpellat *rerum dominos gentemque togatam*. Hinc *togae honor* Silio VI. 393. simpliciter toga dicta, quae honori, decori est ea amicto. Ad Antonium Nostri verba traduxit Flor. IV. 11. *Qui patriae, nominis, togae, fascium oblitus, totus in Cleopatram ut mente, ita animo cultuque desciverat.* — 11. *Vestae aeternae*, cujus ignes *aeterni*, h. nunquam exstinguendi, et ipsi Romam aeternam spondebant. — 12. Augetur facti invidia, quod ita se gessissent *incolumi Jove* Capitolino, quod augustius dictum pro ipso Capitolio, arce imperii, et incolumi *urbe Roma*, utrumque pro vulgari, stante republica, re Romana integra.

v. 13. Scilicet *hoc*, ne turpem deditionem Romanus miles spe redemtionis honestae morti praeferret, ne militi spes alia salutis nisi in armis esset, *caverat*, cavere studuit, hoc dedecus a pop. Romano prohibere voluit. Pro Regulo docte et significanter est *mens provida* Reguli, prudentia Reguli, qui animo facile praevideret, quantum detrimenti redundaturum inde foret in rempublicam. Omnino pedestris ratio erat: Prudenter, sapienti consilio Regulus dissuasit conditiones cet. — 14. *Dissentientis*, dissentiendo, eo quod dissentiret *conditionibus* (tertio casu) graece pro, a conditionibus, dissuadendo conditiones, quas Romanis Carthaginienses de permutandis captivis ferrent, negando captivos redimi debere. — *foedis* non per se, poterant enim aequissimae esse (et erant utique. Sil. VI. 485. *Exposcunt Libyes, nobisque dedere haec referenda, pari libeat si pendere bellum foedere, et ex aequo geminas conscribere leges.*); sed

quia indignum ac turpe Romano nomini censebat, captivos redimi. Vix enim respectu Reguli foedas dixit poeta conditiones, quibus foeda ipsi proposita essent supplicia, si re infecta Carthaginem rediisset. — *dissent. exemplo*, qui exemplum exstare nolebat, quod *tracturum*, adlaturum esset *perniciem*, quod perniciosissimum esset *in veniens* futurum *aevum*, ad omnem posteritatem. Vulgaris sententiarum junctura erat: dissuasit conditiones, ne ita exemplum posteris proponeretur, reip. funestissimum, vel, negavit recipiendas conditiones, foedas quippe pessimique ad posteros exempli. — 17. Si captivi redimerentur. Pro quo inversa oratione est: *Si non periret*, in captivitate retinendam Senatus judicaret *captivam pubem*, captos milites, *immiserabiles*, absque miseratione, indignos quorum quisquam misereretur.

v. 18. Singulare prorsus poetae artificium est, quo obliqua oratio subito erigitur, ad rectamque convertitur; quo sane ad commovendos legentium animos vix efficacius quidquam cogitari poterat. Habet autem ipsa Reguli oratio miram gravitatem ac δεινότητα ad concitandam augendamque in audientium animis indignationem, qua ipsum accensum concisae abruptaeque sententiae insigniter produnt. *Vidi signa et arma adfixa del. et derepta milit.* Etiam hic confusus rei gestae ordo egregie decet commotum Reg. animum. Vulgare erat: Vidi arma et signa milit. Rom. derepta suspendi delubris Punicis. De veteri ritu, signa atque arma hostibus erepta in templorum fastigiis, donarii loco, suspendendi res vulgatissima. Vide doctam Stanleji notam ad Aesch. Agam. 587. p. 811. — *sine caede*, qui milites Romani non occisi, sed in turpissimam deditionem concedentes per summam ignaviam sibi eripi passi sunt. Atque hoc extremum erat flagitium, quod omnem miserationem discuteret, atque morte adeo puniretur apud Romanos. Magnam vim habet illud repetitum *vidi*, quae ipsa collocatione augetur. — 21. Vivide adumbratur deditionis infamia, memoratis speciatim *brachiis tergo* in tergum *retortis*, restrictis, idque *civium* quondam Romanorum, *liberorum* adeo (quod docte ad tergum transfertur) nunc turpiter servientium. Ultima haec praeclare ad invidiam augendam adposita. De more captivorum manus et brachia a tergo revinciendi vide Lamb. — 23. Vidi Carthaginienses in summa securitate degentes, ex contemtu vestri, quos quidem a se fractos oppressosque, ignominiam vix unquam ulturos existiment. Secu-

ritatem designant *portae* Carthaginis *non* amplius *clausae*, metu vicini hostis; quod paullo ante factum erat, Regulo victoris exercitus sui terrorem ad Carthaginem usque perferente. *Apertis otia portis* similiter Noster A. P. 199. — 24. *et arva* nunc tanquam in pace *coli*, quae modo *populata* erant *Marte nostro*, a militibus nostris. Etiam haec ad summam Carthaginiensium securitatem declarandam adjecta puta. Gesnerus tamen verba *Marte nostro* ad utramque sententiam pertinere existimabat, hoc sensu: *Vidi arva Marte nostro*, a militibus nostris *populata*, *Marte nostro*, ab iisdem militibus nostris, jam captivis, *coli*; quae quidem ratio meo sensu durissima videtur, augendae etsi invidiae insigniter adcommoda sit.

v. 25 *sqq.* Neque vero turpe tantum, sed et inutile, atque damnosum adeo reipublicae, captivos istos redimi. Summa vis sententiae contrario sensu enuntiatae. An unquam sperare licet, *militem*, qui semel vitam abjectis armis cum hoste pactus sit, *auro repensum*, ubi auro penso ab hoste redemtus fuerit *acriorem rediturum*, manu magis strenuum, fortiorem deinceps evasurum? — *Flagitio additis damnum*, dupliciter accipi potest. Est vel: Praeterquam quod flagitiose agitis, infamiam nomini Romano adspergitis, damno insuper adficitis rempublicam, pretio pro ignavis istis solvendo; turpiter auri jacturam facitis. Vel: Inutiliter flagitiosis istis impenditis pecuniam. Utrumque satis commode. Prius tamen acrius atque fortius in dissuadenda coram senatu redemtione. Concinunt verba Euripidea (Rhes. 102.): αἰσχρὸν γὰρ ἡμῖν, καὶ πρὸς αἰσχύνῃ κακόν. — 27. Et comparatio, et comparandi ratio (*nec - nec* pro vulgari, uti non, s. non magis quam, ita neque) paullo quaesitior. *Lana fuco medicata* tincta, infecta. *Medicare* φαρμάσσειν, poetis est, alienum colorem, deperdito nativo inducere, alieno succo tingere. Ovid. Medicam. fac. 9. *Vellera saepe eadem Tyrio medicantur aheno.* Inde *medicamen* succus purpurae simpliciter dictus Plin. IX. 38. *Fucus marinus*, *lactucae similis*, *conchyliis substernebatur* (teste Plin. XXVI. 10.) h. e. lana herbae istius succo prius imbuebatur, quo facilius purpurae colorem admitteret. Vid. Gesn. Thes. L. L. h. v. et ad Quinctil. XII. 10. 75. Tum omnino pro quovis succo, qui tingendo inservit, vel purpurae adeo, ut h. l. poetis usurpatur. Ita *conchylii fucum* dixit Catull. LXIV. 49.

atque ita saepius alibi. Proprie tamen fucum quidam h. l. accipiendam, dataque opera ignobiliorem hunc colorem a poeta poni nimis subtiliter statuunt; quum comparationis vis intra deperditum nativum colorem subsistat. Quinctil. I. 1. 5. *Nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* — non *refert col. am.* reddi ei nequit candor pristinus. — 29. *Virtus*, fortitudo animi, *vera*, natura insita. Ita *colorem verum* h. nativum, genuinum dixit Terent. Eun. II. 3. 26. — ubi semel *excidit* animo, periit, amissa est; scilicet virtus *insidet* animo viri fortis; eidem, ignavo facto, excidit, sede sua proturbata. — 20. *non curat reponi*, aspernatur, dedignatur restitui, haud redit *deterioribus*, ignavis militibus: quamquam haud raro *acuit virtutem ignominia* (Valer. Max. II. 9. 9.) et *quondam etiam victis redit in praecordia virtus.* *Reponi* praeclare respondet τῷ *excidit.* Senec. Hippol. 591. *Quis me dolori reddit, atque aestus graves* reponit animo? *quam bene* excideram *mihi. Deteriores*, χερείονες, ignavi, timidi; (Plaut. Epid. III. 4. 10. Strenuiori deterior *si praedicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidae*) cum delectu h. l. ac propria vocis notione. Nam *deteriores* fiunt e *bonis*, pejores e malis; juxta Nonium et Scholl. h. l. — 31. Observa exquisitam orationis variationem. Vulgaris efferendi eam modus erat: Qui semel captus est, is non magis fortis erit, quam cerva, retibus elapsa. Pro quo poeta: *si cerva pugnat*, si credere par est, cervam, *extricatam*, expeditam e *plagis*, retibus, pugnaturam, animose sese oppositurum insequenti venatori; *erit ille fortis,* eum quoque fortiter pugnaturum credam *qui* cet. Ceterum solennis timidorum cum cervis comparatio apud poetas. v. c. Hom. Il. ν. 102. — 33. Verba quaesita ad augendam rei invidiam. Nam *credidit se* multo acrius quam dedidit se, tradidit se hostium potestati; cui graviter opponitur *perfidis.* — 34. Adeo quidem, ut Poenos, quibus se dedidisset, *Marte altero*, novo proelio, iterum *proterat*, prosternat, vincat. — 35. 36. Scilicet eum fortiter creditis pugnaturum, salutemque suam iterum in discrimen oblaturum, quam turpissima servitute redimendam haud dubitaverit? *Sensit iners*, ita ut ne commoveretur quidem rei indignitate, lente adeo brachia sua loris in tergum restringi passus est, vinciri se sustinuit, *timuitque mortem*, mortis metu. Hoc graviter adjectum. Scilicet *optanda mors est, quae civibus Romanis*

semper fuit servitute potior, Cic. Phil. X. 19. Idem Phil. II. 144. *Servitus, postremum malorum omnium, non modo bello sed morte etiam repellendum.*

v. 37. *Hic*, per contemtum, ignavus iste miles, qui indigne sese Romano nomine gereret. Adverbialiter accipiunt quidam, ut Scholl. „in bello" Ita mallem potius: quum res in illud discrimen adducta esset, quum ad incitas redactus esset miles. Durior tamen altera haec ratio. — *inscius*, tanquam nesciret, immemor prorsus, *unde vitam sumeret*, unde salutem petere deberet, quod ferro sibi vitae spes quaerenda esset. — 38. *Pacem duello miscuit*, docta brevitate pro, in bello, in ipsa pugna cum hoste, tanquam in pace, transegit, de impetranda vita armatus cum hoste pactus est, deditionis pactione saluti suae consuluit, manu, vi, ferro obtinendae. — *O pudor!* Mira δεινότης in hoc orationis exitu, quo in summam invidiam res adducitur. *O magna Carth.* quantum gloriae partum tibi est ex nostro hoc dedecore! *Altior Ital. ruinis*, cujus magnitudo nostris cladibus (at quanto fortius atque significantius, *ruinis* totius Italiae) *probrosis*, summa cum ignominia conjunctis, unice innititur. Praeclare sibi respondent *altior*, et *ruinis*.

v. 41 *sqq.* Praeclare τὸ πρέπον servavit poeta in Regulo, utpote *capitis minore*, h. capite deminuto. Quum enim, belli jure servus Carthaginiensium factus, omnia, quae civis Romanus habuisset, jura amisisset (unde Manlius apud Liv. XXII. 60. captivorum, de quibus redimendis in Senatu agebatur, legatos ita increpat: *Liberi atque incolumes desiderate patriam: imo desiderate, dum patria est*, dum cives ejus estis. *Sero nunc desideratis*, deminuti capite, abalienati jure civium, *servi Carthaginiensium facti.* Atque haec quidem erat deminutio capitis maxima) nec matrimonii, atque patriae adeo in liberos potestatis amplius jure gaudebat. Igitur *removit a se osculum conjug.* amplecti noluit Marciam, conjugem suam, indecorum existimans (uti bene Scholl.) matronam Romanam servum osculo dignum putare. Polyb. fragm. IX. Καὶ οὔτε τὴν γυναῖκα ἐς λόγους ἐδέξατο. Idem memorat Eutrop. II. 14. *Inductus in Senatum nihil quasi Romanus egit, dixitque se ex illa die, qua in potestatam Afrorum venisset, Romanum esse desiisse.* Itaque et uxorem a complexu removit, *et Romanis suasit, ne pax cum Poenis fieret.* Latius idem persequutus est Sil. VI. 403 sqq. cujus maxime huc spectant

vv. 411 — 414. *Me voce quieta adfatus*, jubet et vestros et conjugis una arcere amplexus; *patet impenetrabilis ille luctibus*, *et nunquàm submissus colla dolori.* — *pudicae*, matronae Romanae; Sanctitas enim atque pudicitia verum atque proprium matronarum Romanarum ornamentum. Eadem de se Marcia apud Sil. VI. 438. *Vestigia nostri castà tori*, *domus et pàtrium sine crimine servàt inviolata larem.* — *pàrvos*, suaviter adjectum, ad commovendam miserationem. — 43. 44. *et virilem torv. humi pos. vultum.* Egregia pertinaciae Reguli atrocisque virtutis ejus ὑποτύπωσις. Stat in curia Regulus, *vultu virili*, virtutis atque constantiae ejus indice, *humi posito*, in terram fixo, dejecto, *torvus*, ita ut nullus erga suos adfectus eluceret, torvo obtutu amplexus ipsorum repellens. Duobus igitur membris, ita si hunc locum interpreteris, sententiam vulgarem: Regulum amplexus suorum constanter repressisse, idque satis docte, atque graphice prorsus exposuisse dicendus est poeta. Ob sequentia tamen; *Donec làb.* cet. posteriora: *virilem* . . . *vultum* indignabundi potius Reguli, qualem sua ipsius oratio prodiderat, atque de sententia Senatus maxime solliciti speciem referre existimem. Metuebat nimirum, ne patres, habita sui ratione, patriae male consulerent, captivosque redimendos statuerent. Atque ita fere Graeci ταυρηδὸν ὑποβλέπειν, et Latini, *torva*, *òbliqua*, *aversa tueri* dicunt hominem indignatione aestuantem. Quod idem arguit vultus in terram dejectus. Apte laudat doctiss. Boettiger Eurip. Med. 27. — Οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ' οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον. Utrumque autem composuit Aristoph. Ran. 815. 16. Ξα. ἦπου βαρέως οἶμαι τὸν Αἴσχυλον φέρειν; Αἰα. ἔβλεψεν οὖν ταυρηδὸν ἐγκύψας κάτω.

v. 45. Atque ita Regulus tam diu perstitit, donec patres *firmaret consilio* suo, in sententiam, quam ipse suasisset, quamquam sibi perniciosissimam (ideo *cons. numquam alias datum*, inauditum vocat poeta) adductos in eaque obfirmatos videret. Bene opponuntur *firmaret* et *labantes*, h. ambigentes, dubios, quid consilii caperent (ita *fluctuantem alicujus sententiam confirmare* Cic. Phil. I. 7.) animo ad misericordiam propenso. *Auctor*, ornatu poetico adjectum, uti mox *exsul.* — 47. 48. Suave antitheton in *properaret* et *maerentes amicos:* (neutiquam vero in *maeret am.* et *egreg. exsul.*, quod cum Porphyrione plerique statuunt.) E curia se proripit, atque citato gradu, quo laetitiam suam testatam faceret, inter amicos abitu ejus contristatos ad

hostem pergit. *Egregius*, singularis prorsus exempli, ut qui sui ipse exsilii auctor esset, captivos retinendos suadendo.

v. 49. *Nec vero ignorabat, se ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplicia proficisci,* Cic. Offic. III. 27. *Atqui,* enimvero, quamquam probe norat, *quae sibi barb. tortor pararet*, quae immania tormenta ac supplicia sibi ab hoste crudelissimo pararentur, quibus cruciatibus sibi pereundum foret, si infecta re Carthaginem rediret; *tamen* cet. Vulgarem autem atque a vetustis adeo Annalium scriptoribus de atrocissimis tormentis crudelissimaque nece, qua Regulum adfecerit Punica feritas, traditam narrationem, a V. V. D. D. haud levibus argumentis inpugnatam, (vide omnino doctam, acutam, copiosamque super ea Ruperti ad Sil. VI. p. 395 sqq. disputationem) Horatius poeta h. l. suam fecit, utpote quam maximum ad repraesentandam, atque luce sua collustrandam Atilianae virtutis imaginem momentum habituram intelligeret. Ita enim demum illud admiratione dignum haberi debet, quod captivos retinendos censuerit. — 50. Eam tamen animi excelsitatem atque alacritatem in discessu prae se tulit, ut non ad hostes dirissimos, sed ad villam eum amoenissimam, rusticandi gratia, recta pergere diceres. Postremum praeclare exornavit poeta comparatione cum patrono instituta, qui finitis negotiis forensibus recreandi animi causa secessum cupide petit. Alacritatem atque constantiam Reguli vivide designant *dimovit*, et preces *obstantium* propinquorum atque universi adeo *populi* Romani, *reditus morantis*, retinere eum cupientis a se neglectae Sil. VI. 494. *Prosequitur vulgus patres ac plangtibus ingens personat et luctu campus; revocare libebat interdum et justo raptum retinere dolore.*

v. 53. *Clientum negotia relinqueret,* multo significantius est, quam, urbem relinqueret, in qua clientum negotiis, quae vel orator, vel advocatus curasset, quaeque diuturnitate sua summo eum taedio adfecissent (quam exquisite igitur *longa!*) detentus atque distractus fuisset. — 54. *Lite*, indictis judiciorum feriis haud dilata, sed perorata atque *dijudicata*, decisa, ex animi sententia transacta; unde adeo liquidiorem atque sinceriorem secessus ipsi voluptatem allaturus est. Suaviter hoc adjectum. — 55. *Tendens*, profecturus in praedium suum Campanum (pro quo in specie *Venafrum* posuit) aut Tarentinum. Utraque regio Italiae

amoenissima, praediisque Romanorum eam ob causam refertissima. — *Lacedaemonium*, vid. ad II. 6. 11. 12.



ARGUMENTUM. VI.



Quum respublica, collapsa, qua ad summum cacumen emersisset, disciplina veteri, perditissimis laboraret moribus, adeo quidem, ut innumeris malis gravissimisque, quae inde in eam redundarent, calamitatibus in summum eam discrimen adductum iri absque Oedipo conjectore posset intelligi; Augustus, sustentaturus eam, primam horum malorum labem explorandam tollendamque ratus, praeter alia, salubriter in hanc rem cauta atque sancita, adulteria potissimum, quae non ipsa solum, sed etiam malorum, inde propullulantium, contagione reipublicae essent pestilentissima, gravibus multis severisque legibus latis, maxime Iulia, coërcenda statuit. Quumque idem reficiendis templis, quae aut bellorum civilium injuria subversa, aut vetustate collapsa essent, maximam curam impendendo Deorum pacem apud alligatum superstitione populum redemturus videri vellet; utrumque poeta, ad erigendam quippe stabiliendamque rempublicam efficacissimum, hoc carmine commendaturus, Romanorum in universum terrarum orbem imperium a Deorum cultu, maximas contra clades, quae illud paene perverterint, a neglectis religionibus repetendas, foedaque prorsus omnia, quae adversus eas moliaris, inceptu foedioraque esse exitu pro-

nuntiat. Inde ad alterum malorum fontem, adulteriorum pestem, delatus, morum inde, paullatim desidentium, teterrimam labem derivat, eamque vividissimis coloribus depingit. Tum, quo magis perspiceretur, quantum ista morum corruptela reipublicae detrimenti adferret, ignavae atque enervi suae aetatis proli, adulterina Venere prognatae graviter opponuntur mores priscorum hominum, qui pudice nati duriterque educati maximas olim terra marique res patrassent.

Adnotationes.

v. 1. ***Delicta majorum*** generatim quidem h. accipi possint, ut sint scelera atque piacula, ἄγη, quibus populum Romanum majores obstrinxerint, maxime bellorum civilium, quibus Deorum in se iram provocassent, impietate ac diuturnitate; satius tamen erit, ob seqq. ad intermissum Deorum cultum, violatasque (cf. I. 35. 37.) religiones in specie referre. ***Lues***, poena istius delicti ad te pertinget, poenas a te Dii expetent, quamvis *immerito*, insonti, innoxio; e communi rudioris aevi persuasione, qua graviorum scelerum supplicia ad posteros interdum a Diis differri credebantur. Τὰ τῶν τεκόντων ὡς μετέρχεται θεὸς μιάσματ', Eurip. Fr. Alcmaeon. VII. p. 417. Lips. Plura vide notata ad I. 28. 30. — 2. Augustum quidem solum hic intelligi volunt, inducti forte prava v. 5. interpretatione. Sed nec in individuo numero vis quaerenda, quam potius orationi conversae tribuas, quam tamen ipsam metri necessitas expressissé videtur. — ***Donec*** religiones neglectas instauraveris. — ***Templa*** et ***aedes Deorum*** cumulavit poeta, vix ullo discrimine: quamquam, si argutari velis, posterius cum vi quadam dictum accipi possit, ut sint Deorum domicilia, sedes. Certe de privata religione vix h. l. cogitare licet. ***Labentes*** vetustate, ruinae proximas. Neglectam in Deos pietatem ita designat poeta, quod Augustus cum reficiendorum tum novorum templorum exstruendorum curam populo, quamquam aliis de causis, ostentaret. Qua de re diserte Sueton. Aug. 30. ***Aedes sacras vetustate collapsas, aut incendio absum-***

tas refecit. Ovid. Fast. II. 59. 60. *Cetera ne simili caderent collapsa ruina, cavit sacrati provida cura Ducis.* Eidem mox (v. 63.) idem dictus *templorum positor, templorum sanctus repostor.* — 4. *simulacra* Deorum, *foeda* squalida, sordida, *nigro fumo*, quorum adeo cura diu intermissa fuerat. Bene Schol. „per nimiam vetustatem sordentia." Consueverant enim deorum simulacra, maxime lignea, fumo, aërisve injuriis inquinata stato tempore ac solenni ritu purgari apud veteres. Minus recte ad incendia templorum refert Dacerius. Ceterum eandem rem aliter exornavit Propert. II. 3. 27. *Velavit aranea fanum, et mala desertos occupat herba deos.*

v. 5. *Imperas*, imperium orbis terrarum tenes, omnia tibi prospere cedunt, *quod*, propterea quod, quatenus *te minorem Diis geris*, Deos te superiores habes, eorum adeo benevolentiam cultu atque obsequio promereri studes. Suavis antithesis: Diis obsequendo obsequiosum habes totum terrarum orbem. Apte laudat Torrent. Cic. de Harusp. resp. 9. *Pietate ac religione, atque hac una sapientia, qua Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.* Adde Val. Max. I. 9. *Omnia namque post religionem ponenda semper nostra civitas duxit: quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire; ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinae potentiae bene atque constanter fuissent famulata.* Et paullo ante: *Non mirum igitur, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax eorum indulgentia Deorum semper excubuit: quod tam scrupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinare videtur; quia nunquam remotos ab exactissimo cultu caerimoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est.* — 6. *Hinc refer* seu potius ἀπὸ κοινοῦ, pete, a Diis sume *omne principium*, omnium rerum agendarum exordia; ne inceptes quidquam, nisi Diis auctoribus, *huc refer exitus*, quandoquidem susceptae rei ab iis pendet exitus. Egregie huc facit Camilli oratio apud Liv. V. 51. a Torr. primum laudata: *Intuemini horum deinceps annorum vel secundas res, vel adversas; invenietis omnia prospere evenisse sequentibus Deos, adversa spernentibus.* Item Appii apud Liv. VI. 41. *Quid de religionibus atque auspiciis, quae propria Deorum immortalium contemtio atque injuria est, loquar? Auspiciis hanc urbem conditam esse, auspiciis bello ac pace, do-*

mi militiaeque omnia geri, quis est, qui ignoret? — Eludant nunc religiones. Quid enim est, si pulli non pascentur? . . . Parva sunt haec; sed parva ista non contemnendo majores nostri maximam hanc rem *fecerunt.* Denique Cicero Or. in Vat. 6. luculento valdeque adposito loco: *Et, quoniam* omnium rerum magnarum a Diis immortalibus principia ducuntur, *volo ut mihi respondeas tu, qui te Pythagoricum soles dicere, — quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor, ut, cum inaudita ac nefaria sacra susceperis*, auspicia, quibus haec urbs condita est, quibus omnis respublica atque imperium continetur, *contemseris*? — 7. Etenim *Dii neglecti,* contemti, spretis eorum monitis, *multa mala dederunt,* gravia damna inflixerunt *Hesperiae*, Italiae, *luctuosae* in luctum inde versae, tristi, cladibus adflictae.

v. 9. *sqq. Quantum humana consilia castigentur, ubi se coelestibus praeferant* (Valer. Max. I. 6. 11.), exemplis gravissimis e suo populo petitis, jam communit, atque illustrat poeta. *Bis* cladem res Romana a Parthis acceperat, primum imp. M. Crasso, quem *Monaeses*, dux Orodis (*Surenam* vocant scriptores historici, quod summae apud Parthos dignitatis nomen recte VV. DD. statuunt) *circumfusis immanibus copiis equitum una cum parte majore Romani exercitus interemit* (Vellei. II. 46.); iterum duce M. Antonio, cujus primum legatus Didius Saxa cum legionibus interemtus a Parthis a. U. DCCXIV. duce *Pacoro*, Orodis regis filio (Dio XLVIII. 24. sqq.) tum et ipse a U. DCCXVIII. exercitum adversus illos ductum amisit. Dio XLIX. 24 sqq. Uterque Diis adversantibus istam adversus Parthos expeditionem susceperat; Dirarum Crasso obnuntiatarum adfatim recensent Plutarch. in Crass. c. XIX. Valer. Max. I. 6. 11. Cf. Cic. Div. 1. 16. Vellei. II. 46. Flor. III. 11. — *impetus inauspicatos*, nos *inauspicato*, neglectis auspiciis ac Deorum monitis, se adgredi ausos, *contudit* fregit, gravissima clade adflixit. De hujus v. vi vide Ruhnk. ad Vellei. II. 121. Adde Val. Max. IV. 4. 6. Tacit. Ann. II. init. — *et adjecisse pr. t. e. renidet*, imago ad augendam rei invidiam mire efficax, maxime si cogites, Crassum Parthici auri cupiditate hoc bellum molitum fuisse. Parthus *renidet adjecisse*, eo, quod adjecerit, s. renidens adjecit suis torquibus, quos antea admodum exiguos habuerat, *praedam*, militibus Romanis, maxime equitibus, detractos torques aureos, h.

superinduit *exig.* suis torq. majores et aureos equitum Romanorum torques, istaque praeda se jactat, cum irrisione nostri. Minus docte alii Parthorum torques exiguos ex praeda Romanis detracta, auro, argento, gemmis cet. ampliores ornatioresque intelligunt. *Renidere* de arroganti risu, hiantibus leviter labiis, passim poetae. Theor. ζ. 19. σεσαρώς, ὄμματι μειδιόωντι, γέλως δέ οἱ εἴχετο χείλευς. Idem ι. 14. Καί τι σεσαρὼς καὶ σοβαρὸν μ' ἐγέλαξεν. *Restrictis labellis ridere* Catull. apud Apulei. Florid. p. 277. Elmenh.

v. 13 — 16. Aliud impietatis genus subjicit poeta, bella civilia; quibus Deos adeo populo Romano infensos fuisse factos poeta ait, ut immissis externis hostibus urbem atque imperium Romanum paene deleverint. Ita rem a poeta h. l. adornatam existima. Daci enim atque Aegyptii potissimum (nam hos Aethiopum nomine maxime comprehendi v. 14. abunde docet) quamquam essent in Antonii exercitu (de Dacis vid. Dio. LI. 22. Plutarch. Anton. p. 945. de Aethiopibus Plutarch. l. l. p. 944. D.) neque suo ipsorum nomine bellum adversus Romanos molirentur; poeta tamen ab historiae veritate paullum discessionem facere remque ita adornare potuit hactenus, quod Cleopatra Antonio nupta imperio Romano immineret. Cf. I. 37. 6 — 8. Rei autem sic mire exaggerari invidiam, quis non sentit? Tum Dacos memorat, utpote fortissimam, maximeque Romanis timendam gentem. Cf. I. 35. 9. Urbs igitur *seditionibus* domesticis bellis *occupata*, districta atque impedita est, quo minus ingruentes externorum hostium copias arcere ac propulsare queat. — 15. *Hic* Aethiops, s. Aegyptius, *classe* navium copia ac magnitudine *formidatus*, metuendus, praestans; Dacus autem melior, bonus, peritus sagittandi arte.

v. 17. Altera calamitatum origo, mores antiqui, adulteriis, omnium flagitiorum seminariis potissimum subversi atque prostrati. Vide Argum. *Secula*, aetas nostra, *fecunda culpae*, ferax, abundans scelerum omnis generis proventu, ad quaevis vitia propensa, flagitiosissima, corrupta primum disciplina domestica. *Fecundum in fraudes hominum genus* similiter Sil. II. 498. *Culpam* verecunde de stupro dictum volunt Gesn. et alii; sed comprehendit h. l. omnia flagitia, e stupris prognata. Vulgarior enim ratio erat: Magna vitiorum seges provenit nostra aetate, ex quo primum matrimonia corrupta sunt. — *primum inquinavere nu-*

ptias, corrupere adulteriis matrimonia, primam morum labem adulteriis contraxere nostra secula. Μιαίνειν, χραίνειν, αἰσχύνειν λέχος similiter Graeci de adulterio. *Maculosum nefas* de eodem IV. 5. 21. — et inde *genus, et domos*, plerique interpretes de turpitudinis macula soboli inde, universaeque adeo familiae adspersa cogitant; sed est potius, corruperunt, depravarunt subolem, parentum similitudine non solum in corpus sed et in animum liberorum transfusa. *Quis enim non videt, et formas et mores — effingere a parentibus liberos? quod non contingeret, si hoc non vis et natura gignentium efficeret.* Cic. de Div. II. 94. Zenoni inde vis procreatrix dicitur σύμμιγμα καὶ κέρασμα τῶν τῆς ψυχῆς δυνάμεων ἀπεσπασμένον apud Plutarch. de ira cohib. p. 462. Hinc παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει, οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρὸς Eurip. in Dictye fr. XI. Idem in Antig. fr. XI., φιλεῖ γάρ οὕτως ἐκ κακῶν εἶναι κακούς. Ecdorus apud Stob. Flor. Grot. p. 365. ἐκ τοῦ κακοῦ γὰρ ἡ φύσις τίκτει κακόν· ὡς ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίνεται. Plura vide ad IV. 4. 29. Atque ita fieri haud poterat, quin malum istud, per plures *domos* s. familias diditum, universam tandem civitatem invaderet, moresque plane subverteret. — 19. 20. Inde, sc. ex hac adulterii labe, tamquam fonte, *derivanda* est, s. *fluxit* (pro quo ornate est *derivata fluxit*) redundavit *in patr. pop.*, in rempublicam *clades*, damnum gravissimum, inclinatis jam natura ad omnia flagitia animis, parentum culpa. Omnino pedestris forma erat: publice privatimque res Romana inde adflicta est, detrimenta cepit. Jam publicas calamitates, quae imperii Romani majestatem, labente ex his causis disciplina militari, attererent atque imminuerent, poetam *patriae* adpellatione innuere putandum; *populi* autem, privatas cujusque, quae eversam disciplinam domesticam sequerentur, puta jacturam rei familiaris, dignitatem, bonam existimationem cet. insito omnibus per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia desiderio. Vides igitur *populum* h. salutem cujusque civis opponi *patriae*, saluti imperii, reip. Romanae. Ad sententiam Catull. CXIII. *Consule Pompejo primum duo, Cinna, solebant moechi: illo facto Consule nunc iterum manserunt duo: sed creverunt millia in unum singula: secundum semen adulterio.*

v. 21. Hinc illud est, quod a tenerrima statim aetate feminae non tam prava institutione, quam ipsa natura duce, ad omnem lasciviam ac nequitiam proclives ferantur. Errant igitur, qui per-

versam juventutis Romanae, inprimis filiarum educationem, qua ad omnem mollitiem instituantur, et quae ipsa adulteriorum, dissolutaeque morum licentiae origo sit, a poeta inde a v. 21. pertractari atque exagitari opinantur. Sed hoc solum agit, ut demonstret, τὸ ἐγγενὲς liberorum a parentibus adulteris propagatorum turpitudinis contagione teneri, ad eademque flagitia eos prolabi, sicque civitatem pessumdari. *Motus* latius patet, quam intpp. volunt. Referendum enim non tantum ad saltationes, ut quidem exquisitior loquendi usus tam Graecorum quam Romanorum fert, sed omnino ad gestum, habitum corporis, atque incessum. Jam Ionum mollitia atque lascivia prae ceteris Asiae populis famigeratissima erat, adeo quidem, ut proverbio traducerentur ipsorum saltationes ac lasciviores gestus. Conf. Athen. I. 19. p. 22. ubi Ἰωνικὴ ὄρχησις in iis ab Aristoxeno refertur, quae διὰ τὴν χειρῶν κίνησιν ceteris praestent. Aristoph. Thesmoph. 170. ἐμιτροφόρουν καὶ διεκίνουν τ' (pro quo Toup. Emend. in Suid. T. I. p. 129. volebat διεκλῶντ' eodem sensu) Ἰωνικῶς h. ἁβρῶς, τρυφερῶς juxta Schol. quocum facit Hesych. Ἰωνικὸν, τρυφερὸν, ἢ ἐπὶ τοῦ κατεαγότος, ἢ θηλυκοῦ. Talem Asiaticam saltatricem describit Automedon ep. III. 1. (Anal. Br. II. 207.) nostri forte loci habita ratione: Τὴν ἀπὸ τῆς Ἀσίης ὀρχηστρίδα, τὴν κακοτέχνοις σχήμασιν ἐξ ἁπαλῶν κινυμένην ὀνύχων, αἰνέω, οὐχ' ὅτι πάντα παθαίνεται, οὐδ' ὅτι βάλλει τὰς ἁπαλὰς ἁπαλῶς ὧδε καὶ ὧδε χέρας. — *doceri gaudet*, effusissimo studio histrionum atque pantomimorum saltationes spectando, easque gestu atque incessu imitando. C. Ovid. A. A. III. 299. sqq. et 351. *Artifices lateris, scenae spectacula amantur: tantum mobilitas illa decoris habet.* Sed et privatae ac domesticae ipsorum institutioni feminas Romanas sese tradidisse, haud temere ex h. l. colligas. Factum certe sub Tiberii (conf. Tacit. Annal. IV. 14.) ac serioribus temporibus. Seneca ep. 90. *Itaque hinc textorum hinc fabrorum officinae sunt, hinc odores coquentium*, hinc molles corporis motus docentium, *mollesque cantus et infractos.* — *fingitur artibus* (tertio casu) componit vultum, habitum, incessum ad has artes, ad hanc mollitiem, libidinosamque lasciviam, qua viros venetur atque ad amorem pelliciat. *Libidinis* has *artes* similiter vocat Juv. XI. 172. — 23. 24. *Jam nunc*, sc. *de tenero ungui*, inde a prima aetate (cf. epigr. Automed. laud.) *meditatur*, pravas cupiditates vel *ad incestos amores* extendit, hos expetit. Graviter hoc a poeta adjectum, ut ostendat, prognatos a malis

parentibus pejores ipsis evadere, neque hoc pravae institutioni deberi, quum vel optime instituta educatio οὐ τὸ κακὸν — χρηστὸν ἂν θείη ποτε, Eurip. in Phoenice fr. VII.

v. 25 — 32. *Mox*, viro nupta, adultera fit. Mire hoc exaggeratum a poeta ad augendam turpitudinis infamiam. Non exspectat, dum sibi male repugnanti pudicitia extorqueatur, sed libidinis exstimulata intemperie *quaerit*, ultro adit, compellat, adque stuprum instigat, *adulteros*, viros, quibus pudicitiam suam substernat, *juniores* marito suo, (adposite hoc ad notandam ejus libidinem) *inter mariti vina*, ad coenam a marito hunc ad finem convocatos, vinoque ad libidinem irritatos. Praesente igitur, conscioque, atque lenocinante adeo marito foedo ac propudioso hoc sese mulier induit flagitio! Talem maritum designat Juven. I. 55. *doctus spectare lacunar, doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.* — *neque* fastidiosa est in eligendis amatoribus, aut furtim adulteros admittit, *sed* cet. Artificiose haec duo membra contexuit poeta. — *gaudia* paullo honestius in re turpi vocabulum, quo passim poetae utuntur. v. c. Ovid. A. A. II. 459. Vid. Barth. ad Claudian. p. 1331. — *impermissa* illegitima, flagitiosa, illicitos concubitus. — *raptim*, ut temporis momenta, furtis ejus accommoda, rapiat, iis celerrime utatur, et *luminibus remotis*, tenebris turpitudinem celet, atque adeo aliquam pudoris rationem habeat. — 29. *Sed* pudicitiam in propatulo habet, (ut Sallust. Cat. 13. de aetatis suae feminis) hosque solos sectatur, unde maxima lucri spes adfulget, ex adultera in quaestuariam versa. Ἐναργῶς igitur est *jussa*, *seu vocat*, evocata, expetita, arcessita ab *inst.* — *coram* convivis atque ipso marito. Juven. VI. 140. *Libertas emitur*, coram licet innuat, *atque rescribat; vidua est, locuples quae nupsit avaro.* Conf. ibid. v. 400. — *institor* dicebatur, qui demandata a domino negotiationis cura merces singulatim vel in taberna venderet vel ostiatim circumferret; cujus generis homines serviles aut sordidos saltem natales habuisse constat. Atque ii quidem, qui munditiarum muliebrium nugamenta venalia haberent, comtius vestiti ac molliori corporis cultui (Propert. IV. 2. 38. *mundus demissis institor in tunicis.* Adde Ovid. A. A. I. 421.) dediti ad nobiliorum feminarum amicitiam adrepere, easque muneribus tentare solebant. — 31. *Navis magistrum* fere intelligunt eum, cui totius navis cura mandata est, ναύαρχον, sed gravior oppositio est, si de patrono s. domino navis, ναυκλήρῳ s. navicula-

rio, accipias. Est enim: in promiscuo habet, utrum domino an servo copiam sui faciat. Plane uti V. 17. 20. *amata nautis multum et institoribus*. . . . Mercatores autem antiquitus ipsos suamet negotia curasse, longinquaque itinera mari fecisse, abunde constat; unde simpliciter nautae interdum dicti. Nave *Hispana* designari putem mercatorem Romanum, qui merces ex Hispania convehit; quae negotiatio tum quaestuosissima erat. Inest adeo vis in hoc epitheto. Ceterum mercatura apud Romanos, utpote gentem bellicosam, in nullo honore erat, etiamsi haud in tenui occuparetur, sed magna atque copiosa esset. — 32. His ultimae sortis hominibus morem gerit, sola pretii invitata magnitudine. Uterque adeo *pretiosus emtor*, qui magno emunt *dedecora*, stupra, adulteria.

v. 34. Flagitiosae seculi sui libidini, capitali reip. pesti, graviter opponitur antiquae simplicitatis, frugalitatis, severiorisque morum disciplinae, quibus domi militiaeque majores inclaruerant, remque Romanam centinuerant et ad summum fastigium evexerant, sanctissima imago, qua quidem vix efficacius quidquam ad commovendos animos cogitari potest. *Non his*, tam flagitiosis *parentibus orta* enata erat illa *juventus*, proles, quae maximas olim res terra marique patraret, maximosque exercitus deleret. Sed major δεινότης in specialibus notionibus, quibus hanc sententiam enuntiavit poeta. Jam pro primo Punico bello in specie memorantur pugnae navales ad Aegates commissae, quibus Romani ducibus Duilio et Lutatio Catulo *infecere*, tinxere *aequor* Siculum *sanguine* Carthaginiensium, rem Punicam gravissima clade adflixere. *Mare Siculum Poeno purpureum sanguine* in eadem re Noster II. 12. 2. — *Pyrrhus*, Epirotarum rex, a Tarentinis in auxilium adversus Romanos vocatus, hisque aliquot praeliis superior tandem a Curio Cos. ad internecionem victus est. Inter maximos duces princeps judicatus ab Hannibale. Cf. Aelian. V. H. XII. 23. — *Antiochus*, Syriae rex, Thoantis, Aetoliae principis, et Hannibalis impulsu Romanos bello adgressus, primum mari, duce Aemilio Regillo, dein terra ab Acilio Glabrione et Corn. Scipione devictus est. *Ingens* dictus, cum quod Syriam teneret, *viris*, *opibus*, *armis copiosissimam* (Flor. II. 8. cui eidem ideo l. l. *maximus regum* dictus) tum maxime, quod tanto adparatu illud adversus Romanos bellum moliretur, ut vix aliud formidolosius fama videretur. Ad cognomen *Magni* volunt quidam isto

epitheto alludi a poeta; parum opportune. — *dirum, abominatum parentibus* (V. 16. 8.) terribilem Romanis, significanti epitheto, judice quoque Quinctil. VIII. 2. Conf. Juven. VII. 161. Sidon. VII. 130.

v. 37. Sed hi ruri nati educatique sub dio opere rustico faciendo membra ad omnium laborum tolerantiam firmaverant. *Proles rusticorum militum* prognati a parentibus rusticis, luxuria ac desidia haud infractis, sed militia, agriculturaeque studio induratis; unde *mascula*, robusta, fortis. — 38. *docta*, a pueritia ad rusticorum operum molestias adsuefacta. Pro rusticis operibus in genere docte ac delecte poeta: *versare*, diffindere, comminuere *glebas*, utpote in agro aspero et aratu difficili, quae omnino antiquior apud Italos agri colendi fuit ratio. Vide, quem laudat doctiss. Boettiger, Dickson on the husbandry of the ancients T. I. p. 415. Plerique de agro bono et pingui accipiunt, quem satis sit ligone aperiri. Docte autem Sabellam s. Sabinam prolem (nam Sabinos ac Sabellos in promiscuo ponit Noster) innuit epitheto ad ligones translato. Ceterum diutissime apud hunc et alios quosdam Italiae populos prisca illa viguit morum asperitas, continentia, laborumque tolerantia, quae eos militiae aptissimos efficeret. Laudant Virg. Ge. II. 167. *Haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam, adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos extulit.* Adde Aen. IX. 603. sqq. quem locum, severiorem veteris Italiae incolarum disciplinam, admixtis, quos Noster habet, coloribus egregie adumbrantem, maximam partem huc transferre haud piget: *Durum ab stirpe genus, natos ad flumina primum deferimus, saevoque gelu duramus et undis; venatu invigilant pueri, silvasque fatigant; at patiens operum parvoque adsueta juventus* aut rastris terram domat (quod eodem modo accipiendum, ut in Horatii l.) *aut quatit oppida bello. Omne aevum ferro teritur* cet. — 40. Vix alios facile dari colores existimo, quibus luculentius atque probabilius domesticae disciplinae severitas adumbrari potuerit ab Horatio, quam hoc filiorum adultorum erga matres obsequio. Tum mirifice blanditur matris in re domestica curanda sedulitas (cf. V. 2. 41.) opposita vv. 41 sqq. — *matris ab arbitrium*, jussu; ad totam ῥῆσιν hoc spectat. — *severae*, durae, quam significanter h. l. *fustes*, ligna intellige, s. sarmenta, coenae adparandae inservientia. Sed alterum adultiorem filiorum aetatem, graviusque matris jussum praeclare invol-

vit. — Absoluto opere diurno, vesperi. Vespertinum tempus venuste admodum et ad rem adcommodate coloribus e vita rustica petitis adumbravit poeta. Ubi sol *abeunte curru*, abiens, longius recedens, ad occasum vergens, umbras montium *mutaret*, ampliaret, longiores induceret. Notissima Virgilii: *Et sol crescentes decedens duplicat umbras*, et: *Majoresque cadunt altis de montibus umbrae.* Sol *demit*, detrahit, solvit *juga bobus fatig.* opere diurno fessis, suaviter; quatenus occasus ejus detrahenda ea admonet. Eadem elegantia Ἠὼς ἐπὶ ζυγὰ βουσὶ τίθησι apud Hesiod. Ἔργ. 587. Adde Apollon. Rh. IV. 1629. ἦμος δ' ἠέλιος μὲν ἔδυ, ἀνὰ δ' ἤλυθεν ἀστὴρ αὔλιος, ὅς τ' ἀνέπαυσεν ὀϊζυροὺς ἀροτῆρας. Dictum inde Graecis vespertinum tempus βούλυσις, βουλυτός (Hom. Il. π. 779.) βουλύσιος ὥρη (Arat. Dios. 387.) ad quod passim alludunt poetae latini. Virg. Ecl. II. 69. *Adspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci*; et inde Ovid. Fast. V. 497. *Tempus erat, quo versa jugo referuntur aratra.* Adde Cic. ad Att. XV. 27. — *agens*, ἐπάγων, adducens tempus *amicum*, gratum rusticis, çessationem ab opere diurno, requiem. Ad solem vix bene referas.

v. 45. Graviter claudit γνώμη, ex argumenti ratione deducta: Natura ita comparatum esse, ut omnia longo annorum decursu corrumpantur, atque in deterius mutentur. Seneca de Benef. I. 19. *Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et in omne nefas labi. Quid non*, omnia *imminuit*, κάρφει, atterit, carpit, *dies*, tempus; temporis successu omnia deteriora fiunt. *Damnosa* ideo, damna, detrimenta adferens, mutata in pejus rerum conditione. Eadem ratione *damnosa senectus* dicta Ovid. Trist. III. 7. 35. — 46. *Aetas parentum*, γενεὰ, qua parentes nostri vixerunt, *pejor avis*, quae ipsa jam avorum aetate deterior fuit, (Senec. Thyest. 134. *Neu succedat avo deterior nepos, et major placeat culpa minoribus.*) nos *tulit*, protulit, iis nos facti sumus *nequiores*, improbiores; nosque a patribus nostris degeneres *daturi*, edituri sumus *subolem vitiosiorem*, nosmet posteri nequitia superabunt. Adposite laudant Aratea: (Phaenom. 123.) οἵην χρυσείην πατέρες γενεὴν ἐλίποντο χειροτέρην, ὑμεῖς δὲ κακώτερα τέξεισθε, cujus loci fundum Boettigerus acute judicabat Homeri Od. II. 276. Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται· οἱ πλέονες κακίους· παῦροι δέ τε πατρὸς

ἀρείους. Quae eadem opinio aureae, argenteae, ceterarumque deinceps aetatum subest figmento. Ceterum miram poetae virtutem in concinna, qua hanc sententiam eloquutus est, brevitate facile observabunt humanitatis studiosi.



ARGUMENTUM VII.



Argumentum hujus carminis in tenui quidem occupatum, sed praeclare prorsus tractatum docteque explicitum. Monet poeta Asterien quamdam, ficti haud dubie nominis puellam, de Gygis amatoris, qui in Asiam negotiatum abierat, fide admodum sollicitam, ut ne fidam vanis rumusculis aurem praebeat, justas, quibus istos discuteret, morae ejus causas interserendo, eosdemque ad ipsius inde probandam constantiam allegando. Quum autem suspiciones has maxime a peccandi illecebris, adversus quas nec ipsa Asterie satis obfirmata esset, poeta repetendas esse intelligeret; sedulo hortatur eam, ut paria cum Gygis constantia faciat, ipsique animum ab Enipei amore servet integrum. Insulsis intpp. super hujus carminis consilio ac descriptione excutiendis hariolationibus immorari nihil attinet.

Adnotationes.

v. 1. Initio statim poeta suspicionem, Asteriae de Gygis inconstantia injectam amoliri, ejusque vanitatem ostendere conatur. Hoc docet carminis totius indoles. Igitur *quid fles Gygen*, non tam est, cur tam molliter fers, cur tantopere te excrucias propter Gygis tui absentiam, quam potius, cur adeo contristaris, conquereris de Gyge tuo, admissa in ani-

mum perfidiae ejus ob longiorem absentiam suspicione? Vide vel. v. 4. — *Favonii* non proprie quidem Gygen *restituunt*, h. e Graecia in Italiam referunt, quum plane adversi sint inde solventibus; sed quatenus *in veris principio* (spirare incipiunt VII. Id. Febr.) *hibernum molliunt coelum*, (Plin. II. 47.) et mare navigabile reddunt, apte ideo h. l. *candidi* dicti, coelum hibernis nubibus obvolutum explicantes, ac mare tranquillum reddentes. Similiter *Favonium serenum* h., uti ipse explicat, *tranquillitatem facientem*, vocat Plaut. Merc. V. 2. 35 — *primo* praeclare adjectum, ad levandam puellae suspicionem — *beatum* factum, ditatum *mercibus*, e Bithynia advectis. Thyni et Bithyni, e Thracia coloni (Herod. VII. 75. Strabo XII. p. 541.) unius quidem originis, sed hactenus diversi, ut Thyni quidem adpellarentur, qui oram Ponto proximam, Bithyni autem, qui interiorem Ponti regionem incolerent. Atque ita quidem hos populos distinguit Herod. I. 28. et inde Eustath. ad Dionys. Perieg. 793. Adde Catull. XXXI. 5. Abolitum tandem Thynorum, quod antiquius videtur, nomen, et universa gens Bithyni adpellati. Atque hactenus recte Claudian. XX. 247. *Thyni Thraces arant, quae nunc Bithynia fertur.* Quam ferax ea regio rerum omnigenarum proventu fuerit, testatur Eustath. Dionys. l. l. τοὺς Βιθυνοὺς καὶ ναυτικωτάτους ἱστοροῦσι γενέσθαι ποτὲ (Βιθυνὸν ἔμπορον laudat quoque Lucian. T. III. p. 319. cf. I. 33. 7.) καὶ τὴν αὐτῶν γῆν καρποφόρον τε καὶ εὔδενδρον εἶναι φασὶ, καὶ λιθοτομίας ἔχουσαν, καὶ κρυστάλλους ἐν ὄρεσι φύουσαν, καὶ ἄλλα πολλὰ ἔχουσαν ἀγαθά. — *constantis fide*, antique, pro fidei, ut Ovid. Met. III. 341. ubi v. Heins. et Burm.

v. 5. Notis actus, tempestate compulsus, coactus *Oricum* adpellere, *Oricus*, urbs Epiri cum portu, qui cum Italiam e Graecia petentibus necessario adeundus, saltem praeter eum vehendum esset, Gygen non tam a recto cursu abreptum, quam potius, ut ad eum adpelleret, vi tempestatis coactum, ibique, ingruente hiberno tempore, detentum puta. — 6. *Post caprae sidera*, post ortum caprae. Stella ista, quae est in sinistro Aurigae humero, ortu et occasu suo tempestates excitare credita, quatenus mare per illud tempus procellis maxime infestatur. Arat. Phaen. 156. εἰ δὲ — καί τοι φάτις ἤλυθεν αἰγὸς αὐτῆς ἠδ' ἐρίφων, οἵτ' εἰν ἁλὶ πορφυρεούσῃ πολλάκις ἐσκέ-

ψαυτο κεδαζομένους ἀνθρώπους. De ortu autem, qui in IV. Cal. Oct. incidit, h. l. accipi debere, vix dubitandum videtur; nam occasus ejus in illud anni tempus (Calend. Jan. Hygin. XV.) cadit, quo mare veteribus clausum erat. Ita tamen volebat Lamb. — *insana*, insanos (*insani feriant sine litora fluctus* Virg. Ecl. IX. 43.) fluctus, vehementissimam tempestatem excitantia. — *frigidas n. . . . agit.* Ornate prorsus pro, te solam ibi nocte dieque cogitat, tuique desiderio contabescit, hocque tenerrimo cum adfectu pro, ibi invitus detinetur, haud irretitus retentusque amore cujuspiam feminae, quod suspicaris. Nam etiam hoc Asteries suspicioni occurrere voluisse poetam, facile ornatus docet ratio. *Noctes frigidas agit*, solus noctu, cubat, trito poetis loquendi usu. Ovid. Her. I. 7. *Non ego deserto jacuissem frigida lecto.* Idem Amor. III. 5. 42. *Frigidus in viduo destituere toro*, et A. A. III. 70. *Frigida deserta nocte jacebis anus.* Lucan. V. 806. *viduo tum primum frigida lecto, atque insueta quies uni nudumque marito non haerente latus.* Contra Theocr. II. 137. *καὶ νύμφαν ἐφόβησ' ἔτι δέμνια θερμὰ λιποῖσαν ἀνέρος.* Tibulli locum I. 8. 39. *quae frigore sola dormiat*, huc non traxerim. — *non sine multis lacrimis*, tui desiderio adsidue prorumpentibus. Ad idem designandum valet *insomnis*, curis somnum fugantibus.

v. 9. Rumusculos, qui forte de Gygis levitate ferrentur, quibusque Asterie maxime angeretur, ita occupat poeta, ut inde fidei ejus constantiam puellae magis adprobare conetur. Agnosce poetam vel in tenui. Vulgaris ratio ferebat: *Nuntius Chloës hospitae dicit*, suspirare eam. *Nuntius*, internuntius, qui Gygen in Chloës amorem pellicere conabatur. Proprie quidam accipiunt, et de nuntiis e Thracia (quod Chloë III. 9. 9. *Thressa* dicatur) Oricum missis cogitant, lepido satis commento. — *hospitae*, apud quam Orici deverterat. Debuere adeo Romae noti esse Chloës mores meretricii. — *sollicitae*, perdite amantis, amore aegrae. Sollicitudo omnino amori propria (Terent. Eun. I. 1. 14.) maxime ubi haud mutuus est, vel ab alio interceptus. Ita *Galli amores* dicit *sollicitos* Virg. Ecl. X. 6. Lycoride alium secuta, et Ciris *aestus sollicitos* Cir. 340. — 10. *Suspirare* itidem de vehementiori amoris adfectu. Auctor incert. c. XXXII. (Anal. Br. III. p. 157.) *Παιδείῳ, Θρασύβουλε, σαγηνευθεὶς ὑπ' ἔρωτι ἀσθ-*

μαίνεις, δελφὶς ὥς τις ἐπ' αἰγιαλοῦ κύματος ἱμείρων. Callim. ep. XLV. 1. *ἕλκος ἔχων ὁ ξεῖνος ἐλάνθανεν· ὡς ἀνιηρὸν πνεῦμα διὰ στηθέων, εἶδες, ἀνηγάγετο.* Noster V. 11. 10. ***amantem — arguit et latere petitus imo spiritus.*** Cf. Catull. LXIII. 97. Ovid Met. X. 402. — ***miseram***, efflictim amantem, et hoc pro tenui, illam. — ***uri ignibus tuis***, amore flagrare, incensam esse, tuo, tibi debito, quo te solo frui decet, consentaneum est, tui amantis. Ita ***oscula mea*** Tibull. I. 9. 78. *τὰ φιλήματά μου* Achill. Tat. IV. 8. et sic passim apud Ovid. et alios. Ceterum observa exquisitam poetae copiam in varianda amoris ardentioris notione. — ***tentat***, instigat eum ad amorem; proprio vocabulo. Ovid. A. A. I. 273. ***Vere prius — — femina quam juveni blande tentata repugnet.*** Senec. Hippol. 891. ***tentata precibus restiti.*** Idem exquisitus *τοῦ πειρᾶν* apud Graecos usus, de quo vide doctam Ruhnk. animadversionem ad Timae. Lex. p. 210. — ***mille modis***, variis artibus, nunc precibus nunc minis urgendo. — ***vafer***, vafre, astute.

v. 13. Jam artes, quibus Gygen nuntius ad Chloës amorem pellicere studeret, adponuntur a poeta. ***Refert***, exemplis edocet, ***mulierem tunc esse saevissimam, quum stimulos odio pudor admovet***, juxta Juven. X. 328. qui eadem fere exempla adfert v. 327. ***Nec Sthenoboea minus, quam Cressa, excanduit, et se concussere ambae.*** Fabulam de Bellerophonte a Proeti uxore frustra sollicitato pete ab Homer. Il. ζ. 155. sqq. — ***Mulier*** uxor Proeti; Anteam Homerus adpellat, Sthenobaeam alii. — ***perfida*** erga maritum, amore ejus in Bellerophontem verso; vel simpliciter, fallax, mendax, Bellerophontem adulterii apud Proetum maritum insimulando, ***credulum*** illum, fidem his delationibus habentem. — ***criminibus***, criminationibus, intentati sibi ab eo stupri. — ***impulerit, maturare***, graeca structura pro, ut maturaret, pararet necem, in ipso aetatis flore eum exstingueret. — ***nimis casto***, cui castitas sua paene exitiosa fuisset. ***Tetricum*** ideo ***domitorem Chimaerae*** vocat Ovid. Trist. II. 397. ***quem leto fallax hospita paene dedit.***

v. 17. Narrat easdem Peleo ab Hippolyte, Acasti, Magnesiae regis (unde ***Magnessa***) uxore, repulsam passa, insidias, quibus paene succubuerit, structas. De fabula vid. Pind. Nem. IV. 92. sqq. et ibi Schol. Cf. intpp. ad Anton. Lib. p. 257. Verh. — ***datum Tartaro***, exstinctum, occisum. Dictum eadem forma, qua ***dare leto*** Ovid. l. l. et Virgilio saepius. — dum ***fugit abstinens***

docte et copiose pro, amores ejus aspernatur, eam aversatur. — 19. Nunc blande eum adgressus, *movet historias*, narrationes incipit, profert, *peccare docentes*, quae ad amorem irritant, amatorias, familiari Nostro hujus verbi usu. Vid. ad I. 27. 17. Magis tamen ad rem videtur esse, si proprie accipias: exempla profert, quae docent, fidem in amore admodum lubricam esse, saepius istoc modo in amore peccatum esse. Exquisitior apud poetas τοῦ *movere* usus, pro, ordiri, exponere. Vid. Bentl. h. l. — *fallax*, subdole, ut irretiat eum Chloës insidiis.

v. 21. Vel sic tamen impelli nequit, sed perstat in fide tibi data. *Audit surdior* docto oxymoro pro: *audit*, movetur his vocibus *surdior*, non magis, quam scopulus undis movetur, h. immobilior est scopulo. Color orationis desumtus ex Eurip. Med. 28. ὡς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος κλύδων ἀκούει. Unde Senec. Hipp. 580. *Ut dura cautes undique intractabilis resistit undis et lacessentes aquas longe remittit, verba sic spernit mea.* Philodem. c. XX. 6. (Anal. Br. II. p. 88.) τοῦτ' ἐβόων αἰεὶ καὶ προὔλεγον, ἀλλ' ἴσα πόντῳ Ἰονίῳ μύθων ἔκλυες ἡμετέρων, quem forte ob oculos habuit Noster. Nam et is generali μύθων utitur vocabulo, ut *vocum* Horatius. Adfine est adagium, αἰγιαλῷ λαλεῖν, ἐπὶ τῶν ἀνηκούστων quod habet Zenob. Cent. I. 38. in Adag. Schott. p. 12. — *Icarì*, maris Icarii, v. ad I. 1. 15. — *adhuc integer* nedum amore ejus tactus; ut II. 4. 22. — 22. *At* tu vide, ne Enipei amorem in animum tuum admittas, fidemque Gygae datam laedas. Sed paullo urbanius hoc expressit poeta. — *plus justo*, quum alii addicta sis.

v. 25. *Quamvis* hoc paullo excusatius facias: quandoquidem Enipeus iis praepollet virtutibus, quae maxima amoris invitamenta esse solent. Ex gymnasticis exercitationibus, in quibus principatum Enipeus teneret, commemorat equitandi ejus natandique peritiam. Eadem in eadem re habet Tib. I. 4. 11. 12. *Hic placet angustis quod equum compescit habenis; hic placidam niveo pectore pellit aquam.* Cf. I. 8. 3. sqq III. 12. 6. — *Non alius conspicitur*, cum vi, ut qui inter ceteros in hac arte longe praecellat, pro tenui, nemo facile est, qui *aeque* atque ille *sciat*, calleat *equum flectere*, pro generali, regere, qui adeo equitandi arte aeque excellat. Adparet inde, Enipeum equestris fuisse ordinis, qui quidem maxime vacaret his campestribus exercitationibus. — *in gramine*, campo *Martio*; ut *gramina campi Mar-*

tii I. 1. extr. — 27. 28. Nec quisquam est, qui *citus aeque*, aeque cito, *denatet* deorsum secundo flumine natet. — *alveo Tusco*, fluvii ab Etruria venientis, Tiberis. Celeritas igitur natandi in maxima virtute habita. Forte ejusmodi certamina inter se instituere solebant natantes.

v. 29. Idem Ovidii praeceptum Amor. II. 19. 38. *Incipe jam prima claudere nocte domum.* — *nec despice in vias*, aurem praebendo Enipeo, vel omnino amatoribus, limen tuum obsidentibus, atque παρακλαυσίθυρον canentibus. Declaratur hoc *cantu tibiae*, isti inservientis, quod vel hic locus ostendit. — *querulae*, querentis de tua duritie. Pertinet adeo ad amantium querelas, cantu isto proditas. Atque ita majorem vim habet epitheton (etiam propter sqq.) quam si de tibiae sono querulo explices. *Despicere* plane exprimit Gr. παρακύπτειν, quod eadem elegantia adhibuit Aristoph. Pac. 981. monente Dacer, Adde ejusdem Thesmoph. 797 et 804. — 32. *difficilis*, dura, aspera, χαλεπή. Tibull. I. 8. 27. *Nec tu difficilis puero tamen esse memento.*



ARGUMENTUM VIII.



Maecenas, quum Kalendis Martiis, ipso adeo Matronalium die, ad festas epulas ab Horatio invitatus esset, neque, quid poeta sibi caelibi cum importuno solennium adparatu vellet, perspiceret; ingenue ipsum, ne mala sedulitate risum moveret, monuerat, magnoque doctrinae adparatu (quem innuit v. 6.) ostenderat, in causis, quae plurimae ad originem hujus solennitatis deducendam allegarentur, (sex causas hujus sacri adnumerat Ovid. Fast. 177 *sqq.) ne unam quidem, quae eum in partem hujus sacri vocaret, reperiri.*

Horatius igitur respondet Maecenati hoc carmine, (festive nonnulli intpp. Maecenatem ipsius domum intrantem, conviviique adparatu stupentem a poeta hoc carmine excipi autumant, inducti forte vv. 13. sqq.) veraque sacri causa exposita, ut huncce diem sepositis curis publicis (erat enim Maecenas tum temporis praefectus Urbi; v. v. 17.) hilarissime secum agat, adhortatur. Sacrae autem Junoni, utpote conjugiorum praesidi, erant Kalendae Martiae, magnaque eas matronae prosequebantur religione; unde Matronalium nomine ipse iste dies festus insignitus erat. Conf. curate de eo agentem Ovid. l. l. et Tib. III. 1. 1. Ad a. U. DCCXXXIV. hoc carmen referri oportere, patet e vv. 17 sqq.

Adnotationes.

v. 1. Quid agam, quid struam, quid inceptem, quae me intemperiae agant; fere ut I. 14. 2. *O quid agis?* — quod ego, qui *caelebs* sim, Kalendis Martiis sacrum adparem. Docte hoc atque explicate duobus membris poeta extulit. Festae erant Kalendae Martiae matronis Romanis, sacra isto die Junoni pro conjugii felicitate facientibus. Vide Argum. Jure igitur Maecenas miratur, Horatium hoc Matronalium die, qui neutiquam ad coelibes pertineat, alieno prorsus tempore feriari. Ad Porphyrionis aetatem solenne istud perdurasse docet ejus Schol. „Kalendae Martiae hodieque matronarum dies festus est.“ — 2. Docte poeta sacrificii adparatum sigillatim percenset. *Florum* usus in re sacra frequens ac multiplex. Junonis effigiem isto die floribus coronatam fuisse, diserte tradit Ovid. Fast. III. 253. *Ferte Deae flores: gaudet florentibus herbis haec Dea; de tenero cingite flore caput.* — Pro ture ad sacrum parato docte est *acerra turis plena,* arcula turaria (uti recte jam Torrent.) unde tus in foco adolendum expromebatur. Eodem colore Virg. Aen. V. 745. *et* plena *supplex veneratur* acerra. Male nonnulli de turibulo cogitant. — *et carbo*, carbones *positi* , ingesti *cespiti vivo*, arae e cespite

viridi exstructae, cespititiae, quales in privatis sacrificiis usitatae. *Focum vivi cespitis* adpellat Calpurn. Ecl. V. 25. et *foculum vivi cespitis* pariter Auson. Ephem. Parechas. 13. Cf. I. 19. 13. — 5. *Docte*, qui probe calles, tenes *sermones*, *μύθους*, *utriusque linguae*, tam graecae quam latinae, (*lingua doctus utraque* Martial. X. 76. 6.) qui utriusque populi antiquitatem, literis consignatam, ritus adeo atque sacra cum ipsorum causis atque originibus egregie perspecta habes. Unde Maecenatem, ad festas epulas ab Horatio Kal. Martiis invitatum, vix aliud quidquam hujus diei sacrum, exceptis Matronalibus, in tota antiquitate reperiri, neque haec ullo modo ad caelibes pertinere, poetae significasse probabile admodum videtur.

v. 6. Poeta Baccho, qui praesentissimum mortis periculum, arboris trunco ipsi intentatum, a cervicibus suis depulisset, sacrum se votivum isto die debere ait, tanquam agresti, ac speciatim hortorûm (praeter vitium enim pomorum quoque inventio atque cultura ei tributa. Μῆλα Διωνύσου inde dicta Philetae apud Schol. Theocr. II. 120. unde Διόνυσον τῶν μήλων εὑρετὴν recte cogit Athen. III. p. 82. D.) eidemque poetarum tutelari numini. Vide ad I. 1. 29. et II. 19. Qua eadem de causa Musis salutem suam acceptam fert III. 4. 27. eandemque Fauno II. 17. 27. utraque de causa. Absone igitur Gesnerus h. l. „Bene *Liberō*; iste enim *laetitiae dator* semper aderat conviviis." — *Voveram* (in cujus temporis mire quosdam argutari videas) *dulces epulas et caprum*, docte pro, vov. caprum, dulcem s. gratam Deo victimam; ne diversa a poeta innui harioleris. Eo tamen ferri putandi, qui *dulces*, lautas interpretantur. Ceterum hirci in Bacchi sacris immolatio satis frequens ac pervulgata. — *Album* ob sacrum Deo supero faciendum dici autumant; sed ornat simpliciter. — 7. eo die, quo *prope funeratus*, oppressus, exstinctus essem procumbentis *arboris ictu*, casu, ruina.

v. Observa ornatum et copiam poetae h. l. Absoluta sententia erat: hic dies *festus*, mihi solennis erit, festa istum laetitia agam *anno* in se *redeunte*, volvente, quotannis; sed cumulate atque explicative modum adjecit poeta, quo dies iste transigi oporteat. Suaviter quoque *hic dies* — *demovebit* pro vulgari, hoc die *demovebitur* detrahetur *cortex* s. suber *pice adstrictus*, illitus, obturatus (cf. ad I. 20. 3.) *amphorae* graece pro, ab amphora, quod ornate est pro, amphora relinetur, aperietur, et hoc

docte pro: hunc diem festa quotannis compotatione celebrandum institui. Idem orationis color in Theocr. VII. 147. Τετράενες δὲ πίθων ἀπελύετο κρατὸς ἄλειφαρ. Tibull. II. 1. 28. *Chio solvite vincla cado.* — 11. Amphorae optimae notae, quae vetustissimum vinum continet. Pro hoc poeta, ex veteri condendi signandique vini ratione, *institutae*, paratae, destinatae, adornatae, hocque pro, coeptae *fumum bibere*, imbibere, maturitatemque contrahere, quod est omnino pro, in fumario repositae Cos. Tullo. De more veterum, vina in superiore aedium parte, quae fumo pervia, unde vetustescerent, amaritudinemque traherent, reponendi, nota omnia. Vid. Colum. I. 6. 20. Barry tamen (Class. on the Vines of the Ancients p. 64.) de doliis intelligit, quae ante quam iis vinum, in vasa testacea inde transfundendum, inderetur, variis aromatum generibus fumigarentur; parum adposite huic loco. Jam annum vini conditi Coss. nomine in cado notari solitum, poeta Tulli consulatu designat; qui quidem, si L. Volcatium Tullum, cum Lambino et aliis intelligas, incidit in a U. DCLXXXVIII. collega M. Aemilio Lepido; unde XLVII. annos conficias, si carmen nostrum a. U. DCCXXXIV. adsignes. Sed hanc aetatem negant ferendam esse in vino, *quod fumo praecocem maturitatem traxerit* (Colum. I. 6.) inducti maxime Ciceronis (Brut. 83. *Nimia vetustas nec habet eam, quam quaerimus suavitatem, nec est jam sane tolerabilis*) et Plinii (H. N. L. XIV. 4. *Non alia res majus incrementum sentit ad vicesimum annum, majusve ab eo dispendium.*) locis. Sanadonus itaque cum Massono (Vit. Hor. p. 128 sqq.) ad a. DCCXXI. refert, quo Caesar Octavianus II. et L. Volcatius Tullus Coss. fuere. Ita vero fuisset vinum XIII. annorum, idque satis vetustum habent. Sed amat omnino poeta aetatem vini, quod praestantissimum haberi vult, ad natales suos referre. Sic. III. 21. 1. *O nata mecum consule Manlio* quod ad testae aetatem inepte Massonus l. l. refert, et V. 13. 6. *Tu vina Torquato move Consule pressa meo.* Anno autem ante natum Horatium Consulatu functum fuisse Volcatium Tullum constat. Quid? quod ulteriora tempora spectat *cadus*, *Marsi duelli memor*, III. 14. 18. Ut taceam, non eandem omnium vinorum esse naturam, maturescendique rationem.

v. 13. Praeclare poeta, adparando convivio intentus, ipsum statim repraesentat, et convivas ad bibendum exhortatur; more

Nostro perquam familiari. Vid. ad II. 7. 21. — *Sume* cet. Largiter hodie te vino invita. Sed suavius, et ad Maecenatem urgendum fortius est, quod ista pocula *amici sospitis*, propter amicum e periculo servatum, exhaurienda ait; quam blandam vim Maecenas vix amoliri a se posset. *Cyathus*, sextarii pars duodecima, cochlearis forma, inserviebat vino et aqua in cratere temperando, (vid. a III. 19. 11.) et inde effundendo in pocula. *Centum* magnum omnino vino isto die bibendi copiam designat. Notatu tamen digna sunt, quae Acron habet: verbo usus est convivarum, *centum cyathos;* (adde) poscentium. Notum autem, cyathos et poculum dici ejus, in cujus honorem bibitur. Cf. ad III. 19. 9. — *et vigiles luc. p. in lucem*, totam noctem genialiter mecum traduc. *Lucernarum* in convivii nocturni designatione frequens admodum atque valde adposita mentio. *Perfer vigiles* (ita jungere satius erit) fac ut vigiles (*vivas* dicit III. 21. 23.) sint, continuo luceant *in lucem*, s. diem usque. Ad sententiam cf. III. 21. 21. Propert. IV. 6. 85. — 14. Haec a poeta tanquam in compotatione, quam animus ejus, morae impatiens, praecipit, a convivis paullo liberius agitari coepta, sumta magistri bibendi persona, aut omnino pro hospitii jure pronuntiari putanda, quibus venuste admodum Maecenati, convivium sine tumultu ac rixa celebratum iri, spondet. Adposite igitur *esto*, poeta praesentes convivas ac tumultuari incipientes increpante. Phantasmatis igitur suavitatem non cepere qui *esto* pro, erit, dictum volunt. Multo autem magis recta via exerrare censendi, qui non convivantium *clamorem*, et *iram* s. tumultum ad rixas et altercationes progressum, sed vel vim hostilem ac proelia, vel negotiorum forensium ac civilium, quae Maecenatem a convivio prohibiturae sint, strepitum intelligi debere opinantur. Denique ad vini vim innocuam (ut *innocens Lesbium* I. 17. 21.) quod caput haud gravet, a clamore adeo atque rixis bene potos immunes praestet, trahi videas; quae satis longe petita videtur ratio.

v. 17. Totum te hodie da mihi, et recte animum civilibus curis exsolvere potes, quum ab externo hoste omnia tuta sint. Erat scilicet Maecenas tum temporis (a. U. DCCXXXIV.) Praefectus Urbi, absente atque occupato in Oriente Augusto, cujus adeo vices per totam Italiam sustinebat. *Mitte*, sepone, abjice *curas civiles*, sollicitudinem de salute civitatis publica, utpote vanam; *super Urbe*, quam Urbi praefectus geris. Docte his adje-

ctis designatur magistratus iste amplissimus; ab Augusto ei demandatus. — 18. Securitatem imperii externam speciatim, ut poetam decebat, Maecenati, quo obsequentiorem eum haberet, ostendit, adnumeratis, qui nuper victi subactique essent, populis. *Daci Cotisonis agmen,* paullo doctius quam, Dacorum agmen, Daci, qui, fines Romanos continuis incursionibus (unde forte cum virtute Dacorum *agmen* dictum) infestantes duce rege ipsorum, Cotisone, *occiderunt*, gravissima clade adfecti sunt a Lentulo a. U. DCCXXXIV. Cf. Sueton. Octav. 21. Flor. IV. 12. — *Medus*, Parthi *infesti* nobis, utcunque nostro infensi imperio; nisi potius copia poetica adjectum dicas sqq. *sibi dissident,* quod graece est pro, a se; (ut II. 2. 18. *dissidens plebi*) discordant inter se *armis luctuosis*, bellis civilibus; discordia civili, quae vires ipsorum atterit, ita distinentur, ut externo bello vacare nequeant. Respicit autem poeta intestinas post Phraatem a Scytharum rege *soliò redditum* (II. 2. 17.) in ejus regno turbas, Teridatis, regno dejecti, partibus ob immanem illius crudelitatem continuo rebellantibus. Atque inter ipsa haec bella civilia Romanis signa cum captivis a Phraate, metu externi belli (ut Strabo tradit l. XVI. 748.) hoc ipso anno (DCCXXXIV.) reddita fuisse constat.

v. 21. *Cantabri*, bellicosissima Hispaniae septentrionalis natio, hoc ipso demum anno, post insignes clades, ac difficulter admodum ab Agrippa devicta. Cf. Dio LIII. 25. et ad II. 6. 2. *Servit domitus catena*, copiose et cum vi pro, plane subjugatus est, in servitutem redactús est; nam victi antea multoties rebellaverant, tum vero in provinciae formam ab Augusto redacti erant. Ideo *vetus hostis*, in quo perdomando diu frustra laboratum fuit, qui diu nos exercuit; qui adeo praeclare respondet *sera catena.* — *Scythas* communi nomine populum dixit, Istri accolam, quem *Gelonum* II. 9. 22. adpellat. Hos ultra Istrum a Lentulo submotos praeclare designant illa: *meditantur* cum maxime in eo sunt, ut coacti a Lentulo *cedant* excedant *campis*, citerioris Istri ripae, finibus Romanis, quos continuis incursationibus vexaverant. — *arcu laxo*, quam exquisite pro, victi; imposita hac ipsis pacis conditione, quo simul pugnandi ipsorum ratio ostenditur. Eodem orationis colore Antipat. Thess. XX. (Anal. Br. II. 113.) de Parthis: Στέλλευ ἐπ' Εὐφρήτην, Ζηνὸς τέκος. — δήεις δὲ φόβῳ κεχαλασμένα τόξα,

Καῖσαρ. Nemesian. Cyneg. 74. 75. *Imbellemqne fugam referam*, clausasque pharetras *Parthorum* laxosque arcus, *et spicula nulla.* Sil. III. 612. *Huic* laxos arcus *olim Gangetica pubes submittet*, vacuasque *ostendent Bactra* pharetras. De his ipsis Scythis Senec. Oed. 469. Laxavit victos arcus, *Geticasque* sagittas, *lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.* Cf. Ovid. Fast. V. 593. Trist. II. 227.

v. 25. Quocirca, missis curis civilibus, quibus recte supersedere potes, da te hodie hilarem. *Negligens parce*, copiose et ornate pro alterutro, *negligas*, omittas (ut I. 28. 30. 3. *parcas*, φεῖδου, nolis *nimium cavere*, ne nimis sollicitus sis, *ne qua* parte *populus* Romanus, resp. *laboret*, detrimentum capiat, *privatus*, quum sis privatus. Principi scilicet comparatus, cujus respectu omnes privati dicebantur. Vide Gesn. Subblandiri ita Augusto, omnia incolumia atque tuta praestanti, ut poetam voluisse credam, quod nimis acute statuunt nonnulli, a me impetrare haud potui. Est igitur: publica te privatum ne nimis angat cura, ne praesentis temporis tibi fructus pereat, ista intercipiatur. — *Dona horae* tempus quod tibi Deorum munere datum est, quo frui licet, quippe *praesens*, certum, in quod jus habes, *cape*, ne elabi sine, eo fruere *laetus*, hilariter, genio indulgendo. *linque severa*, omissis seriis, abjectis curis.



ARGUMENTUM IX.



Mellitissimum, atque ipso Iulio Scaligero judice, certo alioquin Venerum poeticarum osore, omni nectare dulcius odarium! cujus quidem causas a sensuum atque adfectuum, quos hoc carmen plane exprimit, veritate repetendas esse, in promtu est perspicere. Atque hanc naturalem simplicitatem auxit adjuvitque poeta adsumta carminis amoebaei forma, cujus ea potissimum natura est atque in-

doles, ut alter, qui respondeat, ad alterius sensus orationem suam plane conformet, ita tamen, ut vel ejusdem sententiae vim acuat, atque exaggeret, vel eam penitus infringat. (Artificiosius, quamquam minus suaviter, carmen suum amoebaeum instruxit Virgil. Ecl. III. 60. *Theocritum sequutus.) Repraesentat igitur hoc carmen duos amantes, mutuis utrinque suspicionibus vexatos irisque inde distractos, eosdemque e jucundissima pristina amoris recordatione ad redintegrandum eum cupidos; quod plane ad animi humani naturam attemperavit poeta, post mutuas demum sugillationes, et ipsos tecti amoris indices, (Ita Terent. Eun. III.* 1. 58. *tu par pari referto, quod eam mordeat, Thr. Siquidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho.) amantes ad pacem tentandam accipiendasque conditiones perducendo. Qui neque hac levioris argumenti tractatione venustissima, neque nativa orationis simplicitate, neque numerorum aptissima facilitate commoveatur atque deliniatur, is Musis Gratiisque iratis se natum jure habet, quod conqueratur.*

Adnotationes.

v. 1. *Donec* ego *gratus*, acceptus *tibi eram*, amore tuo fruebar, amabar a te. Eadem venusta simplicitate Propert. I. 22. 7. *Olim* gratus eram; *non illo tempore cuiquam contigit, ut simili posset amare fide*, — 2. Nec quisquam a te mihi praeferebatur. Hoc ornate atque venuste admodum poeta extulit. *Potior*, potiore apud te habitus loco, quem magis amares; solenni hujus vocis usu. Plaut. Cas. 1. 24. *Tune illam ducas? hercle me suspendio, quam tu ejus* potior *fias.* Nota Tibulli: *At tu* qui potior nunc es, *mea fata timeto.* Jam Callim. ep. XXVI. ὤμοσε Καλλίγ-

νωτος Ἰωνίδι μήκοτ' ἐκείνης ἕξειν μήτε φίλον κρείσσονα μήτε φίλην. Terent. Eun. I. 2. 71. *Sine illum* priores partes *hosce aliquot dies* apud me habere. Cf. V. 15. 3. — *brachia dabat cervici*, circumdabat cervicem tuam, amplectebatur te. — *candidae*, pulchrae. — 4. Felicissimus eram mortalium, pro quo ἐναργεστέρως poeta comparative: *beatior vigui*, vixi, (ut III. 26. 1.) fui, (adjuncta tamen felicitatis, quam ex Lydiae amore caperet, notione) *rege*, regibus (de certo enim aliquo vix cogitandum) *Persarum*; quorum quidem opulentia, enataque inde luxuries famigeratissima. Cf. Juven. XIV. 328. et ad I. 38. 1. Est igitur: ditissimos maximosque reges felicitate mihi antecedere videbar. Exquisite exornavit vulgare proverbium poeta, quod est apud Plut, Poen. III. 3. 58. Rex sum, *si ego illum hodie hominem ad me illexero.* Faciunt huc adprime Tibulli I. 8. 34. *Huic tu candentes humero suppone lacertos, et regum magnae despiciantur opes.* Et Propert. I. 14. 13. *Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges, quae maneant, dum me fata perire volent*, h. dum felici mihi in amore esse licet.

v. 5. — 9. Donec non *alia*, alius puellae amore *arsisti*, tenebaris, me unice amasti. *Ardere aliqua* familiari Horatio structura. Vid. ad II. 4. 7. Αὔξησιν in *arsisti*, τοῖς *gratus eram* opposito, in promtu est sentire. — 6. *Neque erat Lydia*, illa tam efflictim a te olim amata Lydia, cujus nomen semper in ore gerebas, quam venuste pro vulgari, neque ego eram *post Chloën*, ei non posthabebar, Sententia generalius ita efferenda erat: Donec me omnibus anteferebas puellis; sed Chloën in specie nominando, sibi ab Horatio praelatam, exsuscitatos pristini amoris igniculos prodit Lydia, novum ipsi amorem molliter exprobrans. — 7. Non arrogantia quadam, sed significanter admodum Lydiae nomen repeti putandum: Lydiae nomen celebratissimum erat poetae carminibus; in omnium ore fuit Lydia. Ornatum autem et copiam in enuntianda hac sententia, quo fortius animum feriret, observa. Suffecerat alterutrum, *magni nominis*, magna fama *vigui*, florui, fui; aut *clarior* fui *Ilia*, Romuli matre, maximum inde nomen adepta.

v. 9. Haud inficiatur amores suos poeta, et, quo magis ureret Lydiam, se tenerrimo ei adstringi amore, ultro fatetur. Etiam laudes puellae haud temere adspergi, in promtu est intelligere. *Chloë* libertina, *Thressa*, e Thracia oriunda. Novum hoc ei nomen, dum Romae degeret, inditum, aut, quod probabili-

us videtur, a poeta effictum, carminibusque frequentatum. — *me regit*, ejus amore obstrictus teneor, misere eam depereo: nota poetarum loquendi ratione, qua amatores puellis servire, puellae autem imperium exercere, regnum habere dicuntur, ut in vulgus notum. Vid. Burm. ad Propert. III. 8. 18. — *docta modos*, artis cantandi perita. — *dulces* auget peritiam ejus; nisi forte simpliciter ornat. — *et citharae sciens*, graece κιθάρας εἰδυῖα, citharistria. Ita Callim. ep. XXXVII. Battiadem poetam εὖ εἰδότα ἀοιδὴν vocat. Utraque laude eademque loquendi ratione Timotheum impertit Alexander Aetolus VI. 2. (A. Br. 1. 419.) κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων adpellando. — 11. *non metuam mori*, haud recusabo mortem, lubens moriar. — 12. Si per fata ei superstiti esse liceret, si vitam ejus morte mea redimere possem. Pro *ei* quanto efficacius *animae*, dulcissimae puellae meae. Nisi respueret oppositio v. 16. forte praestaret: si alteri animae meae parti, quae mihi superstes futura est (seu potius, ut mihi superstes sit) h. Chloae meae dilectissimae fata parcent plane ut II. 17. 5. *Ah te meae si partem animae rapit maturior vis, quid moror altera? Nec carus aeque nec superstes integer*; eadem quidem sententia. Ceterum tenerrimi amoris affectum vividissime ita declarari, monere vix opus est. Similiter in Homonoeae epitaphio apud Wernsdorff. Poet. lat. min. T. III. p. 214. *Si pensare animas sinerent crudelia fata, et posset redimi morte aliena salus: quantulacunque meae debentur tempora vitae, pensassem pro te, cara Homonoea, libens.*

v. 13. *Torret*, accendit, inflammat me Calais *face*, amoris igne *mutuo*, paullo brevius pro, ego amore in Calain incensa feror, ejusque mutuum experior, ei aequo ardore respondeo. *Torreri* de amore gravi satis frequentatum latinis poetis; veluti Catull. C. 7. E graecis adponere juvat suavissimum Sophoclis fragm. ex ejus Hippod. servatum; Πέλοψ ἴυγγα θηρατηρίαν Ἔρωτος, ἀστραπήν τιν' ὀμμάτων ἔχει· ἐνθάλπεται μὲν αὐτὸς, ἐξοπτᾷ δέ με. Theocrit. XXIII. 34. ἀνίκα τὰν κραδίαν ὀπτεύμενος ἁλμυρὰ κλαύσεις· cui eidem Lycidas ὀπτεύμενος ἐξ Ἀφροδίτας dicitur VII. 51. Et Callim. ep. XLV. 5. Ὤπτημαι μεγαλωστὶ, μὰ δαίμονας. — 14. *Thurini*, e Thurio, Lucaniae oppido oriundi. Ornytus igitur inter eos referendus, qui Romam, ut multi id temporis, fortunarum suarum sedem facerent. A patria autem designatur Calais, ex oppos. Chloës Thressae. — 15. *bis patiar*, haud recusarem mori. *Bis*

autem, quo gravius vicissim doleret poeta. — *puero* forte respectu Horatii, jam adultioris; in quo adeo vis est.

v. 17. En luculenter comprobatam Terentii gnomen: *Amantium irae, amoris redintegratio est*, Andr. IV. 3. 20. Quo calidiores enim amantium irae, tanto celerius defervescunt. Animi igitur humani natura plane adumbrari a poeta existimandum, quod exasperatis cum maxime utrimque animis renovandi pristini amoris cupiditatem ostendit. — *prisca Venus*, amor pristinus. Parum subtiliter h. l. versari poetam, Venerem nunc proprie nunc metaphorice intelligendo, in promtu est videre. Neque admodum poetam adjuves, si ita accipias locum: Quid? si Venus *prisca*, quae aliquandiu nos deseruit, iterum redeat, nos jugo coactura. — *Diductos*, sejunctos, solutos jugo, cui antea juncti eramus, amore pristino novis utrimque dissoluto. Errant, qui boves, unde imago ducta est, uni quidem adhuc jugo adhaerentes, sed in diversa abeuntes dici autumant. Jam enim Horatius cum Chloë, Lydia autem cum Calai uni jugo subjecti erant. Ad rem I. 33. 10. *Veneri placet impares formas atque animos sub juga aënea saevo mittere cum joco.* — *cogit jugo*, iterum subdit, nos denuo conjungit. — *aëneo*, firmo, nullis dissidiis posthac solvendo. — 19. *Chloë flava*, quantumvis pulchra; praeclarum h. l. epitheton quo facilius reconcilietur Lydia, puellae pulchrae, eidemque praeclaris artibus ornatae (v. 10.) praehabita. — *excutitur* sc. jugo, ne dubita. Nunc enim Horatius et Chloë, mutuo amore connexi, uni jugo subjecti erant. Pessime et contra linguae rationem explicant, ejicitur, excluditur domo mea, sicque novo errori vers. seq. sese implicant. — 20 S. iterum *patet janua* (ut Tib. I. 2. 9. *Janua jam pateas uni mihi victa querelis*) *Lydiae* in secundo casu), aditus ad te pateat, si me iterum admittere velis. Male de Horatii janua cogitant, et *Lydiae* dandi casu poni existimant. — *rejectae*, quam per aliquod tempus neglexi, Chloae posthabui. Ovid. Met. IX. 606. *Et*, si rejicerer, *potui moritura videri.*

v. 21. *Sidere pulchrior* (quod praeclare respondet τῷ *flava*). pulcherrimus, nota comparatione. *Egregiae praeclarum sidere formae* puerum laudat Stat. Silv. III. 4. 26. *Principem corusco sidere pulchriorem* Claudian. XI. 1. Idem *sidereos artus* XXXI. 3. — 22. *levior* mobilior *cortice*, subere, mutabilis, atque inconstans in amore. Ovid. Amor. II. 9. 49. *Tu levis es*, *multoque*

tuis ventosior alis, de Cupidine. Eodem sensu Cynthiae *formam levem* adpellat Prop. II. 4. 28. *Leviorem pluma* talem hominem vocat Plaut. Menaechm. III. 2. 23. — 23. Solennis irati cum tempestuoso mari comparatio. De Myrtale I. 33. 15. *fretis acrior Hadriae curvantis Calabros sinus.* — *improbo*, turgido, procelloso. *Improbum* enim poetis omne dicitur, quod modum excedit; res notissima. — 24. Tamen *tecum amem*, praeferam, exoptem *vivere*, potius vivam; *tecum* (suaviter, et cum adfectu hoc repetitum) *obeam libens*, lubenter in hoc amore ad mortem usque perseverem, nullius amplius amorem expetam. Idem votum Lydiae Horatius exposuerat I. 13. extr.

ARGUMENTUM. X.

En carmen παρακλαυσίθυρον (cujus particulam jam I. 25. 7. 8. vidimus) justum atque omnibus numeris absolutum. Conqueritur amator exclusus de Lyces duritia, quae sui nocte intempesta ante fores ejus humi jacentis haud misereatur; monet, ne superbia sua Veneris iram aliquando in se provocet, itaque superbas aliquando fastidientium amatorum vices experiatur; mox convitiatur (vv. 11. 12.), convitiis adjungit preces atque obtestationes; minatur denique, sese tales injurias haud aequo amplius animo laturum, eamque derelicturum. Magnam jucunditatem adfert hominis indignatione pariter atque amore aestuantis imago; tum orationis ornatus satis quaesitus est ac elegans, qui tamen passim graecum exemplum prodit. Comparentur cum Nostro Plaut. Curc. I. 2. 60 sqq. Ovid. Amor. I. 6. et Propert. I. 16. 17.

Adnotationes.

v. 1—4. O quae durior atque saevior es, quam mulier Scythica. Sed insigni ornatu instruxit, exquisitaque conversione nobilitavit hanc comparationem poeta. *Si Tanain biberes*, si Tanais accola esses (v. ad II. 20. 20.) si Scythiae oras inhabitares. — *extremum* longe dissitum, terrae habitabilis ultimum fluvium. *Terrarum* enim *termini Tanais* et *Nilus* habiti juxta Plin. prooem. l. III. Unde de longinqua fuga Propert. II. 30. init. *tu licet usque ad Tanain fugias* cet. Scythae autem veteribus omnes remotiores septentrionis populi dicti, propter coeli, cui subjacent, inclementiam, truculentia ac feritate immanes. — 2. Verba *saevo nupta viro*, comparationi intpp. inferunt, hoc sensu, et praeterea nupta esses Scythae saevo, cujus vel mores asperi asperiorem te reddidissent, vel cujus ferocia tibi timenda esset. Equidem aut de Lyces marito intelligam, a quo ipsam, dum saevitiam ejus exprobrat, abalienare conetur, (quo eodem spectant vv. 15. 16.) aut, quod simplicius idemque verius judico, τὸ *saevo* omnino ad gentis istius feritatem designandam putem adjectum. — 2. tamen mei misertura esses. *Plorares*, doleres, indignareris, (ut V. 5. 47. et II. Epp. I. 9.) haud sustineres, *me objicere*, vix me objiceres, objectum s. expositum patereris *Aquilonibus* — *porrectum ante fores*, multo significantius, quam, jacentem, excubantem ante fores *asperas*, tuas puellae asperae, durae. Ad rem Aristaen. II. 20. Ἀστρώτους καὶ χαμαικετεῖς κοιμήσεις ἐπὶ θύραις ποιεῖσθε, καὶ λιπαρῶς ἱκετεύετε μόνου ῥήματος τυχεῖν ἀξιοῦντες καὶ δακρύοντες κατόμνυσθε τοὺς θεούς. *Crudeles rigido cum limine postes* eadem elegantia Ovid. Am. I. 6. 73. Cf. I. 25. 5. — *incolis*, docte, qui plagae Scythicae dominantur, ibi domestici sunt; nota ratione, qua ventis sedes suae adsignantur. Ita mare τέμενος Ἀνέμων simpliciter dictum Philetae apud Stob. Flor. Grot. p. 262. Vide ad I. 25. 11.

v. 5. *sqq.* Tempestatis violentiam non generatim, id quod satis alienum ab h. l. erat, sed iis tersi judicii poeta adumbrat coloribus, quos ex ipsa re, ut ita dicam, natos ductosque adpareret. Exquisitam poetae copiam agnosce in his, *quo strepitu remugiat ventis* (quod ἐπεξηγητικῶς adponi putandum) pro, quanto ventorum strepitu, quam graviter *janua* strepat, crepet, *nemusque remugiat*, ventis commotum resonet, fragorem edat. *Mugire*,

mugitus, de sono graviori solennia. Cf. III. 29. 37. Martial. I. 50. 20. *Bruma impotens Aquilone rauca mugiet.* — 6. *nemus inter tecta satum*, viridarium in tecti impluvio consitum. Noster I. Epp. 10. 22. *Nempe inter varias nutritur silva columnas.* Juv. IV. 6. *Quid refert — quanta nemorum vectetur in umbra.* Cf. Tibull. III. 3. 15. Diversa ab his arboreta, in domorum tectis posita, passim a VV. DD. confusa; veluti Delrio ad Senec. Thyest. 465. — *pulchra*, adcommodate, nam, luxus iste ad lautiorum tantum aedificia pertinebat. Unde et ipsam Lycen lautioris fortunae fuisse haud temere statuas. — *Jupiter* qui est *puro numine*, Jupiter purus, (ut *Jupiter frigidus* I. 1. 25. *malus* I. 22. 19. et saepissime alibi) aer purus, coelum sudum: *glaciat*, congelat, in glaciem mutat *nives*; aëre enim sicco ac puro frigus est acrius atque intentius. Πάγος αἰθρίου φανέντος Sophocl. in Amat. Achill. apud Stob. Flor. Grot. p. 263. — *positas*, per humum sparsas, haud diffluentes; ex oppos. *pluviae. Positas pruinas*, Propert. I. 8. 7. laudarunt jam alii. Adde Ovid. Fast. II. 72. *posita sub nive terra latet.* Ceterum multos, atque ipsum Bentlejum adeo, male habuit verborum junctura, *audis ut glaciet*, parum memores, uni verbo duas saepe numero ac plures adeo paullo diversas enuntiationes adaptari, e quo aliud, alteri membro congruum, elici oporteat. Res oppido multis animadversa. Hujus ipsius συλλήψεως exempla apud Aeschyl. Prom. 21. ἵν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτῶν ὄψει Hom. H. Apoll. 265. εἰσοράασθαι ἅρματα τ' εὐποίητα καὶ ὠκυπόδων κτύπον ἵππων. Verum quidem est, quod nonnulli hic adferunt, verba sensuum inter se permutari, veluti κτύπον δέδορκα Aeschyl. Theb. 103. et Propert II. 12. 49. *Vidistis moto sonitus procurrere coelo*, sed minus adcommodata haec ratio est h. l.

v. 9. Tralatitiae sunt amantium artes, quibus puellas sibi conciliare student, ut Venerem arrogantiae ac superbiae ultricem ferant. Agath. XIX. 7. (A. Br. III. 40.) Κύπρις γὰρ τὰ μὲν ἄλλα παλίγκοτος· ἓν δέ τι καλὸν ἔλλαχεν, ἐχθαίρει τὰς σοβαρευομένας. Ipsa Venus apud Eurip. Hippol. 6. σφάλλω δ' ὅσοι φρονοῦσιν εἰς ἡμᾶς μέγα. Tibull. I. 8. 28. *Persequitur poenis tristia facta Venus.* et v. 69. ejusdem elegiae: *Oderunt, Pholoë, moneo, fastidia Divi.* Exemplis antiquis rem communivit Lambin. — 10. Sententia versus perspicua: Noli nimis arrogans esse, ne e felicitatis tuae fastigio subito dejiciaris, h. ne amatoribus, quos jam pluri-

mos habes, subito destituaris, ii te prorsus deserant. Nam in multitudine amatorum ipsa Lyces sita erat felicitas. Sed de proverbiali, quae quidem videtur, loquendi ratione recte exponenda admodum laboratur. Nos, missis plerorumque intpp. ac VV. DD. doctis ineptiis difficilibusque nugis, rem ipsam videamus. Si poeta simpliciter dixisset, cave, ne currus retro labatur, satis expedita foret ratio, quae prospera fortuna currui adsimuletur, qui citato cursu recta antrorsum via feratur: eidemque retro lapso, fortuna in contrarium subito mutata. Quod retulerim equidem loca Virgilii Aen. II. 159. *Ex illo fluere ac retro sublapsa referri spes Danaum;* et Ge. I. 200. *Sic omnia fatis in pejus ruere ac retro sublapsa referri.* Ovid. ex P. IV. 9. 9. 10. *Si fatis genitus melioribus essem, et mea sincero curreret axe rota.* Plin. H. N. VII. c. 44. *Quos non honores currusque* (ratione triumphalis currus habita) *illa sua violentia Fortuna retro egit?* Eadem fere imago in Cic. Brut. c. 97. *cujus* (Bruti) *in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem transversa incurrit misera fortuna reipublicae.* Eadem plane ratione fortuna secunda cum cursu comparatur Ovid. Fast. VI. 362. *Spes erat in cursu.* Hinc ἀναστρέφεσθαι simpliciter de mutata in pejus fortuna; veluti Palladae LXX. 7. (Anal. Br. II. 422.) ἀνεστράφη γάρ πάντα νῦν τά πράγματα, et eidem LXXIII. 1. (Anal. Br. l. l.) ἀνεστράφησαν ὡς ὁρῶ, τὰ πράγματα, καὶ τὴν Τύχην νῦν δυστυχοῦσαν εἴδομεν, quae postrema explicative adjecta sunt. Sed quum ista *funis* mentio impediat, quo minus universae poetae imagini satisfaciat; satius erit, illorum sequi sententiam (cujus quidem auctor habendus est Heynius ad Virg. Aen. II. 169.), qui rotae fune inductae machinam intelligunt, qua moles in altum eleventur; quae quidem praegravantes nimio pondere funem nimis intentum rumpant, ipsaeque cum rota revoluta praecipites ruant. Jam quum felicioris sortis homines solenni ratione in summo fastigio collocati; iidemque, adversam nacti, retro ruere (adposite Liv. XLV. 41. *Postquam omnia secundo navium cursu in Italiam pervenerunt, neque erat quod ultro precarer; illud optavi, ut,* cum ex summo retro volvi fortuna consuesset, *mutationem ejus domus mea potius quam resp. sentiret*) dicantur; valde adposita haec felicitatis cum mole in altum promota videri debet comparatio. Laudant Aristid. Panath. p. 118. ἐντεῦθεν ἤδη πάντα, ὥσπερ κάλου ῥαγέντος, ἐχώρησεν ὀπίσω, καὶ διελέλυτο Ἀμαζόσιν ἥτε ἀρχή·

Eandem Nostri sententiam eadem hac imagine exhibent Lucian. Dial. Meretr. III. extr. p. 286. σὺ δὲ πάνυ χαλεπὴ ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ γεγένησαι, καὶ ὅρα, μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν, Ἀπορρήξωμεν πάνυ τείνουσαι τὸ καλώδιον (quem Lucian. locum laudat Diogenian. Prov. Cent. III. 89. prava proverbii adjecta interpretatione, et Suid. Cent. III. 38. p. 369. Schott.) et luculentius Aristaenet. Epp. II. 1. p. 72. Abr. χρῆσαι τοῖς γνησίοις ἐρασταῖς φιλικώτερον· πείθου μοι καὶ τῆς ἀμετρίας ἀπόσχου. ὅρα μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἀπορρήξωμεν πάνυ τείναντες τὸ καλώδιον· μηδὲ λάθῃς λοιπὸν εἰς ἀγερωχίαν μεταβαλοῦσα τὸ φρόνημα· οἶσθα δὲ, ὅσον Ἔρως ἀντιστρατεύειν τοῖς ὑπερηφανοῦσι φιλεῖ· Unde satis frequentatam hanc Graecis fuisse, recte suspiceris. — 11. Non te parens *Tyrrhenus*, Etruscus, *genuit* alteram *Penelopem*, ut, Penelopae instar, *difficilis*, aspera, saeva fores *procis*, amatoribus; te, Hetruria oriundam, commodis moribus, facilemque amatoribus esse convenit. Unde Hetruriam, pristinae simplicitatis atque rusticitatis oblitam cum artium elegantia, elegantiores quoque atque lasciviores mores induisse, iisque infamem fuisse recte colligas: quod etiam aliunde satis constat. Vid. v. c. Athen. XII. 3. p. 517.

v. 13 *sqq.* Jam quasi per lancem saturam cumulate adponit omnia poeta, quae expugnandae ejus superbiae vim aliquam habitura sperare posset. Pedestris sententiarum enuntiatio atque connexio erat: Quod si neque munera, neque preces cet. tantum apud te valent, ut votis te meis obsequentiorem praebeas; miseratione saltem permota aedes tuas mihi, nocte hac intempesta misere pereunti, recludas, me admittas. — 14. Neque, quod amore tuo penitus conficior, contabesco. Suaviter et ornate haec extulit poeta. *Pallor amantium*, amantibus proprius; de quo sexcenties poetae. Vide, si tanti, loca a Burm. ad Prop. I. 1. 22. congesta. — *tinctus viola*, colore violaceo, subflavo. De amante itidem Calpurn. IX. 40. 41. *Eheu nulla meae te tangit cura salutis, pallidior buxo, violaeque simillimus erro.* Χλωροτέρα δὲ Σάπφω ἐμμὶ Sappho V. 17. (A. Br. I. 56. Cf. ad Virg. Ecl. II. 46. — 15. Neque hoc, quod *vir*, maritus tuus, *saucius* est amore, (Virg. Aen. III. 1.) amat *pellicem*, puellam, alius amore distinetur. — *Pieria*, Thessala, peregrina adeo, quae Romam se contulisset. Alii citharistriam intelligi volunt, a Piero, Thessaliae monte, Musis consecrato, ita dictam; parum probabiliter. — 16. *curvat*, obstinatum animum tuum frangit, faciliorem te reddit,

Χρυσὸς ἐπιγνάμπτει τὰς σοβαροβλεφάρους Paulus Sil. XVI. 6. (Anal. III. 76.) — at *supplicibus tuis*, tibi toto animo deditis, *parcas*, ne tam misere perire sinas amatores tibi supplices factos, ante januam prostratos; misereat te saltem istorum. — 17. 18. O tu quae *nec mollior*, durior es, cujus animus non magis flectitur quam *rigida aesculus*, et quae *nec mitior*, immitior *animum*, crudeliori es animo, asperior anguibus. *Mauris* auget saevitiae notionem. Vulgare adeo esset: o duri atque saevi animi mulier! Atque hanc orationis conversionem etsi satis commodam poetaque haud indignam judicem: vel sic tamen jungere malim: *parcas nec mollior* (sc. οὖσα pro εἶναι) cet. quod graeca structura dicatur pro simplici, ne tam dura atque immitis sis tuis amatoribus. — 19. 20. Preci-us minae adjectae, ex more amantium. Theocr. ξ. 122. μηκέτι τοι φρουρεῦμες ἐπὶ προθύροισιν, Ἄρατε, μηδὲ πόδας τρίβωμες· ὁ δ' ὄρθριος ἄλλον ἀλέκτωρ κοκκύσδων νάρκαισιν ἀνιηρῇσι διδοίη. Sensus: non semper injurias noctis perferam, ante fores tuas excubando. — *latus* delecte de se ante januam porrecto (supra II. 7. 18. *latus depone*) — *patiens erit*, sustinebit adcumbere *limini* operto. — *aut*, et *aquae coelestis*, pluviae, imbrium; ut in Anthol. Lat. T. I. p. 703. epigr. 292. 10. Sero igitur tuae te poenitebit arrogantiae. Cf. I. 25. 9.



ARGUMENTUM XI.



Pauca admodum Horatii exstant carmina, quae artificiosissimo contextu cum nostro comparari possint; ut adeo minime mirandum sit, justum ejus nexum a bono Homio desiderari, ceterosque fere omnes interpretes in ejus descriptione egregie alucinari. Nos, missis iis, statim ad explorandum Horatiani ingenii incessum studium atque cogitationes nostras convertemus. Lydes, puellae asperae et feroculae, animum carmine exoraturus

poeta, Mercurium, inventorem lyrae, ipsamque Lyram, tanquam numen, invocat, ut sibi in re tam ardua ac difficultatis plena praesto sint, ipsique modos suppeditent, quibus Lydes duritia emolliatur. Invocationi laudes ac virtutes Lyrae, more priscorum Hymnorum, adnectit, itaque ad loca infera delatus effectus ejus in summis Inferni cruciatibus gravissimos ac plane stupendos vividissime designat, sicque fortuito potius quam quaesito transitu in Danaidum saevitia, hujusque poena exponenda immoratur, eamque masculo colorum vigore plane adumbrat. Atque hoc egregio ac divino prorsus artificio in medium argumentum, quod tractandum sibi proposuerat, nosmet subito deductos sentimus a poeta, quem docte adhuc προοιμιάζειν existimabamus. Scilicet gravissima hac crudelissimarum Danaidum poena proposita Horatius Lyden docere voluisse putandus est, superbiam illam delicatam atque fastidiosam a Diis gravissime vindicari. Jam sponte intelligitur, poetae maximae laudi ducendum, quod alii vitio ei verterint; fabulamque Danaidum primarium carminis argumentum constituere. Tractatio ipsius fabulae admodum lyrica; eloqutionisque ornatus ac dignitas admirabilis.

Adnotationes.

v. 1. De incessu ac progressu sententiarum vid. Argum. *Mercurium* invocat poeta, tanquam inventorem lyrae, ejusdemque scite pulsandae artificem solertissimum: res notissima. Vide ad I. 10. 6. — Solennem in Deorum invocationibus formulam, δύνασαι γὰρ, *namque potes* (veluti Agath. XXXIII. 5. A. Br. III. 45. ἀλλὰ θεὰ, δύνασαι γαρ, ἢ ἡβητῆρα μὲ τεῦξον cet. Val. Flac. II. 490. *Adnue, meque precor, defectaque Pergama monstris eripe,*

namque potes.) varie a poetis exornatam (tanquam Virg. Aen. I. 65. *Aeole namque tibi Divom pater* cet.) Horatius quoque h. l., miros lyrae ejus effectus celebrando, insigniter nobilitavit. Vulgaris ordo atque structura erat: Dic carmen (v. 7.) lyra, quod obstinatam Lyden expugnet, ut qui vel lapides cantu animare potueris. — *docilis te magistro*, edoctus a te, usus te magistro, tua opera *movit* cet. *Amphionem* ipsam Mercurii lyram accepisse, eodemque in arte musica usum esse magistro, diserte tradit Appollod. III. 5. 5., auctores poetas secutus. Ita enim Paus. IX. 5. p. 921. Ὁ δὲ τὰ ἐπὶ τὰ ἐς Εὐρώπην ποιήσας, φησὶν, Ἀμφίονα χρήσασθαι λύρᾳ πρῶτον Ἑρμοῦ διδάξαντος. Πεποίηκε δὲ καὶ λίθων καὶ θηρίων (hic excidere quaedam) ὅτι καὶ ταῦτα ᾄδων ἦγε· Μύρων δὲ Βυζάντιος, ποιήσας ἔπη καὶ ἐλεγεῖα, Ἑρμῇ βωμόν φησιν πρῶτον ἱδρύσασθαι Ἀμφίονα, καὶ ἐπὶ τούτῳ λύραν παρ' αὐτοῦ λαβεῖν. Adde Schol. Eurip. ad Phoen. 116. apud Valken. p. 122. Quo quidem cantus ejus declarari excellentiam, facile intelligitur. Quam ipsam designat poeta ab effectu. *Movit*, effecit *canendo*, ut lapides *moverentur*, attraherentur, mutuoque nexu in muros Thebanos erigerentur; res nota. Λίθον ἄπνεον εἰς δρόμον ἕλκων λυρόκτυπος Nonn. Dionys. V. 67. Notissimus Nostri locus, Art. Poet. 394. sqq. *Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis, saxa movere sono testudinis et prece blanda ducere, quo vellet.*

v. 3. *Testudinem* scite pro lyra poeta adhibuit, ad originem ejus in seqq. allusurus. Antiquissimam ejus formam descriptam habes apud Homer. H. Merc. 47 sqq. ubi vide intpp. Fundus seu τὸ κῆτος ibi est testa testudinea, quae continebat intendebatque sonum. — *callida*, quae calles *resonare*, quae scite resonas *septem nervis*, omnino pro, septem chordis instructa, λύρα ἑπτάχορδος, ἑπτάτονος, ἑπτάφθογγος, ut passim poetae. Etiam Homer. H. l. 51. ἑπτὰ δὲ συμφώνους οἴων ἐτανύσσατο χορδάς. — 5. Quae *olim*, antequam nervis inducereris, *nec loquax*, canora, vocalis eras. *Loqui* docte de lyrae sono. Λύραν ἀδυεπῆ habes apud Pind. Ol. IX. 13. et ἀδύλογον Ol. VI. 162. Homer. Od. ρ. 270. ἐν δέ τε φόρμιγξ ἠπύει. Virg. Aen. IV. 646. *Obloquitur numeris* cet. et saepius alibi. Vide ad IV. 8. 4. — *neque grata*, ἀχρεῖος, nullius usus, quippe muta. Sed alterum posuit, ex oppositione sqq. Ad terribilem testudinis speciem referebat Gesnerus, quod utique mireris. — *nunc*, cantui adaptata, *amica*, quam suaviter pro, adhibita lautiorum *mensis*, epulis: Similiter δαιτὸς ἑταίρην vocat Hom.

Il. l. 31. et Od. p. 271. δαιτὸς συνήορον Od. ϑ. 99. — *templis*, festis Deorum sacris, choreis celebrari solitis. (Unde χοροίτυπος Hom. Il. l. 31.) et ipsis sacrificiis, ut I. 36. 1. Testatur quoque Porphyrii nota ad h. l. „Fidicines hodieque Romae in sacrificiis adhiberi videmus.“ Cf. Boettig. Blanditur autem lyrae poeta, commemorandis honoribus ejus, quo faventiorem experiatur. — 7. *Dic modos carminis*, ede cantum, cui *aures adplicet*, aurem praebeat, auscultet Lyde, quo obstinatus (pro quo ornate ipsae aures *obstinatae* dicuntur) ejus expugnetur animus.

v. 9. Quae puerilibus adhucdum intenta lusibus, amores aspernatur, nihil curat. Puellarem hanc ferociam ac lasciviam vivida admodum comparatione repraesentavit poeta, secutus Anacr. LXI. 9. 10. Πῶλε Θρηϊκίη τί δή με νηλεῶς φεύγεις; — νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι, κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις. Juvenilem puellarum levitatem iisdem fere coloribus depictam dedit Sophocl. Trach. 147. sqq. τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται χώροισιν αὑτοῦ· καί νιν οὐ θάλπος θεοῦ, οὐδ᾽ ὄμβρος, οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ· ἀλλ᾽ ἡδοναῖς ἄμοχθον ἐξαίρει βίον ἐς τοῦθ᾽ ἕως τις ἀντὶ παρθένου γυνὴ κληθῇ. — *latis campis*, ubi liberrime vagatur — *Ludit exsultim*. σκιρτῶσα παίζει, exsultat, lascivit. Unde σκίρτημα μόσχου Polyxenam tenerae aetatis puellam absolute adpellat Eurip. Hec. 526. *ludere*, παίζειν, pro salire; pervulgato loquendi usu. — *metuit tangi*, tactum refugit, se tangi haud sinit. *Metuere* φυλάττεσθαι pro nolle ut II. 2. 7. *Tangere* θίγειν, (Eurip. Hippol. 1044. γυναικὸς θίγειν unde ἄθικτος, ἀθιγὴς de innupta apud Grut. Inscr. p. 898. IX. et Reines. p. 301. 5. Cf. Hesych. v. ἀθικτοίας.) honesto vocabulo in re turpicula. E Latinis poetis exempla congessit Schrader. ad Mus. p. 204. — 11. *nuptiarum expers*, γάμου, λέχους ἄπειρος, itidem verecunde pro, quae equum nondum admisit. — *cruda*, immatura, dura, aspera *marito*, quae nondum patitur equum *protervum*, libidinosum, συνουσίας cupidum; ducta a pomi immaturis imagine. Vide ad II. 5. 9. Nostrum expressit Stat. Theb. VII. 298. *expertem thalami, crudumque maritis ignibus, ante diem cupido violabit amore improba connubii.* Cf. Martial. LXIV. 11.

v. 13. *sqq.* Effecta Orpheae lyrae. Conf. I. 12. 7 — 12. *Tu potes tigres ducere*, non proprie accipiendum (nam *ducere* ad *comites silvas* magis spectat) sed, est, tu ferocissima animalia domas, mansueta reddis, adeo quidem, ut deposita saevitia cum

minoribus feris concorditer ludant. Cf. Claudian. XXXIV. 25. — 28. — *comites* παρακόμπους (Orph. Arg. 260. καί μοι παράπομπος ἔβαινες, οὔρε' ἀποπρολιποῦσα, uti felicissime persanavit locum Ruhnk. Ep. crit. II. 239.) ornate adjectum. — 14. *rivos* fluvios quantumvis *celeres*, rapidissimum fluminum cursum *morari* inhibere. Cf. ad I. 12. 9. 10 — 15. *Tibi blandienti*, tuis blanditiis, tuo suavissimo sono delinitus Cerberus. *Lyra blanditur*, dulcissimos edens modulatus; suaviter admodum, ut θέλγειν gr. veluti Homer. Od. μ. 44. Apoll. Rh. I. 27. θελκτὶς ἀοιδὴ Apoll. Rh. I. 515. λιγεῶν μειλίγματα Μουσῶν Theocr. XXII. 221. μαλθακόφωνοι ἀοιδαὶ Pind. Isthm. II. 14. — *cessit* retro, non prohibuit Orpheum aditu, propter te. — *Janitor*, excubans in limine, vestibulo *immani*, vastae, horrendae Plutonis regiae. Nam ad hanc proprie epitheton spectat. Alii ad Cerberum trahunt, minus commode; quum designandae aulae s. locis inferis cum maxime inserviat, et Cerberi immanitas vv. sqq. demum subjiciatur.

v. 17 — 20. Monstrum quantumvis horrendum ac tetrum. Hoc, quo vividior rei imago sensui subjiceretur, specialibus exornavit poeta notionibus iisque ad nostrum quidem sensum parum gratis, a quibus tamen, ad horrorem quippe in legentium animis commovendum efficacissimis, haud abhorruere Virgilius aliique tersissimi judicii poetae. — Pro villis *centum angues muniunt*, cingunt, ambiunt, unumquodque ejus *caput* (nam tricipitem h. l. fingi patet e v. 20.) *Furiale*, Furiarum instar, quibus Furiae incinguntur; ut apud Liv. VII. 17. *sacerdotes eorum* facibus ardentibus, anguibusque praelatis, incessu Furiali *militem Romanum insueta turbaverunt specie.* Alii caput furiale, Cerberi furialis, furibundi explicant; haud male utique. Serpentes autem cum omnibus fere antiquitatis monstris, ad horrorem compositis, cumulate adficti, cum Cerberus Typhonem et Echidnam parentes habebat, Hesiod. Theog. 311. *consanguinea redimitum terga caterva* dicit Tibull. III. 4. 87. et serpentinam ei caudam nonnulli tribuunt. Ad nostrum allusit Senec. Herc. fur. 784. sqq. *trina vasta capita concutiens sono regnum tuetur: sordidum tabo caput lambunt colubrae: viperis horrent jubae; longusque tota sibilat cauda draco.* Adde Lucan. VI. 665. — 19. *Spiritus teter*, tetri, foedi odoris; cujus causa *sanies* spuma tetra (hoc iterum suppl.) pestilens, *manans*, magna copia ore profluens. Ortum ex hac spuma aconitum, vulgaris narratio est. Vid.

Plin. H. N. XXVII. 2. Inter venena *oris Cerberei spumas* refert etiam Ovid. Met. IV. 500. E v. *manet* ad priora (spiritus teter) generalius verbum eliciendum, exeat, prodeat; nota figura; quamquam hoc ipsum loquendi genus poetica ratio haud reformidet. — *trilingui* docte Cerberum τρικάρηνον innuit. Vid. Intpp. ad Hygin. p. 262.

v. 21. Eadem progressio, eademque formula II. 13. 37. De *Ixione* rotae alligato vid. Heyn. ad. Virg. Ge. IV. 484. De *Tityo* v. ad II. 14. 8. — *risit* s. riserunt, voluptatem cepere, deliniti sunt tuo cantu, hocque vultu prodiderunt *invito*, quem ad hilaritatem componere admodum difficile erat, propter summos cruciatus, quibus continuo adficerentur. Mira suavitas in oppositis *risit* et *invito;* tum ἐνάργεια magna in enuntiationis brevitate. Adfine est Homericum (Il. ζ. 484.) δακρυόεν γελάσασα, et Stat. Achill. I. 194. *ficto risit Thetis anxia vultu.* — Etiam Danaides laborum oblitae sunt, tuo cantu attonitae. De fabula vide Apollod. II. 1. et intpp. ad Hygin. 168. p. 283. — *urna*, urnae singularum, quibus aquam, in dolium perforatum fundendam, haurirent, *paullum*, aliquamdiu *siccae steterunt*, h. cessarunt aliquantisper ab haurienda aqua Danaides, *dum grato* cet. suavi tuo cantu permulsae.

v. 25. De praeclaro artificio poetae v. Argum. *Audiat*, cum vi, in animum suum penitus admittat, perpendat, Danaidum exemplo admonita Lyde superbiam aliquando exuat. *Scelus* necatorum sponsorum, eique inflictas *poenas*, aquae in pertusum dolium infundendae. — *notas*, quibus infames (ut III. 4. 70. notus *et integrae tentator Orion Dianae*) factae, poetarumque carminibus traductae sunt. — 26. *et inane . . . imo*, ἐπεξηγητικῶς haec adposita, docteque ab antecedentibus disjuncta. *Dolium inane lymphae*, quod non continet infusam aquam, quippe *pereuntem*, effluentem statim ex *imo fundo*, qui perforatus est. Hinc ὑδρείας Danaidum ἀτελεῖς vocat Aeschin. Axioch. 21. et ipsum dolium τετρημένον Plato in Gorgia p. 231, unde nonnulla delibavit Zenob. Cent. II. 6. in Ad. Schott. p. 28. — *fata*, poenas, divinitus constitutas, ut saepius. — *sera*, vel post mortem luenda. Declarative ideo adjici puta, quae *manent* destinata fato inevitabili (vid. ad I. 28. 15.) constituta sunt *culpis* sceleratis hominibus. Tibull. I. 9. 77. *At te poena manet, ni desinis esse superba.* — *sub Orco* in locis inferis, post mortem.

v. 30. *Impiae*, detestandae, exsecrabiles, ἀνόσιαι. Magna vis in repetito *impiae*. Utrumque autem graviter pro tenui, illae. — *quid* enim *majus*, ecquod gravius scelus admittere in se *potuere?* ita adpellare istas scelestas consentaneum est. — 31. *potuere*, cum emphasi, sustinuere (ut in Propert. II. 25. 9. *Lynceu, tune meam* potuisti *tangere curam*? et saepius alibi) haud reformidarunt, sponsos *ferro perdere*, occidere. — *duro*, immiti, ad scelus procuso et adhibito; ut enses impii, horrendi (veluti Tibull. I. 10. 1. qui et *artem* cudendi ferri *immitem* vocat I. 3. 48.) arma saeva et innumera alia. Ad ferri naturam nemo, nisi ineptus, trahat.

v. 33. Excepta una Hypermnestra. Sed eximiam hanc puellam, quo magis ceteras deprimeret, vide quantis laudibus condecoraverit poeta! *Una*, unica *de multis*, de tot puellis. — *face nuptiali digna*, propter humanitatis sensum tali conjuge digna. Faces in nuptiis sponsis praelatas fuisse, in vulgus notum. Unde *taedae jugales*, *faces maritae* cet. solennia de conjugio. — 34. *in* erga *perjurum*, jura hospitalia violantem, perfidum, scelestum *parentem* Danaum. — 35. *mendax erat*, fallebat eum, promissis, jurejurando confirmatis, non stando. Sed *splendidum* erat mendacium, quod ipsi maximae laudi cedebat, honorificentissimum erat, quippe οὐκ αἰσχρὸν ἡγητέον, εἰ τὸ σωθῆναί γε τὸ ψεῦδος φέρει, ap. Sophocl. Philoct. 110. Sed paullo acutius hanc ῥῆσιν Noster extulit. Simplicissime Pindarus, quem Lamb. laudat, Nem. X. 10. Οὐδ' Ὑπερμνήστρα παρεπλάγχθη, μονόψαφον ἐν κολεῷ κατασχοῖσα ξίφος. Eodem tamen acumine etiam Cic. Mil. 17. *gloriose mentiri* et *gloriosum scelus* Senec. ep. 95. p. 419. Bip. *pulchram* s. honestam *fraudem* Stat. Theb. X. 186. dixit. Adfine et Heliodori Aeth. VII. 28. λαμπρῶς ἀπειπεῖν in abnuenda re turpi. — *nobilis*, cujus generosus animus, humanitas *in omne aevum* ad omnem posteritatem viget, nunquam intermoritur. *Virgo* forte cum vi, quod integra, pura ab isto scelere manserit, vel potius quae servaverit παρθένον. Rem enim ita antiquis poetis expositam fuisse, docet locus Zenobii Cent. II. 6. de eadem Hypermnestra: αἱ δὲ κοιμωμένους τοὺς νυμφίους ἀπέκτειναν, πλὴν Ὑπερμνήστρας. Αὐτὴ γὰρ Λυγκέα διέσωσε, παρθένον αὐτὴν φυλάξαντα.

v. 37 *sqq.* Animum Hypermnestrae, tenerrimi adfectus plenum, quo vividius repraesentaret poeta, exquisito artificio, Nostro haud infrequenti, ipsius oratione explicat. Comparetur cum ea Ovidii Hypermnestra Heroid. Ep. XIV. et Hypsipyle apud Val.

Fl. II. 249. *Surge* cum vi repetitum. Cf. Ovid. l. l. 73. — *juveni marito*, κουριδίῳ πόσει Homeri, tanquam Il. ε. 414. et Argentarius in lepidissimo ep. XXX. 5. (Anal. Br. II. 273.) ubi Mulier bibacula, loca infera ingressa, Minoëm ita alloquitur: Φέρε κάλπιν ἐλαφρὴν, οἴσω κυάνεον τοὐξ' Ἀχέροντος ὕδωρ. καὐτὴ παρθένιον γὰρ ἀπώλεσα. *ne longus somnus tibi detur*, ne somnus in aeternum tibi continuetur, ne inde, ab iis, tibi mors paretur, *unde non times*, minime reris. *Longus somnus*, mors: v. ad l. 24. 5. Insulse totum hunc locum traduxit Auson. Ephem. I. 17 — 19. — *falle*, λάθε clam socero et scel. sororibus aufuge; notissimo Graecismo. — 51. *nactae*, quae inciderunt in vit. adgressae vitulos, ἐγκυρσάσαι μόσχοις. Comparatio ipsa haud infrequens Homero, et inde aliis, veluti Senec. Thyest. 735. nec minus juvenum cum vitulis: vid. ad II. 5. init. — 42. *singulos*, suum quaeque. Mox *eheu* aptissimo loco insertum a poeta. — 43. Ego tantum facinus in me non admittam, *mollior*, humaniore sensu praedita. Jam pedestris continuandae orationis forma erat, quam ut te *feriam*, occidam, aut *intra claustra teneam*, thalamo inclusum servem, ab aliis necandum, fugam tuam cohibeam.

v. 45. Ad generosissimos puellae sensus sua luce collustrandos egregie haec adposita. Vincula atque extrema omnia, quae sibi certo impendeant, susque deque habet, modo Lynceus suus sospes evadat. — *Oneret*, fortius ad pathos movendum quam, constringat, coërceat, ut apud Senec. Med. 463.; quo itidem adpellatio *patris* spectat, minime h. l. paterni animi. In custodia habitam fuisse Hypermnestram diserte tradit Apollod. II. 1. 4. — 46. Copiose pro alterutro, quod clemens fui erga *virum*, sponsum; vel, quod peperci viro. *clemens* et *misero* egregie inter se conjuncta. — 47. Me patria extorrem agat, exsulem patria proturbet. Quae poena iis infligi solebat, quos propter consanguinitatem ultimo supplicio adficere nefas putabatur; id quod Hippolyti, aliorumque exemplo satis constat. Unde haud mirandum, nullam hic necis, quam pertimescat, mentionem factam esse a puella. Sed exaggeravit poeta exsilii atrocitatem, puellam patria pulsam in desertos Lybiae campos amandando, quos quidem puellam Aegyptiam fama cognitos habuisse minime absonum videri debet. An vero certa quapiam regione exsulem antiquior aetas circumscripserit, hujus rei exempla desidero. — *extremos*, longissime a patria dissitos.

v. 49. 50. Proripe te hinc quam potes velocissime quocunque, vel terra vel mari, dum eundi tibi potestas est. Illud „quocunque vel terra" proverbiali locutione expressit poeta, *quo pedes ferunt* (pro quo quaesitius est *rapiunt*, festinationis ratione habita) ᾗ πόδες ἄγωσι (Theocr. XIII. 70. πόδες ἄγον, ἐχώρει) seu φέρωσι (Lucian. Hermot. 28. p. 767. ἔνθα ἂν ἡμᾶς οἱ πόδες φέρωσιν, ἐκεῖσε ἄπιμεν (h. quo casus tulerit. Claudian. de R. P. III. 432. *Ibo, ibo, quocunque pedes, quocunque jubebit casus.* Pro altero „vel mari" est, *quo aurae te rapiunt*, quo ventus impellit. Ad hoc allusit Plato de Rep. L. III. p. 290. Bip. ᾗ ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦμα φέρει, ταύτῃ ἰτέον. Utrumque conjunxit Noster V. 16. 21. *ire, pedes quocunque ferent, quocunque per undas Notus vocabit, aut protervus Africus.* — 30. *Dum* tantum ad *noctis* tenebras pertinet. — *Venus*, tanquam λεχέων ἐπίκουρος, uti audit Coluthο 198. — 51. 52. Mollissimi adfectus versus! etsi a loco et tempore, etiam ab Hypermnestrae aetate admodum alieni. — *scalpe*, incide mei sepulchri monumento *querelam*, epigraphen, miserrimi fati indicem, *nostri memorem*, nostri utriusque memoriam servaturam. Praeclare τῷ *nostri* argumentum epigraphes, in qua et Lyncei mentio facienda erat, innuit. Indocte plerique de sola Hypermnestra cogitant.



ARGUMENTUM XII.



Innumera paene sunt, quae super hujus carminis consilio hariolati sint interpretes. Equidem, ut libere, quae sentiam, profitear, nihil amplius agnosco in hoc carmine, quam juvenilem lusum poetae in reddenda amplificandaque graeci cujuspiam poetae, forte Anacreontis, (cujus similis sententia exstat:

Χαλεπὸν τὸ μὴ φιλῆσαι
Χαλεπὸν δὲ καὶ φιλῆσαι.

c. XLVI.) sententia, ad certas personas, quo majorem ad animum vim haberet, traducta. Quo quidem facillime, praeter initium carminis, (v. 1 — 5.) quod graecas ideas habet, ipsa metri ratio, quae et ipsa est ludicra, ducit. Hinc eloquutio pro argumenti ratione paullo doctior, ornatusque, quem interdum metri difficilioris necessitas poetae extorsisse videtur, copiosior atque adfectatior.

Adnotationes.

v. 1. Generalem sententiam, miserrimam eorum conditionem esse, quibus amore ac vino, quibus solenni poetarum more vitae voluptates continentur, carendum sit, poeta argumento carminis ita adstrinxit, ut puellarum vicem doleat, quibus utrumque hoc negatum sit. *Miserarum* sors, conditio *est*, miserae e..e dicendae sunt puellae, quae *neque* ament *neque* cet. Pro *amare* docte est *Amori ludum dare*; sed in explicando hoc loquendi modo ipsos interpretes bonae Rationi misere dare ludos videas. Nos, missis eorum nugamentis, rem ipsam consideremus. Scilicet Venus, Amor, nota loquendi ratione, imperium exercet in homines, sed saevum et arbitrarium; quoniam amantes *nullo vivunt consilio.* (Propert. I. 1. 6. ut Sophocles apud Stob. Grot. p. 241. Κύπρις τὰ θνητῶν συντέμνεται βουλεύματα) Amor igitur homines ludibrio habere, ἄγρια παίσδειν (Mosch. III. 11.) ἐμπαίζειν (Sophocl. Antig. 811. ἄμαχος γὰρ ἐμπαίζει θεὸς Ἀφροδίτα) hominibus συμπαίζειν (Orph. Hymn. 57. 3. Ἔρωτα — συμπαίζοντα θεοῖς, ἠδὲ θνητοῖς ἀνθρώποις) dictus; homines contra, qui amori penitus succumbunt, *Amori ludum dant*, ludificandos se praebent, arbitrario Amoris imperio se submittentes. Amor igitur ludum facit hominem (uti Plaut. Captiv. III. 4. 48. *Ut scelestus, Hegio, nunc is te ludos facit*) homo dat contra ludos (ut idem Bacch. IV. 10. 7. *Ego dare me ludum meo gnato institui*) — *neque mala*, tristitiam, aerumnas vino *lavere* (antique pro lavare ut III. 4. 61. et alibi) eluere, expellere animo. Infra IV. 12. 20. *Cadus* dicitur *amara curarum* eluere *efficax.* Propert. III. 15. 6. *Hoc vitium* (*vitiosam curam* Nostri II. 16. 21.) *ex animo* di-

lue, *Bacche, meo.* Vino omnino vitae suavitates poetis designari tralatitium est. — *Aut*, si amoris potiundi opportunitas detur, *patrui metu* ab eo absterreri. Venuste admodum atque ἐναργῶς extulit hanc sententiam poeta *Exanimari metuentes* doctius et gravius pro conturbari, percelli metu, metuere, obnoxium esse *patruo.* Patruorum austeritas erga fratrum filios famigeratissima. Vide Torrent. h. l. Jam pro patruo docte sunt *verbera linguae patruae*, objurgationes severae patrui. *Verberare* pro objurgare. saeve agere, convitiari eleganter dicitur. *Convicio verberare* Cic. ad Div. XV. ep. 16. quod plane respondet Sophocleis (Philoct. 374.) ἀράσσειν κακοῖς. *Metuens verbera saevitiae* e Nostro adoptavit Propert. I. 8. 18. Plaut. Pseud. I. 3. 133. *Verberavisti patrem atque matrem.* Simillime Tatius VIII. 1. dixit τραύματα ῥημάτων et Heliod. p. 392. ed. Schmid. τρώσεις λόγων.

v. 3. Enimvero tu non minus misera es, quae Hebrum perdite amas; siquidem immoderati amoris aestus haud minorem animo tuo aegritudinem atque molestiam creat. Vehementissimum amorem pulcherrime ab effectu designavit poeta, quod consuetorum laborum taedium adferat. Certatim laudant, quod haud dubie Horatio obversabatur, suavissimos Sapphus vv. (Anal. Br. I. p. 56.) γλυκεῖα μᾶτερ οὔτοι δύναμαι κρέκειν τὸν ἱστὸν, πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς ῥαδινὰν δι' Ἀφροδίταν. Adde Incerti epigr. LIX. (Anal. Br. III. p. 162.) αὐτὴ Κύπρις ἔριθος· εὔκλωστον δὲ γυναικῶν νῆμα καὶ ἠλακάτην ἀργὸς ἔχει τάλαρος. Phaedra apud Senec. Hippol. 103. *Palladis telae vacant, et inter ipsas pensa labuntur manus.* Suaviter autem hoc, quod Amor qualum ac telas surripere fingitur; uti ferre Ovidio Amor. I. 1. 4. unum pedem idem surripit. — *Puer ales*, alatus, Amor, ut Mercurius *puer ales* Stat. Theb. VI. 794. *Puerum volatilem* Amorem simpliciter indigitat Ovid. Am. II. 7. 27. *volucrem*, idem ex P. III. 3. 65. Et *nitor* ἀγλάϊσμα pulchritudo (ut I. 19. 5.) *Hebri*, amor Hebri pulchritudine incensus. *Liparaei*, e Lipara, Aeoliarum insularum una, oriundi. — *qualus* s. quasillus, vas vimineum, in quo mulieres diurna pensa reponebant. Cf. Prop. IV. 7. 37. — *telas* h. l. de opere texi coepto, texendique taedio intermisso optime intelligas. Vide doctissimam Schneideri de veterum textura disputationem ad SS. R. R. Ind. v. *Tela.* — *studium Minervae*, textoriam artem, a Minerva inventam, res nota. Dicta inde *operosa* s. Ἐργάνη. Vide, ne in re nota morer, Abresch. ad Aristaen. p. 128. et Bergl. ad

Alciphr. p. 365. — 6. Explendescit iste Hebri nitor, *simul* quando *humeros lavit*, natat, in undis Tiberinis; sed alterum magis delecte, quandoquidem humeri natantis exserti nitorem ostendunt. — *unctos*, oleo inunctos. Hebrum campestribus ante exercitationibus vacasse, quam Tiberi denataret, docte hoc declarat epitheton; quas easdem statim disertius exponit. — 7. Capit te, quod sit *eques melior*, equitandi arte praestet *ipso Bellerophonte*, Pegasi domitore. Ad rem Tibull. I. 4. 12. — *neque pugno*, quod pug latu, *neque pede victus*, quod cursu excellat, semper superior sit — *segni*, ornat.

v 8 — 10. Idem venationis callentissimus. Sollertia ejus duobus venationis declaratur generibus, et jaculandi arte, et excipiendi venabulo apri peritia prodita. — *Catus*, doctus, peritus (ut I. 10. 3) *jaculari*, in jaculandis, figendis, *cervis agitato grege*, e latibulo excitatis, atque gregatim *fugientibus per apertum campum*. — 10. et *celer excipere* (ut *celer sequi* Aiax. I. 15. 18. Nostrum secutus Propert. II. 15. 22. *Aut celer agrestes cominus ire sues.*) alacer, dexter in *excipiendo* atque venabulo confodiendo apro. *Excipere* verbum venatorium. Martial. XIV. 30. Cf. Burman. ad Val. Flacc. VI. 422. — *fruticeto alto*, βαθείῃ ξυλόχῳ, Homer. Il. λ. 415. πυκινῇ λόχμῃ, Od. χ. 439. βαθείῃ ὕλῃ, Il. ε.

ARGUMENTUM XIII.

Miram venustatem hoc carmen habet cum a quaesitiore orationis cultu numerorumque suavitate, tum a naturali sententiarum progressione, tali argumento convenientissima. Laudes igitur fontis Bandusii, qui haud longe a villa sua sub monte Lucretili profluebat, poeta a limpidissima ejus aqua, locique amoenitate repetit, quibus adeo delinitur, ut sacrificium in posterum diem ei promittat, immor-

talitatique sese eum carmine consecraturum gratus spondeat. Ceterum et ratio argumenti, quod plane graecum est, et exitus carminis (Fies nobilium tu quoque fontium cet.) abunde manifestant, poetam et in hoc genere cum Graecis, quorum etiamnum bene multa exstant carmina, Fontibus dicata, certare voluisse.

Adnotationes.

v. 1. *Fons* rivi *Digentiae* in eo Sabini agri tractu, cui *Bandusiae* nomen. Ita diserte Scholl. ad h. l. „Bandusia Sabinensis agri regio est, in qua Horatii ager fuit.“ Cf. Nostri Epp. I. 16. 12. ss. Alii Bandusiam nympham fontis, cui et lucus et universus pagus sacer fuerit, ab eaque nomen traxerit, nulla idonea auctoritate. — *splendidior*, perlucidior, purior *vitro*, cujus aqua limpidissima est. Scholl. laudant *vitream Fucini undam* Virg. Aen. VII. 759. Adde Ovid. XV. 157. Graecis est ὕδωρ ἀργυροειδὲς, h. διαυγὲς, *purior electro* Virg. Ge. III. 522. Idem de Digentia praedicat Noster Epp. I. 16. 12. — 2. *digne mero*, duobus modis accipi potest; vel, digne, qui mero admiscearis, cujus aqua temperando mero adhibeatur; quae nova tantum declarandae hujus fontis aquae vitro splendidioris idea esset. Vel, quae reliquis magis consentanea videtur ratio, digne, cui mero libetur; ut sit pars sacrificii, quod paraturus est poeta. — *non sine floribus*, qui de poculis hac aqua temperandis cogitant, antecedentibus illi haec verba adnectunt, et *merum non sine floribus* de poculis coronatis intelligunt: et ne haec ita accepta, temere prorsus a poeta adposita videantur, vim in eo quaerunt, quod pocula non nisi in festis conviviis coronarentur, et his adhiberetur vinum optimum; unde de laude Bandusii fontis judicatio fieri possit. Sed hoc demum est argutari. Alii cum Cruquii Schol. verba ad sqq. trahunt, et haedum floribus coronatum, innui autumant. Durius paullo, si quid judico. Nostram explicationem nova distinctione aperiundam censuimus. Scilicet sacrum tribus rebus absolvi vult poeta, vino libando, floribus spargendis, et haedo mactando. Jam, quae simplicior totius sententiae enuntiatio erat: Cras vino,

floribus, haedo sacrum tibi parabo; ut dignus es, ut mereris; seu digne mero, floribus, haedo, quibus cras tibi sacrum faciam; hanc docte variasse putandus est poeta. His autem tribus Fontis Genio nymphisque fontanis, uti omnino diis agrestibus, ad quos isti referendi sunt, rem divinam factam esse, satis explorata res est. De vino Leonid. Tar. c. XXXV. (Anal. Br. I. p. 229.) Αὔλια καὶ Νυμφῶν ἱερὸν πάγος, αἵ θ' ὑπὸ πέτρῃ πίδακες — ἵλαοι τὰ ψαίστα, τό τε σκύφος ἔμπλεον οἴνης δέξασθ'. Cruq. h. l. mulsum intelligit, inductus haud dubie epith. *dulci*; in quo si omnino vis quaerenda sit, de vino horno, quo libari solebat (v. ad I. 31. 2.) capere malim. Sed omnino ornat h. l. De floribus Idem c. XXX. (Anal. Br. I. 228.) Ἀγρονόμῳ τόδε Πανὶ — Νύμφαις δὲ σκιερᾶς εὐποίκιλον ἄνθος ὀπώρας, φύλλα τε πεπταμένων αἱματόεντα ῥόδων. Naiadas autem intelligi reliqua manifesto docent. Sublegit totum illud epigramma Sabinus Gramm. apud Br. Anal. II. p. 304. Spectat etiam huc Varronis locus de L. L. v. 3. *Fontinalia feriae erant Fontibus dicatae*, quibus et coronae in fontes conjici et putei coronari *solebant*. *Haedo* fontibus sacrum fuisse factum, vel ex h. l. abunde cognoscitur. *Ovem Fonti Numam regem mactasse* tradit Ovid. Fast. III. 300. — 3. *donaberis* sacrum tibi fiet. *Dona*, *honores* de sacrificiis, solenni usu. — 4. 5. haedo *anniculo*. Vide quam docte et ornate haec expresserit poeta! Satis comta atque absoluta videri poterat sententia verbis, *cui*, cujus *frons turgida* est, e cujus fronte prorumpunt *prima cornua* (Calpurn. ecl. X. 36. *flavaque maturo* tumuerunt tempora *cornu*); sed quum nascentia cornua haedi maturitatem indicent, (unde *maturum cornu* in Calpurn. l. l.) qua ad Venerem exstimuletur, (apte laudat Boettig. Pallad. XII. 13. *hircus ad ineundam feminam anniculus est congruus*) docte poeta frontem ejus turgidam ait *destinare* h. adpetere, cupere *Venerem et proelia* propter hanc ipsam Venerem cum aliis haedis. *Destinare* h. l. proprie ac primo significatu positum puta; qui est, collineare, dirigere aliquo, aliquid petere. Colum. VI. 37. *Equa* destinanti h. adpetenti pullo asino, *praebet ubera*. Frons adeo *destinat*, meditatur *proelia*, parat se certamini, intenta est praeliis et Veneri, Veneris gratia ineundis. Alii *destinare* dici volunt pro, constituere, spondere, vel orationem ita invertunt, cujus ea aetas est, qua Veneri et pr. destinatus sit; nescio quam bene. — 6. *inficiet* imbuet, tinget *rubro sanguine*, rubefaciet, *αἱμάξει rivos*, aquas tuas,

tibi in tui honorem, verbo, mactabitur tibi. Catull. XIX. 15. *Sanguine hanc etiam mihi — aram barbatus linit hirculus, cornipesque capella.* Cogita vero aram cespititiam juxta fontem erectam. — *gelidos* vel natura, vel arboribus consitos. V. v. 9. — *lascivi*, petulci, perpetuo epitheto v. Virg. Ecl. 2. 64.

v. 9. *Hora* de quavis anni tempestate (Cf. I. 12. 16. Epp. I. 16. 15.) maxime de vere et aestate, si absolute ponitur. Hesych. ὧρα, καιρὸς ἔτους, τὸ ἔαρ ἢ τὸ θέρος. Unde ὥριον ἄνθος, ὡραῖος πλοῦς et alia. *Hora Caniculae* h. l. docte est pro aestu, qui Caniculae orientis tempore saevit. — *atrox*, vehemens, ferventissimus, ὧρα χαλεπὰ simpliciter Alcaeo apud Athen. I. 17. et δίψιος ὥρα Oppian. Halieut. III. 47. dicta. Plin. II. 47. *Ardentissimo aestatis tempore exoritur Caniculae sidus; sole primam partem Leonis ingrediente.* vid ad III. 29. 18. — 10. *nescit tangere*, numquam ad te pertingit, penetrat, aestatem non sentis, ob densam umbram arborum, quae solis radios excludunt. — *frigus amabile*, gratam umbram, refrigerium *praebes*, umbris aquisque tuis refrigeras tauros, *vomere*, arando in aprico solo *fessos*. — *pecori vago*, eranti, pascenti. Cf. III. 29.

v. 13. *Tu quoque fies* unus *fontium*, poetarum carminibus *nobilium*, illustrium, refereris inter illos, ἀριθμήσῃ ἐκείνων, graeca plane structura. Vid. Heins. Lectt. Theocrit. p. 361. Plaut. Mil. glor. IV. 2. 25. *Cedo signum, si* (una) *harum Baccharum es.* Famigeratissimi autem antiquis poetis fontes Hippocrene, Dirce, Arethusa, quem *celebratissimum carminibus poetarum* fontem vocat Senec. Cons. ad Marc. c. XVII. Ita et *fluvii poetarum carminibus illustres* (Sidon. Epp. I. 5.) sunt Achelous, Eridanus et alii quam plurimi. — 14. *me dicente*, celebrante, carmine extollente *te*. Pro tenui *te* amoenam istius loci faciem oculis paene subjicit poeta, estque haec descriptio tanto adpositior, quo dignior hanc ipsam ob causam fons est, qui carmine nobilitetur. Rei autem imago ita animo informanda: Cogita saxa paullo editiora, a fonte, inde scaturiente, in antri formam excavata (hinc ornate *cavis saxis*) cui ilex (quae proprie h. l. accipienda) *imposita* est, impendet. — *lymphae loquaces*, garrulae, (ut Ovid. Fast. II. 316. *garrulus in primo limine rivus erat.*) suaviter strepentes, jucundissima ad animum specie. Theocrit. VII. 137. τὸ δ' ἐγγύθεν ἱερὸν ὕδωρ Νυμφᾶν ἐξ ἄντροιο κατειβόμενον κελαρύσδει. Idem λαλεῖν de cupressis adhibuit Id XXVII. 57. qua eadem suavitate *pinus lo-*

quentes facit Virg. Ecl. VIII, 22. — *desiliunt*, suaviter, tanquam saltu sese demittentes; quo respectu *pedes* undis tributi. Noster V. XVI. 48. *montibus altis levis crepante lympha desilit pede.*



ARGUMENTUM XIV.



Quum Britanni, in quos a. U. DCLXXVII. Augustus, exercitu in Galliam ducto, bellum translaturus videbatur, pacem per legatos ab eo obtinuissent, idem, Galliae rebus, quae per intestinos motus turbatae essent, iterum compositis quum adversus Cantabros, imperium Romanum detrectantes, belli molem convertisset, subito gravi morbo implicitus Tarracone subsistere cogebatur. (Quod nonnulli adjiciunt, rumorem de ejus morte Romam pervenisse, populumque seditionibus distrahi coepisse, hoc vero commentum prava v. 2. interpretatio unice exclusit.) Quum igitur perdomitae Cantabrorum gentis, felicisque Augusti fama reditus, spe citioris, Romam perlata esset, poeta publica populo Romano solennia hoc carmine indicit, ad eaque privata cujusque laetitia prosequenda suo ipsius exemplo hortatur. Animatur totum carmen effrenioris gaudii enthusiasmo, omninoque illud exemplo esse potest, qua arte argumentum per se admodum vulgare tractari nobilitarique possit. Exordium grave, utpote publicos familiae Augusti, totiusque populi laetitiae sensus manifestans; levior contra exitus, suos privatim exponens.

Adnotationes.

v. 1. In hujus tetrastichi structura, sententiaque inde constituenda dici vix potest, quantum turbatum sit ab intpp. Haerent maxime in comparatione Augusti cum Hercule instituta. Plerique eam ad expeditionem Cantabricam referunt, unde Augustus victor Italiam repetierit, instar Herculis, qui idem iter, caeso Geryone, cum ejusdem armentis persecutus sit; ideoque jungunt: *Caesar* nunc *Herculis ritu ab Hispana ora penates repetit*, et interjecta, *modo dictus morte venalem petiisse laurum*, ne langueant, exponunt, qui nuper dicebatur victoriam de Cantabris morte redemisse; quae tamen verborum explicatio quantum bonae rationi linguaeque adeo legibus refragetur, in promtu est perspicere. Insulsiora aliorum commenta commemorare nihil attinet. De verborum ordine vix laborandum videtur, si comparationis momenta recte expendas. Scilicet Herculi omnino adsimulatur Augustus tam ob suas in longinquas terras expeditiones, quam ob signa, quae semper inde referret, victricia; ut igitur nihil hac comparatione ad laudes Augusti fingi potuerit magnificentius. Splendide ita Augustum extulit quoque Virg. Aen. VI. 802. sqq. *Nec vero Alcides tantum telluris obivit; fixerit aeripedem cervam licet* cet. ad quem locum, qui facile saniora suppeditare potuisset, non attendere intpp., semel in transversa abrepti. Jam vulgarem loquendi formam: Augustus, quem modo extremas Hispanias adiisse, s. bello adgressum esse, audieramus, ecce jam victor inde revertit, poeta, quo magis Herculi parem Augustum ostenderet, ita exornavit: *Caesar, modo dictus*, quem modo ferebant, fama tulerat, *laurum* victoriam *petiisse*, ab Hispania (docte hoc posteriori demum membro insertum) Hispaniae bellum intulisse; sed alterum magnifice prorsus de Augusto, sumtis armis instar Herculis, victoriae certo atque confiso. Jam laurum *morte venalem* adpellat, *magnis periculis partam lauream*, uti Cic. de Prov. Cons. 12. quae adeo cum vitae discrimine emitur, bellicam. Declaratur Augustus in potiunda victoria periculorum egregius contemtor hoc epitheto; nihil amplius. Sed aliis quantum imposuerit, supra attigimus. Omnino a poeta tam subtilis judicii vix exspectari poterat, ut, cum Augustus ex morbo, uti rumor divulgaverat, Tarracone decessisset, victoriam morte sua partam fuisse jactaret. Illud *modo* autem, in quo summum interpretationi

suae de Augusti mortui rumore praesidium ponunt, ad totam ῥῆσιν spectat, nimirum coepti belli famam victoriae statim secutam esse famam. — *Caesar victor*, parta laura, perdomitis Cantabris, *Penates*, domum, Italiam revisit.

v. 5. Supplicationes pro felici Augusti reditu ad omnia Deorum pulvinaria decretas magnifice persequitur poeta, pompam matronarum, vota pro maritorum, fratrum, filiorum, generorum denique reditu suscepta inter sacra publica solventium sigillatim percensendo. — *Mulier*, Livia; quod patet ex adjectis, *gaudens marito*, uxor mariti (illud tamen non sine vi; quae gloriatur, jactat sese, tali viro nupta) *unici*, viri plane singularis, egregii (ut I. 6. 11. et III. 25. 4.); splendidissima haecce Augusti est designatio, quam plane abolent, qui pedestrem poetae formam obtrudunt, dictumque esse volunt pro, quae *unice*, nulla alia re praeter eum *gaudet*, tenerrime eum amans; quae Livianae pudicitiae laus satis jejuna atque aliena ab h. l. est, cum Augustus extollendus esset. Hinc idem mox *clarus* Dux adpellatus v. 7. — 6. *prodeat*, pompam ducat; exquisitum verbum de gressu ad gravitatem composito. Tibull. I. 9. 70. *Tyrio prodeat apta sinu.* — *operata*, quae operetur, sacrum factura; ut Ovid. Am. III. 635. Laudant et Virg. Ge. I. 339. Inepte alii explicant, prodeat, ubi domi prius sacrum fecerit. Notissimae autem locutiones *facere*, *ῥέζειν*, *operari* Diis, de sacro parando. — *justis*, qui victoriam, Augusti virtuti debitam concesserint, rebelles Cantabros perdomuerint. Ita est *justus triumphus* I. 12. 54. Ovid. Trist. IV. 2. 11. in simili re: *Cumque bonis nuribus pro sospite Livia nato munera det meritis, saepe datura, Deis.* — Altera a Livia, *soror* Augusti, Octavia; tum *matres*, *vitta supplice*, more supplicantium *decorae*, incinctae; quod docte est pro vulgari, supplicaturae, vota exsoluturae pro generorum ac filiorum reditu. Ut declararet generos poeta, matres *virginum* h. recens nuptarum (ut παρθένοι graecis) docte posuit, — *nuper sospitum*, qui nuper e bello Cantabrico sospites reverterunt.

v. 10. Jam ad eos se convertit poeta, quibus bellum istud lugendi materiem praebuerit, monetque, ne importunis lamentis ac querelis sacrorum solennitatem interturbent, ac profanent. Ex his nominat poeta *pueros*, patribus, et *puellas jam*, modo *virorum expertes*, orbatos per istud bellum, ne dubita, quidquid interpretes contra moveant. Quod enim dicunt, talem ejus rei men-

tionem jam ipsam male ominatam et importunam et a sensu Horatii, qui nunc ipsi rei sacrae totus intersit, omnemque tristem ideam aversetur, plane alienam esse, id demum est splendide ac graviter argutari. Tum poeticae ne dicam lyricae rationis plane ignarus sit necesse est, qui ad *pueros* ex altero membro, *jam virûm expertes*, sententiam priori convenientem sc. „jam patrum expertes" recte elici posse neget. Jejunam ipsorum rationem, pueros et puellas *jam*, nunc, adhuc, virorum expertes, innuptas, quibus adeo nulla pietatis vota solvenda sint, rei tamen sacrae spectatores adsint, ne lascivia ac petulantia, aetati isti propria, sacra turbent, a poeta tanquam Orbilio, expeditis atque intentatis virgis increpari statuentium, refellere non vacat. — *Male ominatis parcite verbis*, abstinete verbis sinistri ominis, infaustis, rem divinam profanantibus δυσφημίαις puta lamentis ac querelis. Cf. ad III. 1. 2.

v. 13. Privata jam cujusque cum publica certet laetitia. Pro hoc suo ipsius exemplo statim, quo fortius eundem in aliis sensum excitaret, poeta Augusti reditum celebrandam proponit; fere ut I. 37. 1. *Hic dies . . . eximet curas* cumulate pro, hic dies vere mihi festus erit, aut hoc die omnes curas missas faciam, totum me hilaritati tradam. — *vere festus*, egregie sensus poetae, cum salute Augusti et inde patriae conjunctissimos produnt. — 14. *ego nec tumultum — terras.* Splendidum ac magnificum prorsus Augusti encomium! *Caesare terras*, imperium orbis terrarum *tenente*, incolumi eo, secure vivere licet. — *Non metuam*, haud metuere fas est, *tumultum*, bellum; sed alterum quaesitius; nam tumultus fere de bellis finitimis ac domesticis, subito, magna cum mole erumpentibus dictus; qui adeo majorem terroris speciem prae se fert. Notissimus Ciceronis locus Phil. VIII. c. 1 — 15. *nec mori per vim*, mortem violentam, per tales civiles tumultus. Causam adposuit cur tumultus metuendus sit. Mireris interpretum sollertiam, acute ac sollicite h. l. tumultum, h. bellum civile a vi, h. bello externo, cujus metus poetam nostrum non attingebat distinguentium. Ad sententiam Noster IV. 15. 17. *Custode rerum Caesare non furor civilis aut vis eximet otium.*

v. 17 *sqq.* Jam festi istius diei laetitiam praecipit poeta effusiori hilaritati intentus; quo artificio rerum descriptio mire animatur. Vid. ad III. 8. 13. Percenset adparatus convivalis solennia, *ungenta*, *coronas*, *vinum*; hoc *peti* adferri jubet vetustissimum,

bibi hoc bono die dignum. Vetustatem vini designat poeta a bello Marsico, quod alias a Coss. fieri solebat. Sed et a re quacunque memorabili consignatam fuisse vini aetatem, patet ex I. 20. 3. Pro vino igitur, Marso s. sociali bello condito docte est *cadus memor*, qui memoriam servat *Marsi duelli*, belli Marsici. Gestum illud ac profligatum ab A. U. c. DCLX. usque ad a. DCLXII. Ut adeo vinum istud fuerit rarae vetustatis, annorum quippe LXVII. Idem memorat Juven. V. 30. 31. *capillato* (intonso, adeoque ante a. CCCCLIV. conditum) *diffusum consule potat, calcatamque tenet bellis socialibus uvam.* — 19. Adjecta haec, ad vini istius raritatem denotandam. *Si quà* ratione, si omnino *testâ* aliqua talis vini *fallere potuit*, fefellit, ἔλαθεν, latuit *Spartacum*, non ab eo reperta fuit. — *vagantem* per Italiam, atque diripientem omnia. De Spartaco gladiatore, e Lentuli ludo cum XXX. ejusdem sortis hominibus Capuae erumpente, collectaque valida servorum manu magnos exercitus Romanorum fundente, indeque Italiam depopulante, donec a M. Crasso et Cn. Pompejo deleretur, adi Vellej. II. 20. Flor. III. 20. et Claudian. XXVI. 155.

v. 21. Psaltriam arcessi jubet poeta, utpote in solenniore comissatione. Cf. II. 11. 21. De Neaera v. V. 15. — *argutae*, argute, λιγέως canentis, liquida voce praeditae; in quo epitheto nullam poetae perspicio audaciam. Ita est *Thalia arguta* IV. 6. 25. ex vulgari lectione, et Epp. II. 2. 90. *arguti poetae.* Martial. VIII. 73. 7. *argutus Tibullus* et Cass. Parm. Orph. 1. (Poet. min. Wernsd. T. II. p. 310.(*arguta parens* Orphei, Calliope. — dic, *properet cohibere* propere cohibeat, constringat crinem *nodo*, in nodum, non operose comat se; suavissima ita morae impatientiam ipsa oratione prodit poeta. Volebat enim, maturet Neaera, ne tantillum moretur omisso operosiori cultu. Similiter II. 11. 22. *dic age cum lyra maturet in comtum Lacaenae more comam religata nodum.* — *myrrheum*, myrrhae unguento delibutum, quod sane absque ullo fere temporis impendio fieri poterat, et vero etiam diei istius solennitati adcommodatum erat. Longe itaque hanc interpretationem alteri praeferendam esse judico, quam cum priore jam Scholl. adferunt, qua crinem myrrheum dici volunt coloris fusci ac nigricantis; quod minus ad rem pertinet. — 23. *Si mora fiet per janitorem*, te morabitur, non statim intromittet; hinc *invisum*, quatenus puerum moraturus est; ornat. — 24. *Abito*, illico redito, ne comissatio longius differatur.

v. 25 *sqq.* Spectant proxime antecedentia, ad summam carminis parum facientes. Sententia ornate expressa: Ego, aetate provectior, aequiore repulsae injuriam fero animo, quam quum juvenis essem. *Albescens capillus*, aetas adultior; sed illud proprie; etsi tum esset XLI annorum. Sed *praecanum* se ipse adpellat Epp. I. 7. 26. — *lenit animos*, ὀργήν, sedat, temperat animi impetum, ut Virgil. Oen. I. 57. *mollitque animos ac temperat iras.* — *cupidos* olim *litium*, jurgiorum, pronos ad jurgia ac convicia. — *rixa* ad vim foribus illatam spectat. Ovid. A. A. 71. *Nec tua nocturna frangetur janua rixa.* Hinc *proterva*, hominum protervorum, foribus insultantium. — 27. *Hoc*, talem contumeliam haud *ferrem*, tulissem, quum adhuc essem *calidus juventa*, per juventutem calidior, protervior. *Calidum* inventae frequens epitheton; v. c. Claudian. XXVI. 497. Stat. Silv. V. 2. 62. Juven. XVI. 369. Ad rem cf. I. 16. 22 sqq. — 28. juvenis annorum XXIII. Nam. L. Munatius Plancus collega M. Aemilio Lepido consulatum gessit a. U. DCCXII.

ARGUMENTUM XV.

Vix dubitandum videtur, quin maximam partem hoc carmen e graeco exemplo ductum sit, quod et alii jam monuere, etsi ab ipsis nihil sani (v. c. ad v. 3 et 6.) ad firmandam hanc suspicionem adlatum deprehendas. Praeter argumenti enim, a poetis graecis multoties tractati (quod vel ex Anthologia graeca abunde patet. Vid. Argum. c. 13. L. IV.) rationem, ipsam ejus descriptionem, loquendi formas, notiones, comparationes cet. e graecis fontibus derivatas esse, facile ei, qui vel leviter eos attigerit, persuasum esse arbitror. Sed nescio quo fato acciderit, ut viri quidem doc-

ii, graecarum tamen Venerum fere ignari explicando Horatio adsilierint. — Exagitat, atque magna virulentia perstringit poeta hoc carmine Chloridem quamdam, vetulam, juvenili lascivia procacem, atque libidinis oestro percitam, eique, ut partes istas filiae suae, jam satis adultae, agendas relinquat, seseque ad lanae carpendae studium conferat, acerbe suadet; quo quidem utroque vix amarius quidquam feminae senescenti, deliciasque etiamnum facienti, dici posse existimo. In hac argumenti levitate a tractatione atque eloquutionis ornatu dotes parandae carmini erant, quas quidem ampla satis copia rei intelligens hic a poeta allatas inveniet. Cf. I. 25. et IV. 13.

Adnotationes.

v. 1. Ad invidiam Chloridi faciendam, ejusdemque sordidam vitae conditionem, maxime autem nequiores ejus mores exprobrandos initio statim orationem attemperavit poeta, a *marito* Ibyco, eoque *paupere* eam designando. — 2. *tandem*, quae tam diu probroso huic vitae generi vacasti; tu tam provectae aetatis. Summa ἐνάργεια in hac voce. — *fige modum*, statue, pone aliquando finem *nequitiae tuae*, inexhaustae tuae libidini; sed alterum cum delectu: habet enim flagitiosi amoris adjunctam notionem, quo adulteria Chloridis tanguntur. Cf. III. 3. 25. Male nequitiam volunt esse Gall. *coquetterie*. — 3. *Labores* simpliciter accipiunt pro amoribus, qua eadem notione Noster *laborare in aliquo* I. 17. 19. dixerit. Vel sic tamen dubito, an alterum loquendi usus ferat; et *laborare* ibi ad cruciatus pertinet, ex intimo amoris adfectu profectos; quibus meretrices minime adficiuntur. Neque tamen omnino Dacerii interpretationem, *labores* de Venereo opere generatim accipientis admittendam censuerim, quamquam hoc sensu κρυφίους ἀέθλους Musaeo 230. καμάτους Satyr. Thyillio VII. 6. (οὐκ ἔτ' ἔρωτι, οὐκ ἔτι παννυχίδων τερπομένη καμάτων, Anal. Br. II. 278.) ἡδέα Κύπριδος ἔργα et certamina Veneris (παλαισμοσύνην Ἀφροδίτης) passim occurrere meminerim; Vid. Schrad.

ad Mus. l. l. Sed strictiori sensu *labores* dici putem molimina et artes, quibus Chloris viros, *quaestus captandi causa*, venaretur, atque illaquearet. Unde *famosi*, quibus infamiam sibi contraxisset, turpes, pudendi, solenni impudicarum feminarum epitheto. Vid. ad III. 3. 26. Αἰσχρὰν ἐργασίαν simillime hoc meretricum vitae genus soli quaestui intentum vocat Aristaenet. I. 19. p. 49. ubi Abresch. (p. 122.) laudat Demosth. locum pro Cor. p. 160. ἀνέστησεν αὐτὴν ἀπὸ ταύτης τῆς καλῆς ἐργασίας. Quid Gesn. sibi velit, non extrico.


v. 4. *Propior* quum sis *funeri*, morti proxima, idque *maturae*, quae per summam senectutem haud inexspectato accidit, vetula decrepita, tremula, rugis obsita. Talem vetulam Appulejus L. IV. p. 250. Oud. vocat *busti cadaver extremum, vitae dedecus, et Orci primum fastidium;* et *similem sepulchri* sese Laberius apud Macrob. I. 350. Bip. Senem maritum puellae amore correptum similiter uxor increpat apud Plaut. Cas. II. 1. 12. adpellando eum *Acheruntis pabulum, flagitii persequentem, stabulum nequitiae.* Magis autem ad nostrum locum adposite Aristoph. Vesp. 1355. ὦ οὗτος, τυφεδανὲ καὶ χοιρόθλιψ ποθεῖν ἐρᾷν τ' ἔοικας ὡραίας σοροῦ, *maturi funeris*, h. vetulae morti proximae. Ad sensum Nicarchi ep. XII. 4. (Anal. Br. II. 352.) ταύτην οὐκ ἄνδρα ζητεῖν νῦν ἔδει, ἀλλὰ τάφον. — 5. *ludere* male de saltatione accipitur. Est, jocari, lascivire, *inter virgines* juvenculas juvenilem hilaritatem adfectare, ut IV. 13. 4. de Lyce vetula: *Fis anus et tamen* — ludisque et *bibis impudens.* — 6. Coetui te puellarum immiscendo *spargis nebulam*, tanquam nebula adpares inter *stellas candidas*, lucidas, puellas formosas, docte sententiae implicita pulchritudinis cum stellis comparatione; de qua v. ad III. 9. 21. Contraria sententia eandem comparationem adhibuit Arborius el. ad Nympham v. 59.60. *Tuque puellarum dum ludis in agmnie princeps inter virgineos lucida stella choros,* apud. Wernsd. Poet. min. III. p. 222.

v. 7. *Si quid Pholoën satis* per aetatem ac formam decet, *non* ideo et *te decet. Pholoës*, mentio, utpote filiae ejus, (ut diserte v. seq. vocat) admodum amara. Ejusdem meminit I. 33. 7. et II. 5. 17. — 8. 9. *rectius expugnat*, magis ei convenit, adprime decet talis procacitas; pro hoc speciatim poeta: *expugnare*, effringere *juvenum* comissantium *domos.* Scilicet fidicinae ac citharistriae puellae (qualis Pholoë erat v. vers. 14.) ultro etiam

ad aedes amatorum comissantium accedere, easque occlusas effringere solebant. Luculentus hac de re est Senecae locus, ab aliis quoque ad partes vocatus, Nat. Quaest. IV. praef. *Adulationi vos opponere, non claudere ostium, et quidem sic, quemadmodum opponi amicae solet, quae si impulit, grata est; gratior, si effregit.* — 10. Bacchae instar, *concitae*, excitatae, atque in furorem actae *pulso tympano*, audito tympani strepitu. Solennis hominum impotentia animi quocunque adfectu commoti discursantium atque exsultantium cum Bacchis comparatio. Jam Homer. Il. χ. 460. de Andromache, μεγάροιο διέσσυτο Μαινάδι ἴση, παλλομένη κραδίην. Pacuv. in Teucro (Scriv. Collect. p. 71.) *Flexanima tanquam lymphata et Bacchi sacris commota — — Alcyonis ritu litus pervolgans feror.* Cf. ad. Hom. H. in Cer. 386. Tanto autem suavior h. l. comparatio, quod vetulam libidine prurientem (qua eadem Chloridem anum percitam h. l. innuit poeta) Bacchae adsimulare solenne erat. Enata inde proverbia, γραῦς βακχεύει· ἐπὶ τῶν παρ' ὥραν τι διαπραττομένων. ταῖς γὰρ νέαις πρέπει τὸ χορεύειν (Zenob. Cent. II. 95. in Adag. Schott. p. 53. quod idem habetur apud Diogenian. Cent. III. 74. p. 204. adjecto Aristophanis loco: γραῦς καπρῶσα καὶ βακχεύουσα.) et γραῦς ἀναθυᾷ ἀντὶ τοῦ, καπρᾷ· ἐπὶ τῶν παρ' ἡλικίαν γυναικιζομένων, ὡς καὶ τὸ, γραῦς ἀναβακχεύει, Diogenian. Prov. Cent. IV. 10. p. 208.

v. 11 — 16. Illam per aetatem amores atque comissationes; te, vetulam, lanam tractare decet. Ornatissime singula poeta extulit. Illa amore Nothi *coacta* incensa *ludit* agitatur, discurrit, instar capreae; pervulgata comparatione. Dionys. Per. 843. παρθενικαὶ, νεοθηλέες οἷάτε νεβροὶ, σκαίρουσι. Cf. Villois. ad Long. Animadv. p. 142. Solennia quoque, *agi* (*Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo* Tibull. I. 5. 3.) *versari*, δονεῖσθαι, de vehementiore amoris aestu. — 13. Tibi lanae tractandae studium convenit; ad quod se fere redactos vident vetulae meretrices, vitae tolerandae causa. Opportune in hanc rem incerti ep. LXXXII. (Anal. B. III. p. 166.) Ἡ τὸ πρὶν αὐχήσασα πολυχρύσοις ἐπ' ἐρασταῖς, ἡ Νέμεσιν δεινὴν οὐχὶ κύσασα θεὸν, μίσθια νῦν σπάθιοις πενιχροῖς πηνίσματα κρούει. Ὀψὲ γ' Ἀθηναίη Κύπριν ἐληΐσατο· quod plane convenit Tibullianis (I. 6. 77.): *Ast, quae fida fuit nulli, post victa senectà ducit inops tremula stamina torta manu; firmaque conductis adnexit licia telis, tractaque de*

niveo vellere ducta putat. Jam lanam *prope Luceriam tonsam*, h. Lucerinam, indigitat, tanquam laudatissimam. Luceria inde *nobilis* celebratissima, ob lanae praestantiam. — *non citharae* cet. neutiquam te vetulam decet, comissationes obire. Hae specialibus notionibus adumbrantur, *cithara*, *rosis* (pro quo docte est *flos rosae*, ῥόδου ἄωτον) s. coronis convivalibus, quae Chloridis canos parum deceant (*serta refundit canities* de Laide vetula Claudian. XVIII. 91.) denique liberius acta compotatione, quam arguunt *cadi poti*, epoti, *faece tenus*, ἐς τρυγὰ, ad faecem usque. De psaltriarum in comissationibus vinositate passim poetae. Cf. ad. I. 36. 13. Adde Thyilli ep. VII. 4. (Anal. II. 277.) ubi ὀρχηστρὶς Ἀριστιον laudatur, ἡ τρὶς ἐφεξῆς εἴδυι' ἀκρήτους χειλοποτεῖν κύλικας, uci forte corr. χανδοποτεῖν. et Gaetulii IX. 1. (Anal. Br. II. 168.) τετράκις ἀμφορέως περὶ χείλεσι χείλεα θεῖσα Σειληνὶς πάσας ἐξεφόρησε τρύγας — τοῖόν aqua non corruptum) σε προὔπινεν ἀφειδὲς ἐς ἄγγος ἔχουσα, εἰσότε καὶ νεκύων ἦλθ' ἐπὶ συμμορίην.



ARGUMENTUM XVI.



Αὐτάρκειαν, *maximum ad bene beateque vivendum momentum, a poeta multoties decantatam atque commendatam, nova iterum hoc carmine eaque splendidissima, repraesentat specie, adeo quidem, ut quoties paupertatis sensu se beatissimum jactet, maximas ab eo ingenii divitias fere expromi animadvertas. Omnino hoc carmen perfectissimis Horatiani ingenii monumentis cum propter nobilissimarum sententiarum vim, tum propter lyricam earumdem tractationem, ornatumque singularem accensendum esse, facile quisque, rei intelligens, largietur. Descriptio ejus satis*

dilucida: Sententia, aurum summi materiem mali esse atque irritamentum, exemplis, fabulosis pariter atque historicis, ἐναργῶς exposita, ad excutiendam possessorum ejus conditionem progreditur, eamque miserrimam esse, adlatis judicii sui causis pronuntiat. Tum suo ipsius exemplo, hominem mediocri sorte sua contentum et istis divitum miseriis carere, et felicitatis sensu frui jucundissimo, seque adeo Sabino suo praediolo mortalium felicissimum esse ostendit. Maecenati hos suos sensus explicat, a quo ipso poeta mediocritatem nisi vere expeti, certe adfectari probe noverat. Ceterum cum initio carminis comparandum omnino Paulli Silent. ep. XVI. in Anal. Br. III. 76.

Adnotationes.

v. 1. Sententiam, maximam esse auri vim, nihil tam munitum esse, quod expugnari pecunia non possit, poeta, quo fortius animum percelleret, illustribus statim exemplis, e mythica aetate petitis, communit. *Danaës* fabulam a poetis epicis, qui Persei res gestas carmine persequerentur, et maxime tragicis, Aeschylo in Polydecte, Sophocle et Euripide in ejusdem nominis tragg. varie admodum interpolatam atque exornatam fuisse, donec hanc formam indueret, vel ex Homero (Il. ξ. 319.) colligas. Vulgarem narrationis ordinem discant tirones ex Apollod II. 1. 4. Hygin. f. 63. et Schol. ad Hom. l. l. Primam hujus fabulae faciem facile animo adsequaris, si antiquissimam poetarum in repraesentandis deorum ἐπιφανείαις rationem teneas. Scilicet si divina forma Dii sese hominibus conspiciendos praebent, insolito fulgore oculos mortalium praestringunt, domus tota, quam intrant, subita luce fulminis instar (Hom. H. in Cer. 279. de Cerere: αὐγῆς δ' ἐπλήσθη πυκινὸς δόμος ἀστεροπῆς ὣς coll. v. 189. de eadem: καί ῥα μελάθρου κῦρε κάρη, πλῆσε δὲ θύρας σέλαος θείοιο,) coruscat; et sic porro. Jam quum aurum et splendor lucis (adde et ignis, ut Pind. Ol. I. 1. et alibi) comparationes vicissim a se mutuarentur, (lu-

euientus in hanc rem locus est Hom. H. Appoll. 135. χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα βεβρίθει, καθορῶσα Διὸς Λητοῦς τε γενέθλην, *Delus resplenduit multa luce*, natis Apolline et Diana) satis consentaneum erat prisco sermoni, pro: Jovem in Danaes conspectum venisse, dicere: Jovem multo auro descendisse in sinum Danaes. Ac ne vanis hariolationibus indulsisse arguar, ecce Pindarum Jovis cum Alcmena congressum antiquo isto sermone eloquentem, Isthm. ζ. 5 sqq. ἢ χρυσῷ μεσονύκτιον νίφοντα δεξαμένα τὸν φέρτατον θεῶν. Eadem prisci sermonis ratio obtinet in Semeles et Jovis concubitu, prave a serioribus accepta, ineptissimisque deinceps fabulis implicita ac distorta. Ceterum in tribus hisce tantum, quantum memini, congressibus se deum Jupiter professus a poetis traducitur, cujus figmenti ratio a procreata inde sobole, Hercule, Baccho, Perseo, divinam stirpem divinis rebus perpetratis insigniter adserentibus, unice repetenda est. Sed redeundum in viam. Sententiam: auro Jovem aditum sibi ad Danaen parasse, pulcherrime exornavit poeta. Omnino vulgaris vv. 1 — 8. enuntiatio erat: Danaë, munitae atque severe custoditae turri inclusa, satis tuta ab adulterorum insidiis videri poterat, nisi Jupiter eludendae custodiae puellaeque vitiandae consilium cepisset. Hoc praeclara inversione, insignique orationis poeticae copia elatum expende. *Turris ahenea*, qua Danae includeretur, ad seriora poetarum figmenta pertinet; enata e thalamo, quem, paullo arctius custoditum (unde Phocyl. 203. παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι, in quibus puella dicebatur παρθενεύεσθαι (Lucian. Tim I. p. 122.) et ipsa inde παῖς κατάκλειστος; vid. ad Callim. fr. 118. p. 486.) puellae nubiles antiquis temporibus inhabitabant. Sed χαλκοδέτους Danaes αὐλὰς habet jam Sophocl. Antig. 958. quas χαλκελάτους θαλάμους dixit Paul. Sil. epigr. in fine Argum. laudato; θάλαμον χάλκεον Pausan. Cor. II. 23. et Apollod. l. l.; *turrem septam* Stat. Theb. I. 253. *aeratam* Claudian. in Eutrop. I. 82. *ferratam domum* Prop. II. 16. 12. et *murum aeratum* idem II. 23. 115. quem *lapideum* adpellat Hygin. l. l. qui de ἕρκει, quod domus ambibat, intelligendus est. — *fores robustae*, roboreae, pro firmissimis. *Robustum carcerem* eodem sensu vocat Plaut. Curcul. V. 3. 14. — *canum excubiae*, canes ante fores excubantes, vigilantes, atque amatores noctu (unde adulteri s. amatores *nocturni* v. sqq.) prohibentes; atque istorum respectu excubiae dicuntur *tristes*, molestae, gravis ipsis. *custodia saeva*, Tib. I. 2. 4. — *munierant*, muniis.

sent, tutam praestitura fuissent; nisi cet. nota forma graeca. — 5. sqq. Venustissima rei imago. Jupiter et Venus, de coelo terras despectantes, in cachinnos solvuntur, dum operosa Acrisii in filiae pudore custodiendo adspiciunt molimina, quippe quae nisil profutura scirent, si auro sibi aditum pararent. Unde suavissima oritur figurarum complexio, hinc Acrisii metu et pavore exanimati, illinc Jovis et Veneris, trepidantem Acrisium deridentium. *abditae*, κατακλείστου, thalamo clausae. — 6. *Custodem pavidum*, Danaen sollicite custodientem, oraculi metu. Magna vis est hujus epitheti h. l. — 7. Probe gnari, intelligebant *enim*, *fore*, cet. ita enim orationem suppleri debere, facile perspicitur. Quae abruptior structura, omissa *putandi*, *existimandi* notione, seq. *fore*, in sententiis continuandis haud inusitata est poetis. Ita statim Virg. Aen. I. 444. *Effodere loco signum — caput acris equi; sic nam fore bello egregriam* h. unde conjecturam capiebant, fore cet. — *tutum iter et patens*, tuto, a custodibus et canum excubiis (*nam pretium si grande feras, custodia victa est, nec prohibent claves, et tacet ipse canis* Tib. II. 4. 33.) et patentibus portis ad eam viam esse *Deo*, Jovi in *pretium*, aurum converso. *Pretium* pro auro absolute posuit Lucil. Jun. in Aetn. 541. et *pretiosum imbrem* in hac ipsa fabula idem v. 88. Ovid. Am. III. 8. 29. *Jupiter — corruptae pretium virginis ipse fuit.* Ad rem Eurip. in Dan. 30. χρυσὸς γεγὼς — — διὰ στέγους ῥεύσειεν ἐν χερσὶν κόρης. Asclepiad. XXVI. 6. Ζεῦ, διὰ χαλκείων χρυσὸς ἔδυς θαλάμων, Anal. I. p. 216.; et ad totam sententiam Apollodori gnome apud Brunk. p. 187. Καὶ κλείεσθ' ἡ θύρα μοχλοῖς· ἀλλ' οὐδὲ εἷς τέκτων ὀχυρὰν οὕτως ἐποίησεν θύραν, δι' ἧς γαλῆ καὶ μοιχὸς οὐκ ἐσέρχεται.

v. 9. Nunc demum generalis subjicitur sententia, *nihil esse potentius auro*, (Ovid. Am. III. 8. 29.) cujus tamen enuntiatio et ipsa ad speciales notiones revocata atque attemperata est a poeta. Aurum *ire amat*, φιλεῖ, non absque vi, audacter vadit, placet sibi, quod difficultates, quas dispellat et exsuperet, sibi objiciantur; grassatur adeo aperta vi *per medios satellites*, ad necandum tyrannum, pro cujus salute isti excubant; cujus rei adfatim exemplorum historia suggerit. Alii ad custodes Danae positos trahunt; quae ratio admodum languet. Neque magis commode Schol. Cruq. explicat: per hostium cuneos, et fremitus hosticos. — 10. *Et perrumpit*, penetrat, diffringit saxa, h. res, quas na-

tura habet durissimas. Παροιμιακῶς igitur hoc, propter comparationem cum fulmine, accidere praestat, quam de turribus munitis, vel omnino munitionibus intelligere. Graecum exemplum in toto hoc loco adornando Horatio obversatum fuisse, vix dubito. Forte in animo habuit illa Diphili apud Stob. flor. Grot. p. 369. ἰσχυρότερον (forte v. antec. praecesserat, Διὸς βέλει, fulmine) κεῖνο τὸ χρυσίον πολύ· τὰ πάντα τούτῳ τέμνεται καὶ πράττεται. *Adamanta* in hac re posuit Apulei. IX. p. 189. Pric. *Pecuniae cunctae sunt difficultates perviae, auroque solent adamantinae etiam perfringi fores;* ad quem locum Pricaeus Tiberiani gnomen laudat, quae est in Grotii Exc. p. 941. χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα κ' Ἀΐδου πύλας. Qui saxa de inaccessis rupibus intelligunt, iis patrocinatur Sophocl. in Alead. apud Stob. Flor. Grot. p. 371. Δεινὸς γὰρ ἕρπειν πλοῦτος ἔς τε τἄβατα, καὶ πρὸς τὰ βατά. — *potentius*, fortius, magis; quam *fulmen icit*, ferit, diffindit saxa.

v. 11. De Amphiarao, Eriphyles uxoris, monilis aurei potiundi cupidae, fraude prodito, et ad bellum Thebanum, quod fatale sibi futurum nosset, protracto, adi Apollod. III. 6. 2. et Hygin. f. LXXIII. et quos laudant ad utrumque interpretes. Jam etsi praeter Amphiaraum, terrae hiatu ad Thebas absorptum, Eriphyle quoque ab Alcmaeone, patris sui necem ulciscente, occisa, et Alcmaeon ipse, ab Alphesiboeae a se repudiatae fratribus necatus, interirent, sicque domus s. familia Amphiarai penitus exstirparetur; a poeta tamen solam Amphiarai mortem h. l. docte atque graviter designari certissime persuasus sum. Est igitur; *domus Argivi auguris*, Amphiarai, *demersa concidit*, ἐνεργῶς, pro *demersa est exitio*, prorsus interiit, deleta est, ipso, familiae stirpe, extincto. Sic Electra Orestem inclamat apud Senec. Agam. 910. *fuge, o paternae mortis auxilium unicum, fuge, et scelestas hostium evita manus; eversa domus est funditus*, quamquam his cum matre superstitibus. Ita idem, seu quisquis istius tragoediae auctor est, Herc. Oet. 221. *tibi cuncta domus occidit uni* ademto Hercule, et Virg. Aen. IV. 318. *domum labentem*, Aenea abitum parante, dixit. Phaedr. III. 10. 49. *a radicibus non evertisset scelere funesto domum*, interemto filio Plin. Ep. VII. 19. *mihi domus ipsa nutare, convulsaque sedibus suis ruitura supra videtur, licet adhuc posteros habeat.* Ceterum eandem sententiam eodem locutionis genere persequitur Athen. XIII. p. 560 ἀνετράπησαν καὶ ὅλοι οἶκοι διὰ γυναῖκας

— — ὁ Ἡρακλέους, διὰ τὴν Ἰόλης ἐπιγαμίαν cet. — *ob lucrum*, aurum, quod Eriphyle, virum prodendo, lucraretur Χρυσὸν simpliciter memorat Homer. Od. λ. 325.

v. 13. Observa artem poetae in varianda orationis structura. Quod mythicis historicum exemplum subjicitur, hoc a Nostri more haud alienum putandum. Vid. I. 10. 13. et 28. 10. *Vir Macedo*, ἀνὴρ Μακεδὼν (ut v. e. ἀνὴρ Θρῄξ, Polymestor saepius Euripidi audit) Philippus, Alexandri M pater, qui, (Cic. Att. I. 16.) *omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus auro onustus posset adscendere.* Bf. Valer. Max. VII. 2. Laudant et oraculi responsum, ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις, quod habet quoque Diogenian. Cent. II. 81. in Adag. Schott. p. 195. Cum vi igitur *diffidit*, diffregit, aperuit, *urbium portas*, τῷ τοὺς προεστηκότας ἐν ταῖς πόλεσι καταφθείρειν, ut ait Demosth. περὶ Παραπρεσβ. p. 362. Ita Olynthum, corruptis Lasthene et Euthycrate, aliasque quam plurimas Graeciae urbes expugnavit. Unde *mercatorem Graeciae* eum vocat Val. M. l. l. et Claudian. XV. 268. *tenuit sic Graja Philippus oppida; Pellaeo libertas concidit auro.* — 14. *Subruit*, subvertit, tamquam actis cuniculis, devicit *reges*, gloriae ac potentiae ejus *aemulos*, qui rebus ejus secundis in summam invidiam adducti bellum contra ipsum movissent, *muneribus*, corruptis exercituum ducibus. Atque haec simplicissima eademque satis adposita est ratio, qua sensum h. l. aperias. Possis etiam accipere: regum opes imminuit, attrivit, aemulationem inter ipsos de principatu excitando, quo mutua invicem sese clade conficerent, altera vel utraque parte clam muneribus sollicitata; sed hoc subtilius atque longius petitum. Boettigerus autem regem potissimum Thracum, quem Philippus muneribus a reducendo Pausania avertisset (Diod. XVI. 3.) intelligendum statuit. — Munera blandis insidiis *illaqueant*, inescant vel *navium duces*, quantumvis ingenio *saevo*, truci, horrido. Suaviter sic opponi vides, *illaqueant* et *saevos duces*. Postremum hoc ad Menam referunt, Pompeji classi praefectum, qui, deserto eo, ad Augustum a. U. DCCXVI. descisceret, mox, eo relicto, ad Pompeji iterum partes transiret, indeque iterum ad Augustum sese conferret. Vid. Dio XLVIII. 45. Ceterum exemplorum dilectum observent humanitatis studiosi.

v. 17. Nexus: quantacunque autem divitiarum vis sit, neutiquam tamen eas, propter innumera mala, quibus possessorem su-

um adfligunt, expetendae sunt. Etenim (ita statim continuat sensum poeta, omissa generali sententia) tantum abest, ut felicem praestent sui possidentem, ut eum potius gravissimis curis continuo premant ac obruant. Miseria ista cernitur in *cura*, studio, cupiditate augendarum opum, quae *sequitur*, comitatur *crescentem pecuniam*, quae pariter cum pecunia augetur, sicque omnem vitae fructum intercipit. Cf. ad II. 2. 13. Ad verba ac sententiam valde adposite Paulus Silent. LXXV. 3. (Anal. Br. III. 100.) πλοῦτον ἔχειν ἐθέλω τὸν ἐπάρκιον· ἡ δὲ περισσὴ θυμὸν ἀεὶ κατέδει χρυσομανὴς μελέτη. Suaviter inde χρυσὸς Palladae CX. (Anal. Br. II. 429.) ὀδύνης καὶ φροντίδος υἱὸς dictus. Jam ἐπεξηγητικῶς adponi putanda, *majorum fames*, divitiarum cumulandarum, amplificandarumque insatiabilis cupiditas. *Majora* ut gr. τὰ μείζονα, πλείονα· veluti, quem jam Bentl. laudavit, Theocr. XVI. 64. χαιρέτω ὅστις τοῖος. ἀνήριθμος δέ οἱ εἴη ἄργυρος αἰεὶ δὲ πλεόνων ἔχοι ἵμερος αὐτόν. Ita ζητεῖν τὰ πλείονα Eurip. fr. Inus apud Stob. Grot. p. 381. Minus docte alii *curam* a *fame* distingui volunt, ita quidem, ut *curam* de timore amittendi parta intelligant, verentes scilicet, ne bis idem poeta eloquatur. Sed amat talem copiam Horatius, atque ita fere duas enuntiationes cumulat, ut altera vel magis perspicua vel ἐναργεστέρα sit altera. Tum alterum ad sensum adcommodatius esse quis non sentit? Atque ita Sulpic. quoque Lupercus Servastus de Cupiditate (Poet. min. Wernsd. III. 236.) hunc Horatii locum cepit v. 16. *Quis metus hic legum, quaeve est reverentia veri, crescenti nummo si mage cura subest?* — *jure perhorrui* cet. Possunt haec antecedentibus ita adnecti: quae ipsa causa est, cur divitias minime expetendas putem. Pro quo multo significantius ac fortius poeta dixisse videri potest: *perhorrui*, abhorrui, aversatus sum, nolui unquam *late conspicuum tollere verticem*, quod ornate esset pro, conspicuus, insignis esse, splendere sc. opibus, et, quae iis parantur, dignitate atque honoribus. Atque in hac quidem sententia, Horatio haud utique indigna, intpp. fere adquiescere videas. Sed, si Horatiani ingenii incessum bene novi, novam, cur amplas divitias concupiscendas esse neget, causam, docte variata oratione, attexi arbitror, nimirum, quod homines istae reddant insolentes, et arrogantes, quam gnomen suo ipsius sensu admodum ἐναργῶς poeta prodit. Jam arrogantiam ac superbiam *alte sublato vertice* indigitat poeta, solenni imagine Rhian. I. 9. (Anal.

Br. I. 479.) ὃς δέ κεν εὐόχθησι, θεὸς δ' ἐπὶ ὄλβον ὀπάζει — ἴσα Διΐ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχένας ἴσχει. Rufin. XXXVII. 3. (An. Br. II. 399.) conjungit γαῦρα φρονήματα καὶ μέγαν αὐχένα. Ita κόμπον μετάρσιον dicit Eurip. Androm. 1221. Noster I. 18. 15. *tollens vacuum plus nimio Gloria verticem*, qui locus rem plane conficit. Sensus adeo hujus tetrastichi est: Divitiarum comites avaritia et arrogantia, seu, ut Eurip. Hippol. Καλυπτ. fr. X. p. 448. Lips. ὕβριν τε τίκτει πλοῦτος ἢ φειδὼ βίου. Hominem divitiis elatum similiter Menander (apud Stob. Flor. Grot. p. 111.) vocat πρὸς ὕψος ἠρμένον, λαμπρᾶς πλούτῳ γαυρούμενον, ὀφρῦν τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα, et πλοῦτον inde κενεαυχένα Zenodot. I. Anal. Br. II. 78. Ad sententiam adcommodate idem Menander (in Brunkii Gnom. p. 193.): ὑπερήφανόν που γίγνεθ' ἡ λίαν τρυφή· ὅ τε πλοῦτος ἐξώκειλε τὸν κεκτημένον εἰς ἕτερον ἦθος, οὐκ ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν. Jam sponte intelligitur, *equitum decus* nihil amplius esse, quam honorificam Maecenatis adpellationem, nulla continentiae ejus ratione habita, quae semper in equestri dignitate permaneret. Omnino miras argutias ac splendida nugamenta ad h. l. ab intpp. copiose adferri videas, quae nec referre nec refellere vacat. Tenendum utique hoc, ad Maecenatem nunc demum recte converti orationem, quum sententiam suo comprobatam judicio poeta expromit.

v. 21. Is demum beatus erit, qui sorte sua contentus degit; quandoquidem nullis cupiditatibus vexatus, neque augendarum opum studio maceratus, rebus, quas habet modicas, secure atque jucunde fruitur. A contrario igitur, ut variaret orationem poeta, expressa sententia, seu tertia, qua magnarum opum possessionem parum expetendam esse ostendit, ratio: in divitiis nullam sitam esse felicitatem, divites continuo angore confici, nullum adeo divitiarum suarum fructum habere, sicque in summa rerum abundantia vere egenos ac miseros esse; quae conversio rationi lyricae adprime convenit. Praeclare autem sententiam istam poeta, ad partes vocatis magnificeque exornatis paradoxis Stoicorum formulis, expressum, suoque, quo major ei vis accederet, sensu confirmatam exposuit. — 21. Quo plura quisque *sibi*, animo suo *negaverit;* quo magis cupiditatem habendi compescuerit, quo minus desideraverit, adpetierit; jam sequi debebat: tanto plura vere possidebit. Suaviter pro hoc *a Diis* Σωτῆρσι σάων (v. ad I. 28. 27.) plura *feret*, accipiet, ob continentiam eum quasi mu-

nerantibus. Commode ad rem laudant Cic. Parad. VI. 3. *Non esse cupidum, pecunia est; contentum vero suis rebus esse, maximae sunt certissimaeque divitiae;* et paullo post: *satis esse putant, quod est: nihil adpetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt.* — *Nil cupientium* — *gestio*, equidem cum iis facio, eos sequor, qui animum ab omni cupiditate integrum habent, sorte sua qualicunque contenti. Quum duas partes sibi finxisset poeta, de divitiarum bono admodum diverse statuentes, satis consentaneum erat, orationis colorem a duobus castris s. exercitibus sibi invicem oppositis repetere; in quo adeo nihil video, quod recte reprehendi possit. Dum igitur alteri harum partium se addicit, alteram contrariam eum deserere, ab ea recedere necesse erat. Jam vulgarior enuntiatio erat: nudus nudorum castra peto, sed pro *nudorum* explicatius poeta: *nil cupientium* posuit. Unde *nudus* erit, qui in paupertate sua sibi placet, qui augendi cupiditatem omnem (non vero, quod insulse intpp. volunt, facultates) abjecit, *nil cupit.* Huic mox opponuntur *divites* majorum fame cruciati, qui divitias misere concupiscunt. Horum *partes linquit*, deserit, non facit cum iis, opes, quas illi enixe expetunt, magnifice contemnendo. Postrema „servandae metaphorae," (quo et *transfuga*, quod ornate adjectum est, spectat) uti jam Acron recte judicat, unice inserviunt. — 25. Dumque ita de divitiis statuo, *dominus splendidior* sum, locupletior, verior, omnino ditior sum, *rei contemtae*, divitias contemnendo, nihili aestimando, adeoque nec concupiscendo, *quam* si in amplissima fortuna constitutus augendae ejus cupiditate torquerer; quo ipso divites avari inopiam suam profitentur. *Tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet*, apud Quinctil. Inst. Or. VIII. 5. — *Dominus*, cum vi, qui vere eas possidet, non ab iis possidetur, κρέσσων κτεανῶν Pind. Nem. 8. 76. 7. κρείσσων χρημάτων Euripid. Dan. fr. III. p. 439 Facit etiam huc Apollodori fragm. apud. Stob. Flor. Grot. p. 91. ἐγὼ γὰρ οὐ τὸν πλοῦτον εἰσίδοιμ' ἐσθ' ὅσος, ἀλλ' ὅστις αὐτὸν κτῆται, εἰ ὑπέρτερος ἐσθ' ὧν ἔχει. Plin. Ep. IX. 30. *Ea invasit homines habendi cupido, ut possideri magis quam possidere videantur. Splendidior*, neque ἐναργῶς, qui divitias non ut avarus abscondit, sed iis usu pretium facit. Nam usu demum opes *splendorem* acquirunt, II. 2. 4. — 26. Pro immensis opibus sunt latifundia per totam Apuliam porrecta. *Quidquid arat*, proventum agrorum, quos *arat*

Appulus, totius Apuliae. *Impiger*, durus, laboris patiens; adposito ad rem epitheto. — 27. *Occultare*, reconditum habere *horreis*. *Dicerer* ad totam ῥῆσιν spectat, si dicerer, essem Apuliae dominus. — 28. *inter opes inops*, propter infinitas cupiditates Senec. Herc. Fur. 166 *hic nullo fine beatus componit opes, gazis inhians, et congesto pauper in auro est.* Claudian. III. 199. *Nunquam dives eris, nunquam satiabere quaestu; semper inops quicunque cupit.* Ad Nostrum allusit Paulinus IX. Natal. *urit defectus miseri metus, et miser ardor habendi, atque ita et inter opes inopes, quasi Tantalus ille, inter aquas sitiunt, nec habent, quod habere videntur.* Adde Lup. Servasti el. laud. vv. 13. 14.

v. 29 *sqq.* Ecce me Sabino meo agello opulentiorem altero, latissimas in Africa possessiones habente! Egregie poeta suum felicitatis ex mediocritate sensum subjunxit, quo dilucidius propositae sententiae veritatem ostenderet. Jam in agri Sabini descriptione mirifice placet amoenitatis ejus habita ratio, qua divites, soli lucro intentos, minime tangi videas. Eadem fere de isto praedicat Serm. II. 6. 1. *modus agri non ita magnus, hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquae fons, et paullum silvae — purae aquae rivus*, Digentia, *splendidior vitro* III. 13. 1. — 30. *fides segetis*, quae dominum non *vanis eludit aristis*, (Virg. Ge. I. 226. coll. Tibull. II. 19.) ager, qui certum proventum praestat, nunquam *fallit* (ut Ovid. A. A. I. 450 cf. ad III. 1. 30.); quae laudes sunt boni soli. Ita *tellus silvis fidelis* Lucil. Jun. Aetn. 261. dicitur, quae serendis arboribus adcommoda est. Contra *tellus infida*, quae *segetem negat* Lucan. Phars. I. 647. *Eludi Cereris fide* ad Nostrum dixit Boeth. Cons. Phil. I. metr. 6. 5. — Agellus meus *fallit fulgentem imperio Africae*, latet possessorem latifundiorum Africae, ignoratur ei *sorte beatior* sc. ὤν, graece prorsus pro, sorte beatiorem esse, possessioenm (nam ita *sors* accipienda utique h. l.) beatiorem esse, h. e. agrum meum opulentiorem esse, proventus ubertate omnes istius possessiones exsuperare, nimirum si ager dominum modica re contentum nactus est, sors ejus beatior, uberior est, domino proventu ejus contento, quam amplissimorum latifundiorum, quorum uberrimo atque amplissimo proventu dominus haud satiatur. Sensus igitur totius loci est: Dives, qui totius Africae proventum colligit, vix sibi persuadebit, meum longe uberius esse praediolum. Hinc *agri* sors

s. possessio *beata* non est, quae possessorem beatum reddit, sed fertilis, ubertate praestans, proventu uber; uti *beata arva* V. 16. 41. *felix limus* Virg. Ge. II. 188. et saepissime alibi. De graecismo, *fallit beatior* vid. Lamb. et Boettig. ad h. l. Vechner. Hellenol. I. 32. et Jani A. Poet. p. 292. *Fulgere imperio* significantius quam, imperare Africae, h. „latissimas in Africa possessiones habere" uti optime jam vett. Scholl. Ita *regnare* adhibuit Noster II. 2. 9. Senec. ep. 89. *parum est, nisi trans Hadrianum et Ionium Aegaeumque vester villicus regnet*: et mox: *Quam vultis late possidere: sit fundus, quod aliquando imperium vocabatur: facite vestrum, quidquid potestis, dum plus sit alieni.* Indocte nonnulli de rege Africano vel Proconsule Africae, in Provinciam Romanam redactae, cogitant.

v. 33. Quamquam meae res parum lautae sunt. Docte iterum divitiae specialium notionum, quas divitum Romanorum latifundia suppeditarent, copia a poeta declarantur. Latifundia autem a reditibus, cujusque regionis praecipuis, exquisito ornatu indigitantur. Pro vulgari igitur, quamquam nulla in Calabria praedia possideam, docte est, quamquam Calabria nulles mihi e mellificio praestet reditus. De melle Tarentino vid. ad II. 6. 14. — 34. Neque tractus Campaniae, vitibus consitos. Formias, Campaniae oppidum, et Formianum inde vinum exquisita ratione (ut *praelum Calenum* I. 20. 9. *falx Calena* itidem de vino Campano) et *diota Sabina* I. 9. 7. pro vino Sab. poeta ab *amphora Laestrygonia* designat; nam Laestrygonas olim Formianos tractus insedisse, notum vel ex Hom. Od. χ. 82. Cf. Ovid. Met. XIV. 233. — *Bacchus* s. vinum *languescit*, vetustatem trahit, mitescit (ut *molle merum* I. 7. 19. *vina languidiora* III. 21. 6.) *in a*, adposito ad vinearum multitudinem declarandam ornatu. — *Nec pinguia . . . pascuis*, neque in Gallia Cisalpina pascua possideo, quae lanigeros greges alant, unde quaestum faciam. *Gallicae oves pretiosiores habentur, earumque praecipue Altinates.* Colum. VII. 2. 4. ubi vide Intpp. — *vellera pinguia*, lana densa, spissa, qualis est ovium pinguium. Unde oves εὐτρεφέας Homer. Od. IX. 425. itidem δασυμάλλους vocat. Pascuorum istorum praestantiam ita simul innui, facile intelligas. — *mihi crescunt*, mihi quaestui sunt, venuste.

v. 37. Est tamen, quantum satis. *Pauperies importuna*, propter quam homini nunquam quieto esse licet, quae continuo ve-

xat, curisque obruit hominem, χαλεπή, θυμοφθόρος, Hesiod. ἐργ. 715. Cogitanda autem *Pauperies* persona (ut III. 29. 56) quae adsidet homini, una habitat, eique molesta est. Jam Theogn. 741. Ἆ δειλὴ Πενίη, τί μένεις προλιποῦσα παρ' ἄλλον ἄνδρ' ἰέναι; τί δὲ δή μ' οὐκ ἐθέλοντα φιλεῖς; ἀλλ' ἴθι, καὶ δόμον ἄλλον ἐποίχεο, μηδὲ μεθ' ἡμῶν αἰεὶ δυστήνου τοῦδε βίου μέτεχε, eodem suavi figmento. — 38. *si plura velim* cet. mirifice placet generosi animi sensus, *unicis Sabinis satis beati* (II. 18. 14.) etsi largioribus consequendis Maecenatis munificentia facile spem faceret, hocque beneficium prae se ferentis. Cf. V. 1. 25. sqq. Sordidi vero atque abjecti putandi, qui poetam simulata hominis sua sorte contenti persona, plura hoc subtili, quod ipsis videtur, artificio a Maecenatis liberalitate elicere voluisse suspicantur. — 39. *Melius porrigam*, latius extendam, ampliora faciam *vectigalia*, reditus ex agris exiguos, h. l. ipsos agros, agellum meum Sabinum, dum *contraho*, coarcto *cupidinem*, cupiditates, pauca desiderando, *quod cessat ex reditu*, *frugalitate supplendo*, ut Plin. Epp. II. 4. *Porrigere* eodem sensu Senec. ep. 89. *Quousque fines possessionum propagabitis? — — quousque arationes vestras porrigetis* cet. Praeclare autem opponitur τῷ *contracto*. — 41. *Quam si* longinquos Asiae tractus, eosque fertilissimos possideam. Pro hoc docte est: si *regnum Alyattei*, regis Lydiae, Lydiam, *campis Mygdoniis*, Phrygiis *continuem*, continuatam possideam, *in provinciarum spatium rura dilatem* (ut Senec. l. l. ait), dilatato simul cupidine. *Agros continuare* eodem sensu Liv. XXXIV. 4. Ad sententiam Cic. Parad. VI. 3. *Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. — capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia, ego centena ex meis: illi aurata tecta* cet. *infinite concupiscenti, non modo ad fructum ille est sumtus, sed etiam ad foenus, exiguus; ex meo tenui vectigali, detractis sumtibus cupiditatis aliquid etiam superabit. Uter igitur est divitior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat?* — 42. *Multa* qui concupiscunt, egere se profitentur. Idem Cic. l. l. c. 1. *Qui innumerabiles cupiditates habet, hunc quo modo ego adpellabo divitem, quum ipse etiam egere se sentiat?* — 43. *Bene* ei *est*, beatissimus est, cui *Deus obtulit*, nec petenti dedit, *quod satis est*, τὰ ἀρκοῦντα, quae paucis admodum continentur; hinc *parca manu*, modicas facultates.



ARGUMENTUM XVII.

Jocose Horatius hoc carmine diem crastinum praetexta Genii religione genialiter agendum Aelio Lamiae indicit, feriandi occasione a procellosa ac pluvia tempestate (cf. I. 9. v. 12.) desumta, quam facete crastino die exorituram a cornice monitus Lamiae praesagit. Habet omnino hoc carmen, si incessum ejus recte expendas, multum venustatis, proditque amoenum Horatii ingenium, cum amicis (inter quos Lamiam primo loco numeres. Vid. I. 26. 8.) facete jocantis jucundeque convivantis. Lepidos autem poetae jocos et in summa carminis et in toto ejus habitu facile deprehendas. Summam Lamiae exspectationem, quam exordio fecerat, stemmate ejus ab antiquissimo usque Lamo deducendo, reique veritatem partim levibus partim gravioribus argumentis adserendo, tempestatisque a cornice praedictae, commemoratione aliquantisper suspensam, ita extremis demum vv. explicat seu potius eludit, ut crastinum diem Genio omninoque convivali hilaritati dandum pronuntiet. Urbane se ita simul convivam Lamiae offerre Horatium, urbanum quemque suus facile sensus docebit. Ita vero si totius carminis tibi fingas ingenium, neutiquam ferro opus erit, quo amoenam lepidi poetae luxuriem compescas. Neque mirandum utique, tam artificiosum carminis contextum interpretes minus perspexisse.

Adnotationes.

v. 1. *Vetusto nobilis ab Lamo*, nobilissimae prosapiae, utpote ab ipso Lamo, Laestrygonum rege, deductae. Multas gen-

tes Romanas, tam patricias, quam plebejas, ambitiose originem suam ad Urbis primordia, atque altius adeo, maxime ad Trojana tempora (cf. Virg. Aen. V. 117 — 123.) miro lusu etymologico pro fundamento posito, retulisse facile adparet, si vel obiter Romanarum familiarum stemmata perlustres. Ita Lamiarum originem Lamo, Laestrygonum, vetustissimorum Campaniae incolarum, rege, descendere vulgaris Romae opinio erat, uti ex h. l. cognoscitur. — 2 sqq. Facete indulget sibi poeta in adstruenda originis istius veritate, argumentis a vulgari istius rei fama, cui quidem ipsa Lamiarum stirps, jam longis retro seculis Romae cognita, fidem faciat, petitis. *Quando*, siquidem *ferunt*, constans fama est, *hinc*, ab isto Lamo *denominatos* fuisse, nomen traxisse *Lamias priores*, majores tuos, primores gentis; et *genus omne nepotum* (in recto casu), longa nepotum inde orta series, *per memores fastos* celebrata; cujus memoria in fastis viget, *or. ducit*, descendere putatur ab illo *qui* cet. In posteriori membro novavit structuram poeta, quae lenius ita procedebat: ferunt Lamias hinc denominatos, et genus nepotum ducere orig. Recte autem distinguit poeta priores Lamias a nepotibus eorum, quandoquidem horum demum res praeclare gestae, quos in Lamiae gratiam leviter attingit, fastis adsignari potuere, illis ultra Romanae reip. tempora adsurgentibus. *Fasti* docte *memores* dicuntur, qui rerum gestarum memoriam servant; ut IV. 14. 4. Pro *hinc* in altero membro est, *auctore ab illo*, propter sqq. — 6 Formiarum conditore. Plin. H. N. III. 5. *Formiae oppidum, antiqua Laestrygonum sedes.* Easdem Ovid. Met. XIV. 233. adpellat *Lami veterem Laestrygonis urbem*, τηλέπυλον Λαιστρυγονίην, Hom. Od. X. 81. Nam Formiae a Lacedaemoniis demum, urbem instaurantibus, adpellatur. Strabo IV. p. 161. Plura de hac re congesta vide a Torrent. ad h. l. et Ruperto ad Sil. VII. 276. — *Princeps* primus, ut III. 30. 13. — *et innantem . . . late tyrannus*, oram Minturnensem possedisse. Docte istam designat poeta a Liri flumine (de quo v. ad I. 31. 8.), qua is *Maricae litoribus*, litorali Minturnensium plagae, *innat*, eam perfluit. Sed alterum magis proprie cursum Liris per paludes Minturnenses in mare sese exonerantis describit. Innat adeo stagnanti paludum aquae, effundit se in istas paludes. Alii ad lentum placidumque ejus cursum, quo ad litoralem Maricae silvam defertur, referunt, quod innare dici nequit. Et alterum satis poetice putandum dici de limpido

fluvio (*gemmantem gurgitem* ei tribuit Sil. IV. 350.) coenosam aquam permeante. *Marica*, inquit Serv. ad Virg Aen. VIII. 47. „dea litoris Minturnensium (h. litoralis circa Minturnas plagae, quae paludosa est) juxta Lirin fluvium, ubi ei lucus consecratus erat. Unde easdem oras *umbrosae regna Maricae* indigitat Lucan. II. 424 Ejus religionem ad Porphyrionis mansisse aetatem, ex ejus nota discitur. — *late tyrannus* εὐρυκρείων.

v. 9. Cras pluvia tempestas erit. Hoc egregie exornavit poeta. *Eurus demittit* defundit *tempestatem*, deorsum ruens, καταΐσσων, nota imagine poetica, qua procellae ex alto (ὑψόθεν, καταταΐγδην, Orph. A. 1180. Arat. Phaen. 423.) in terram praecipites feruntur; unde καταΐξ, et καταιγίδες dictae. Εὔρου χειμερίας καταιγίδας dixit Perses VIII. 1. (A. Br. II. 5.) et ejusdem venti τρηχεῖαν καὶ ἀιπήεσσαν καταιγίδα Leonid. Tarent. XC. 1. (A. Br. 244.) Plura vide ad I. 3. 12. Jam pro, silvas commovebit, vexabit, effecta posuit, *sternet*, consternet *nemus*, humum nemoris, *multis foliis*, decutiet folia arboribus: terra constrata erit foliis. Eodem colore tempestas adumbratur II. 9. 6 sqq. — 10. *et litus alga* consternet, gravissimas in mari procellas excitabit; nam algae ejectae turbas in maris fundo arguunt. Homer. Il. IX. 4 sqq. ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα Βορέης καὶ Ζέφυρος· — ἄμυδις δέ τε κῦμα κελαινὸν κορθύεται, πολλὸν δὲ παρὲξ ἅλα φῦκος ἔχευαν. Cf. Virg. Aen. VII. 590. — *inutili*, proverbiali algae epitheto (*projecta vilior alga* Virg. Ecl. VII. 42.) cujus tamen multiplex usus hodie innotuit. Ceterum, quod a poeta facile exspectari poterat, ut specialibus tempestatis violentiam repraesentaret coloribus, temere inde quosdam suspicari arbitror, Lamiae fundum prope Formias fuisse, quem scilicet petiturus fuisset Horatius. — 12. *nisi fallit*, si fides habenda est *cornici*, *aquae auguri*, impendentem pluviam crocitatione (κρώζουσα Arat. Diosem. 1002.) adnuntians. Arat. Dios. 1022. Χειμῶνος μέγα σῆμα καὶ ἐννεάγηρα κορώνη νύκτερον ἀείδουσα. Cf. III. 27. 10. Ad Nostrum Ovid. Am. II. 6. 34. *pluviae graculus augur aquae* — *annosa*, longaeva, quae adeo non fallitur, longa annorum serie edocta. De longa cornicum aetate vid. ad IV. 13. 24.

v. 13. *Dum* igitur *potis* es, dum per pluviam licet, *compone* para, repone sub tecto ligna arida, crastino die foco admovenda; ne fumo nobis molestias creent. Nam *circa* focum et *Lares* (V. 2. 66) *posita* erat familia, in festa laetitia, maxime ruri. Festive au-

tem poeta praeludit sequentibus, quae tandem Lamiam, per longas ambages in summam exspectationem adductum, de ejus consilio certiorem faciunt. — *cras Genium* s. Larem *curabis*, curam ejus geres, veneraberis, sacrum ei facies. Genii omnino caussam praetendebant veteres, quotiescunque se lautius atque hilarius excipere vellent; unde natae loquendi formae, *Genio litare*, *placare eum*, *geniales epulae* et sic porro. Dum igitur Genio sacrum parari vult, hoc ipso diem crastinum genialiter agendum augustiore specie indicere putandus est poeta. Vide omnino ad I. 4. 11. 12. Tum Genii satis obscura, saepiusque cum Laribus confusa religio. Vide Censorin. de D. N. 33. Igitur et *porco bimestri* in *tali* sacrificio recte locus esse poterat, (cf. Schott. Obs. II. 14.) etsi mero, ture et libis Genio facere solenne esset: quod adeo intpp. offendere haud debebat, qui forte *curare cutem* rectius dici opinabantur, quam *curare deos*, h. sacra iis parare. Ita plane *Larem curare* dixit Plaut. Aulul. prol. 19. In deliciis autem apud vett. erant porcelli, ut satis notum. — *bimestri.* Decimo a partu die ad sacrificium idonei erant, juxta Varronem II. 4. 16. — 16. *Cum famulis*, servis, *operum solutis*, ab opere diurno per festum diem (ut statim carm. seq. v. 11. 12.) solutis, quod per imbrem vix fieri potuisset; Θεράποντας λυσιπόνους Pindar. IV. 72. cum Nostro comparat Gedik. ad eundem p. 158.



ARGUMENTUM. XVIII.



Faunum Faunalium die (qui in Nonas Decembres incidit, quod e v. 10 ponere licet; alteri enim Faunali idus Febr. consecratae erant) hoc hymno veneratur poeta, precaturque, ut Sabino suo imposterum etiam prospiciat. Adornatum eum esse ad antiquam precum formulam, cum solenni obtestatione, in promtu est videre. Progreditur inde poeta ad describendam rusticam istius diei laetitiam,

rusticis, ut ita dicam, coloribus pro argumenti ratione egregie adumbratam. Oratio in eo facilis, venusta, numerosa. Religioso usui destinatum fuisse hoc carmen credunt Sanad. Dacer. alii; non ego.

Adnotationes.

v. 1. *Amatorem* s. sectatorem *Nympharum fugientium* quod Faunum in solenniore carmine poeta indigitat, cum priscorum hymnorum, munera atque adfectiones Deorum exponentium, rationi satis consentaneum videri debet, tum quod poetico huic figmento notio subest physica, quae primaria cultus ejus divini causa statuenda est. Scilicet cum Deos agrestes naturae cum rudioris (ut Pan, Priapus, cet.) tum cultioris (ut Dii frugum, vini, pomorum cet. inventores) vim vegetam ac procreatricem symbolicam ferret antiquitas, fieri haud poterat, quin poetae, rem sensibus objicientes, vim ipsorum generandi ad amores humanos revocarent, infinitisque amatoriis fabulis involverent, donec tandem ad meros lusus, ludicramque amoris lasciviam res verteretur. Haec si animo teneas, ridebis mecum hariolationes interpretum, Faunum Nymphas persequendo ad Sabina Horatii rura delatum sic declarari statuentium.

v. 2 *sqq.* Solennem precum formulam χαῖρε, ἵλαθι, praeclare ad Fauni, dei agrestis ac vagi, indolem attemperavit poeta. Pro vulgari: *lenis*, propitius sis, tuere agros ac greges meos, doctius erat; lenis invisas, adeas meam villam: pro quo adcommodatius est: *lenis incedas, abeasque aequus*, propitio numine transeas, utpote de deo, agros et silvas continuo pervagante, ac nullibi morante ideoque nec templis culto, ut cetera agrestia numina. Κακοδαίμονα Faunum deum ἀλεξίκακον (cf. I. 17. init.) faciunt, qui poetam iram hujus dei deprecari existimant, *lenis incedas et aequus abeas,* explicantes: neque iratus venias, neque irae vestigia relinquas. *Lenem* autem et *aequum* recte placidum, benevolum, propitium dici, nemo facile exemplis probari cupiat. — *fines et aprica rura,* agros, copia poetica. — *parvos alumnos* h. l. et III. 23. 7. prave utique Scholl. explicant vernulas ruris, θρεπτάρια (uti ὑποκοριστικῶς dicebantur; vid. doctum Valken. Anim-

advv. ad Ammon. c. III. p. 173.) s. pueros servorum in villa Horatii; quos plerique recentiores intpp. sequuntur, quornm nonnulli, qui *Faunis in quiete ludibria*, adscribi e Plin. XXV. 14. nossent, eo tandem prolabuntur, ut ephialten nocturnum a pueris suis Horatium deprecari existiment. Quanto concinnior contra; quanto simplicior precum ratio: Faune, tutare agrum, tutare greges meos! prae altera, quae agris et vernulis prospicit. Pro gregibus autem quaesitius posuit *alumnos parvos*, agnos et hoedos tenellos, foetaram gregis, morbis quippe magis obnoxiam, maxime auctumnali tempore. Hinc III. 23. 7. *aut dulces alumni pomifero grave tempus anno* s. sentient. Quid apertius isto loco? Quid apertius altero I. 17. 2. de Fauno pecorum custode: *igneam defendit aestatem capellis usque meis pluviosque ventos*? Duobus igitur, arvis et gregibus, quae maxima rei rusticae momenta faciunt, Fauni, arvorum et gregum custodis, benevolentiam puta expeti a poeta. Sed ad alteram interpretationem delapsi sunt intpp., quum semel in animum sibi induxissent, omnia ad avertendam Fauni iram atque noxam spectare.

v. 5. Si quotannis sacro, stato die tibi parando, numen tuum veneror, si Faunalia tua quotannis rite celebro. Solennis haec Deos obtestandi formula, ubique obvia in poetis. Ornate autem partes sacrificii enumerantur, tus, merum, victima. *Haedus cadit*, tibi immolatur (ut I. 4. 18.) *anno pleno*, impleto, exacto, quotannis. — 6. Si neque largum vinum *deest craterae*, si impleo vino, tibi libando, pateram, si merum tibi libo. Venuste admodum cratera audit *Veneris sodalis*, τερπνοτέρα γὰρ Ἀφροδίτη μετὰ Διονύσου, καὶ τὸ παρ' ἀμφοῖν ἡδὺ σύγκρατον, Lucian. Amor. 12. p. 410. ratione satis manifesta, qua eadem, ἥδιστον πρόπολον βαρυγδούπων Ἐρώτων οἶνον ἀερσίπνουν adpellat Ion Chius apud Athen. II. p. 35.; cujus tamen nonnulli parum memores conjunctionem istam a Veneris et Bacchi παρεδρίᾳ invenuste repetunt. Similiter οἶνον Panyasis in Stob. Grot. p. 105. adpellat πάσης συνοχηδὸν ἀοιδῆς, et λάγυνον Marc. Argentar. XXI. (A. Br. II. 271.) κασιγνήτην νεκταρέης κύλικος, eandemque Incertus epigram. LXXVII. 3. (A. Br. II. 165.) Βάκχου καὶ Μουσέων ἱλαρὴν λάτριν καὶ Κυθερείης, quod adpositissimum est. Alia de hoc sodalitio, ut ita dicam, poetico, vide ad I. 25. 19. — Sique *ara* tua *multo odòre*, ture aliisque odoris rebus (nam et alias res adoleri consuevisse, facile cogas e Tibull. II. 2. 3. *Urantur pia tura focis*,

urantur odores; vid. ibi Heyn. adde Prop. IV. 6. 5.) ei injectis fumat. — *vetus* praeclare multis retro annis sacrificia in ea facta innuit.

v. 9 *sqq.* Effrenior hilaritas, Faunalibus omninoque festis Deorum agrestium diebus propria, vivide admodum adumbrata a poeta subjicitur: admixtis qui augustiorem rei speciem praeberent, coloribus, a praesentia Fauni ductis; quod temere a quibusdam reprehendi videas. Laetitiae autem sensum, quo, deo adventante, omnis natura perfunditur, ad greges potissimum revocavit poeta h. l. quod Faunus istorum custos haberetur. Ita, Baccho praesente, *largo pubescit vinea fetu*, apud. Virg. Ge. II. 390. Conf. Calpurn. Ecl. IV. 102 — 116. Pecus omne *ludit*, exsultat, lascivit (III. 11. 10.) *herboso campo*, in pascuis, pratis. Calpurn. l. l. *Adspicis, ut teneros subitus vigor excitet agnos*? in Pales adventu. Ad diei festivitatem omnes greges in prata fuisse actos nescio qua de causa statuant nonnulli, quum in Italia initio hujus mensis a pastu necdum revocari soleant. — 10. *tibi redeunt Nonae Dec.* quibus tibi sacrum fit. *Redeunt*, de sacro anniversario. — 11. Solennis boum jugo solutorum in rusticorum feriis mentio. Tib. II. 1. 15. *Luce sacra requiescat humus, requiescat arator, et grave suspenso vomere cesset opus, solvite vincla jugis.* — *festus pagus*, agricolae diem festum, hilarem agentes, laeti *vacant in pratis*, opere intermisso feriantur, exsultant in pratis; sacra enim rustica sub dio celebrabantur. Vid. I. 4. 11. — *otioso*, libere per prata vagante; suavis pictura.

v. 15. Aucta h. l. rei imago, I. 17. 5. sqq. *Impune tutum per nemus* cet. prodita; colore ab aurea aetate petito. Virg. Ecl. IV. 22. *nec magnos metuent armenta leones.* Cf. V. 16. 51. Invertit autem poeta sententiam, nam proprie *agnus audax errat*, audacter errat, secure vagatur *inter lupos*: *errare* enim de libero ac securo pastu proprium. — 14. Folia mense Decembri arboribus delapsa in miraculum vertit poeta, quod sane Italiae regioni satis consentaneum erat. Referendum ad φυλλοβολίαν, in honorem deorum antiquitus institutam; de qua Virg. Ecl. V. 40. *Spargite humum foliis*, in Daphnidis honorem. Suaviter autem ipsam silvam hoc laetitiae sensu animat poeta, quod forte a rusticis isto die fieri solebat. Cf. Schol. Cruq. Igitur *silva tibi adventanti* honoris causa *frondes spargit*, excutit, humum iis consternit. Atque haec simplicissima fuerit ratio. Heynius tamen

ad Virg. Ecl. IV. 50. de nutantibus adventu dei agrestis arborum cacuminibus vult intelligi; exquisitiore utique phantasmate: cui tamen vereor, ut ratio loquendi satis addicat. — *agrestes*, utpote deo agresti. — 15. *Fossorem* speciatim cum delectu memorat poeta; propter graviorem vineae fodiendae, fossaeque ducendae laborem, a quo per festum diem vacuus *gaudet pepulisse*, cum intimo laetitiae sensu *pellit* quatit *ter pede terram*, tripudiat, saltat. — *invisam*, tot aerumnarum causam, suaviter. Eadem ratione *damnatôs ligones* Calpurn. Ecl. IV. 117. dictos putabat Wernsd. ad eum locum. Ridicule autem fossorem nonnulli terrae isto die ruditer insultare credunt, quo sibi tot aerumnas, in ea colenda perlatas, ulcisi videretur.



ARGUMENTUM XIX.



In describendo hujus carminis argumento ab interpretibus vel aliena immisceri, vel praepostere ordinem ejus conturbari planeque perverti animadvertas. Nunc enim Telephum vel novae Iliados conditorem vel de antiquis historiis subtiliter disquirentem, aut carmine eas cyclio (v. 1. 2.) *persequutum ferunt; nunc carmen super convivium, in quo Telephus de temporum rationibus antiquisque historiis satis intempestive dispiceret, factum adserunt; sunt denique, qui coenam apud ipsum Telephum habitam, in qua praeter coenaculi frigus, vinique parcitatem, poetam Telephi ostentata eruditio paene enecaverit, salse perstringi censeant. Quae quidem intpp. judicia, a poetica, ne dicam lyrica, ratione prorsus abhorrentia, refellere nihil attinet. Tu ita statue: Quum Horatii sodales, de coena ἀπὸ συμβολῶν, forte in L. Licinii Varronis Mure-*

nae novi auguris honorem habenda deliberaturi, conventum antea (nam quamvis coenam συμβολιμαίαν *deliberatio antecesserit necesse est) agerent, interque confabulandum sermo, qui ipse erat hilarior atque liberior, a proposito sensim, ut fit, ad alia aberrasset; poeta, nonnisi de convivio cogitans, ut eos inde revocaret Telephum potissimum ex his increpat, quem maxime a re ad consultandum proposita eademque judicio suo gravissima, ad doctas nugas deflectere, in iisque mire sibi placere animadverteret. Tum ad ipsam convivii futuri hilaritatem delineandam progreditur, quam exquisito artificio repraesentat. Regnat in hoc carmine naturalis orationis vigor, a poetae commotioris adfectu prodiens; sententiae nullo arctiori nexu praecipitatae, ornate tamen ac vivide expressae. Graecum autem poetae obversatum fuisse exemplum, haud vane augureris; forte Ionis Chii II. (Anal. I.* 161.) *quod harum deliciarum amatoribus hic adponere lubet:*

Χαιρέτω ἡμέτερος βασιλεὺς σωτήρ τε πατήρ τε·
   ἡμῖν δὲ κρητῆρ' οἰνοχόοι θέραπες
Κιρνάντων προχύταισιν ἐν ἀργυρέοις· ὁ δὲ Χρύσης
   οἶνον ἔχων χειροῖν νιζέτω εἰς ἔδαφος
Σπένδοντες δ' ἁγνῶς Ἡρακλεῖ τ' Ἀλκμήνῃ τε,
   Προκλέϊ, Περσείδαις τ' ἐκ Διὸς ἀρχόμενοι,
Πίνωμεν, παίζωμεν, ἴτω διὰ νυκτὸς ἀοιδή.
   ὀρχείσθω τις· ἑκὼν δ' ἄρχε φιλοφροσύνης·
Ὅν τινα δ' εὐειδὴς μίμνει θήλεια πάρευνος,
   Κεῖνος τῶν ἄλλων κυδρότερον πίεται.

Super initio carminis in Adnotatt. monuimus.

Adnotationes.

v. 1. Maximopere placet poetae sedulitas, in adparando in Murenae honorem convivio omnes cogitationes defigentis, omniaque susque deque habentis, atque adeo indignantis, si quae praeter rem a sodalibus in medium proferri animadvertat. Increpat igitur Telephum, extra oleas vagantem, hoc exordio poeta, eumque ad propositum revocat. Vide omnino de dramatica hac exordii adornatione Argum. Neque dubitandum, quin graecum Horatio ante oculos obversatum fuerit exemplum. Similes ideae occurrunt in Sotionis fragm. apud Athen. VIII. 3. p. 336. τί ταῦτα ληρεῖς φληναφῶν ἄνω κάτω, Λύκειον, Ἀκαδημίαν, Ὠδεῖον, πύλας, λήρους σοφιστῶν; οὐδὲ ἓν τούτων καλόν· πίνωμεν, ἐκπίνωμεν. Anacreon. XXXVI. τί με τοὺς νόμους διδάσκεις, καὶ ῥητόρων ἀκάνθας (ita omnino leg. pro eo quod nunc obtinet, ἀνάγκας) τί δέ μοι λόγων τοσούτων τῶν μηδὲν ὠφελούντων: μᾶλλον δίδασκε πίνειν cet. Et ejusdem epigr. LXXXIV. 1. 2. (Anal. Br. I. 119.) οὐ φίλος, ὃς κρατῆρι παρὰ πλέῳ οἰνοποτάζων νείκεα καὶ πόλεμον δακρυόεντα λέγει. — *Quantum distet*, quanto temporis intervallo a se invicem distent *Inachus*, antiquissimus Argivorum rex, a quo ultima temporum procedebat computatio, et *Codrus*, ultimus rex Atheniensium, *non timidus*, promtus paratusque *mori*, μὴ ὀκνῶν θανεῖν, graeca structura. Res ipsa notissima vel e Justin. II. 6. — 3. *narras*, cum vi, ληρεῖς, φληναφεῖς φλυαρεῖς, exponis, expedis nunc istas chronologicas difficultates, quum de re gravioris momenti deliberandum sit, importune tricaris. — et *genus*, stirpem nobilissimam *Aeaci*, Oenopiae regis, percenses, Peleum, Telamona, et inde prognatos, Achillem, Teucrum et Ajacem, sicque nugando delaberis tandem ad *bella*, pugnas *sub Ilio*, ad Ilium *pugnatas*, editas, factas, novamque adeo Iliada exordiris. *Bella* s. pugnam *pugnare*, μάχην μάχεσθαι, notissimo Graecismo. *Ilium sacrum*, Ἴλιος ἱρή, Homerico epitheto; veluti Il. δ. 46. propter deos πολιούχους; res nota.

v. 5. Ceterum de re multo majoris momenti, de adparando, quod instat, convivio, verbum nullum. Seqq. manifeste docent, de coena ἐκ συμβόλων adornanda, in qua aequalem quisque impensarum partem (unde ἰσοτελεῖς dicti), quae in epulas insumerentur, sustinebat, a Muraenae amicis deliberatum fuisse. De conviviis συμβολιμαίοις vide docte dispicientem Salmas. Obss. ad Jus

Att. et Rom. c. III. p. 62. sqq. Tangit autem poeta potiora convivii momenta, *quae* illud, juxta Varronem apud Gell. XIII. 11. *omnibus suis numeris absolutum* efficiunt, *si belli homunculi adsint* (quales Horatii sodales recte tibi finges) *si electus locus* (quo praebente domum cet.) *si tempus lectum* (quota hora cet.) *si adparatus* (Chius cadus) *non neglectus.* — *cadum Chium*, vini Chii, in pretiosioribus habiti, de quo Athen. I. p. 28. Conf. Serm. I. 10. 24. et Tibull. II. 1. 28. Unde satis adparet, de opiparo ac pollucibili coena eos cogitasse. — 6. *quis aquam* ad balneum *ignibus temperet*, calefaciat. Balnei, quod respexit poeta, usus ante coenam satis notus apud veteres. Venuste autem ita de eo disquirit, in cujus domo epulae essent celebrandae; unde subjicit, *quò praebente domum*, quis domum praebeat, apud quem convivemur; nihil amplius. Aliena est ab h. l. de usu verbi *praebere*, *παρέχειν*, partes sumtuum in se recipere, observatio. Noster Serm. I. 5. 37. *In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus, Murena praebente domum.* — 7. 8. *et quota* hora epulaturi simus, h. utrum de die (v. ad I. 1. 20.) an consueta hora convivium incepturi simus. Pro hoc, quo se ad tempestiviorem compotationem proniorem ostenderet, suaviter ac festive ex suo sensu, frigoris impatientissimo: qua hora *caream frigoribus*, calefiam; coenaculum enim hieme calefiebat, ut notum. *Pelignis*, quale est in Pelignis; quae regio inclementius coelum habet. Auget adeo simpliciter, ut *nix Sithonia* III. 26. 10. Solennis autem luculentioris foci mentio in compotatione, ut I. 9. 5. III. 17. 14.

v. 9. Festinantem ad pocula poetam omnisque morae impatientem praecepta animo ejus convivii futuri hilaritas vivide admodum declarat. Sedent convivae, leges bibendi ponuntur, certatur poculis, convivium agitatur liberius, exoritur clamor inconditus etc. Quo exquisito artificio, passim Nostro frequentato, rerum species nova quasi luce perfundi, totumque carmen mire animari, facile quisque sentiat. Hoc autem loco tanto majorem vim habet, poetae impatientia cessatori Telepho opposita. Ceterum symposiarchi persona sumta sqq. a poeta pronuntiari putanda. — *Da*, *ἔγχει*, *ἐπίχει*, tempera atque ministra poculum *Lunae novae* (altero casu) in Lunae honorem ebibendum; cujus quidem, uti mox *Noctis* ratio unice ideo habetur, quod compotatio in multam noctem protraheretur. Unde et somni poculum habet Eubulus apud Athen. I. p. 36. Cf. III. 28. 15. Argutius paullo ad

primum Murenae augurium trahunt, quod quidem a media nocte capere solenne erat. Ceterum et cyathi in poculum infusi et ipsum poculum solenni loquendi usu illius dicebatur, in cujus honorem bibebatur, habita simul in infundendis cyathis syllabarum nominis ejus, atque singularum adeo vocum ratione, ita quidem, ut unaquaeque deinceps in unoquoque affusa cyatho, ne fraudi locus fieret, recitaretur. Callim. ep. XXXI. 1. *ἔγχει, καὶ πάλιν εἰπὲ, Διοκλέος·* Meleag. XCVIII. (A. Br. I. 28) *ἔγχει, καὶ πάλιν εἰπὲ, πάλιν, πάλιν, Ἡλιοδώρας· εἰπὲ σὺν ἀκρήτῳ τὸ γλυκὺ μίσγ' ὄνομα.* Cf. ejusd. quod ibi sequitur ep. XCIX. Adde Posidipp. X. (A. Br. II. 48.) Eubuli apud Athen. l. l. — *novae ortae*; nihil amplius. N. autem *mediae*, cum vi utpote in compotatione ad mediam noctem producta; quamquam parum subtiliter de Nocte dea. *Da* ter repetitum satis *ἐναργῶς* Horatii intemperias ostendit. — *auguris* nuper facti, in auguratus ejus honorem.

v. 11. Duo miscendi vini modos imperat poeta, alterum, quo tribus vini novem aquae cyathi admisceantur, alterum, quo novem vini cyathi cum tribus aquae temperentur, vel quod simplicius erit, tres aquae partes cum vini una, vel tres vini, cum una aquae parte *ἢ τρεῖς πρὸς ἕνα κύαθοι, ἢ ἕνα πρὸς τρεῖς.* Illud vulgare ac sobrie potantium temperamentum; Even. XV. 3. (A. Br. I. 166.) *Χαίρει κιρνάμενος τρισὶ Νύμφαις τέτρατος αὐτὸς* (ὁ Βάκχος). (fere ut Tibull. III. 6. 57. *Naida Bacchus amat; — — temperet annosum Marcia lympha merum* coll. Meleagri CXIII. 3. *Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος· ἢν δέ νιν εἴργῃς μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.* et Timothei *ἐν Κύκλωπι* apud Athen. XI. 465. *ἔχευε — ἔμισγε δ' ἄμα Βακχίου νεορρύτω δακρύοισι Νύμφαν*) Ejusdem fere temperamenti erant quinque aquae cum duobus vini mixti cyathi. Conf. omnino Athen. X. 7. p. 426. — *miscentor*, praeclare e symposiarchi persona. Pind. Nem. 9. 119. *ἐγκιρνάτω τίς μιν* (κρητῆρα) — — *ἀργυρέαισι δὲ νωμάτω φιάλαισι ἀμπέλου παῖδα.* Ion Chius II. 2. (A. Br. I. 161.) *ἡμῖν δὲ κρητῆρ' οἰνοχόοι θέραπες κιρνάντων προχύταισιν ἐν ἀργυρέαις.* Doctius autem dicitur *pocula cyathis miscere*, quam cyathos aqua et vini in poculis miscere, temperare. — *commodis*, ut cujusque potoris ingenio commodum erit, sobriis ac modestis vinum dilutius; insanis contra, quales poetae sunt, meracius bibentibus. Explicatius hoc poeta statim subjungit.

v. 13 — 17. Qui Musas amat, Musisque amatur, *Μουσῶν*

φίλος ἂν poeta (Vid. ad I. 26. 1.) *petet* petere eum decet, consentaneum est novem *cyathos* ob Musas *impares* h. novem. Poetis enim insania propria. Hinc vates *attonitus*, ἐμβροντηθεὶς, ἐμβροντητὸς (ita ποιητὰς ἐμβροντήτους vocat Lucian. Timon. I. p. 99.) μουσόληκτος, propter τὸ ἐνθουσιᾶν, cujus cum insania solennis comparatio. *Attonitas Maenadas* h. furentes occurrunt apud Juvenal. VI. 316. et ἐμβροντηθῆναι pro μαίνεσθαι apud Menand. ἐν γεωργῷ apud Grot. Excerpt. p. 713. Alia vid. Hemsterh. allata ad Lucian. l. l. Eandem fere mensuram poscit Anacreon apud Athen. X. p. 426. cujus vv. ita constituendi videntur:

ἄγε δὴ φέρ' ἡμῖν, ὦ παῖ,
κελέβην ὅκως ἄμυστιν
προπίω, τὰ μὲν δὺ ἐγχέας
ὕδατος τὰ πέντε δ' οἴνου
ὡς ἂν φρέν' ὑβριστιῶσαν
ἀναδεύσας βασσαρήσω,

cyatho putido κυάθους et inferio φρέν' — 15 sqq. Suavis conversio vulgaris sententiae: Verecundiorum portio erunt tres cyathi. — *supra* ultra tres, plures quam tres *prohibent* vetant Gratiae *tangere*, exquisitissimo verecundiae sensu pro, capere, bibere; qui Gratiis litant, ternum Gratiarum numerum petunt, ultra tres haud progredi audent. Hinc πρώτην πόσιν Panyasis (apud Athen. I. p. 36.) ἀπονέμει Χάρισι ϗ Ὥραις· τὴν δὲ δευτέραν, Ἀφροδίτῃ· Ὕβρει δὲ ϗ Ἄτῃ. τὴν τρίτην. Item Eubulus apud Athen. l. l. τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω τοῖς εὖ φρονοῦσιν cet. — *rixarum metuens*, abhorrens, aliena a rixis, ut *metuens viri alterius castitas* III. 24. 22. Cf. Serm. II. 3. 110. et vid ad II. 2. 7. Male alii. — Gratia *juncta Sororibus*, docte pro, Gratiae junctae Vid. ad III. 21. 22. — *nudis*, nam et nudas eas exhibebat serior antiquitas. v. Pausan. IX, p. 782. Cf. IV. 7. 6. et ad I. 30. 5.

v. 18. *Juvat*, volupe, dulce est (ut IV. 12. extr.) *insanire*, μαίνεσθαι, exsultare laetitia; θέλω, θέλω μανῆναι Anacr. XXXI. Insaniam, s. effusiorem poetae hilaritatem egregie decent breviter enuntiatae, abruptaeque sententiae in sqq. Cf. II. 17. 21 sqq. — *cur cessant flamina tibiae*, cur non inflatur, reboat tibia. *Flamina tibiae*, αὐλῶν, λωτοῦ πνεύματα, Eurip. Phoeniss. 794. Bacch. 128. et saepius alibi. — *Berecyntiae*, in Cybeles sacris adhiberi


solitae; auget furoris ideam. — 20. *Cur pendet*, cur cessatur in deripiendis de pariete lyra et fistula. — *tacita*, muta; opponitur lyra *loquax*, φωνάεσσα (ut in Sapphus fragm. ἄγε, χέλυ δῖα μοι λέγε, φωνάεσσα δὲ γίνεο apud Urs. p. 7.) εὔφθογγος et sim. ἠπύτα σῦριγξ Quint. Cal. VI. 170. — 21. *Odi parcentes dexteras*, quanto significantius quam, intolerabilis ista cunctatio est, enecat me haecce ignavia: *parcentes* sc. deripere, cunctantes der. quae non dudum deripuerint; notissimo verbi gr. φείδεσθαι, usu. Ita Φείδεσθαι κελεύθου, de omittenda expeditione Pind. Nem. 9. 47. Explicant fere, otiosas; quod absolute dici nequit. Trahendum autem magis ad superiora quam ad seq. — 22. Rosarum et omnino florum in conviviis usus multiplex. H. l. mensa potissimum rosis instrata intelligenda. Cf. ad I. 36. 15. *Neu desint epulis rosae.* — *Audiat invidus* cet. tota vicinia nostro clamore percrepet, fere ut Propert. III. 8. 23. 26. *Tibia nocturnis succumbat rauca choreis, publica vicinae perstrepat aura viae*, ubi Burm. cum Nostro comparat Cic. pro Rosc. 46. *cantu vocum et nervorum et tibiarum nocturnisque conviviis tota vicinitas perstrepitò* et in Verr. V. 13. Quanto ornatior Noster, admixto senilis invidiae colore: Lycus senex, vicinus (vide quam docte disjunxerit haec epitheta poeta, ut locum significantiori faceret) *invidus audiat*, invidia propter ingravescentem aetatem rumpatur, dum *strepitum dementem*, insanientium juvenum, *audit* Jon. l. l. v. 7. Πινωμεν, παίζωμεν, ἴτω διὰ πυκτὸς ἀοιδή. — 24. Uxor Lyci, ei utpote *seni non habilis* minus apta, aversans eum, inversa oratione; proprie enim Lycus, morosus atque effoetus senex, uxori juvenculae *non* est *habilis*, ejus animo, moribus cet. minus commodus. Tanto aegrius accidebat Lyci auribus iste juvenum strepitus. Ceterum hac Lyci commemorata vicinia venuste admodum domum designat, in qua compotationem institui cupiat.

v. 25. Nexum ita tibi finge: quemadmodum autem illa senem Lycum aversatur, ita contra te Rhode efflictim amat, pulchra pulcherrimum. — *Nitidum*, fulgentem, insignem *spissa* pingui, densa *coma*, κομήτην; quae et decoris et vigoris juvenilis index. Φαιδίμαν κόμαν Paridi tribuit Pind. Nem. 102. λιπαρὰν ἔθειραν Theocr. V. 91. χρυσοχαίταν μαρμαίρων Eurip. Jon. 887 εὐβόστρυχον αἴγλην eadem specie dixit Irenaeus III. 3. (A. Br. III. 10.) Male nonnulli de coma uncta cogitant. — 26. Suavis formosi juvenis cum Vespero, stella Veneris comparatio. Laudant Virg.

Aen. VIII. 589 sqq. adde Senec. Hippol. 750 sqq. Quint. Cal. V. 131. Suavissime autem eam adhibuit Plato ep. XXI. (A. Br. I. 173.) Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος, νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις. — *puro*, recens e mari exorto, vel simpliciter, splendido. — 27. *tempestiva*, ὡραία, πέπειρος, in flore aetatis constituta. — 28. Ego minus felix sum in amore. Pro quo est: *me lentus amor torret*, ego lento amoris igne maceror, pereo (cf. ad I. 13. 8.) Glyceram asperam, immitem expertus. De Glycera v. I. 19. 5 sqq. Ridicula inscitia βραδινὰν Ἀφροδίταν cum lento amore h. l. componunt.



ARGUMENTUM. XX.



Monet Horatius hoc carmine Pyrrhum quemdam, ut ne temerario ausu Nearchum, puerum delicatum, a puella quadam, amore ejus pariter capta, abstrahere conetur; rem enim esse admodum arduam ac periculosam, quandoquidem puella ultima potius expertura sit, quam ut sibi eum eripi patiatur; tum ne periculi quidem pretium fore, in puero superbo atque amatores fastidiente. Haec omnia poeta ἀλληγορικῶς *extulit, puellam cum leaena comparans, pro catulis, quos Pyrrhus sibi ereptum eat, animose decertante. Totum carmen ad verbum plane e graeco poeta expressum esse, et argumenti et tractationis ratio facile evincunt. Primas allegoriae lineas deprehendebat Cel. Schneiderus* (*Animadv. in Anacr. p.* 107. *in Platonis Charmide T. V. p.* 111. *Bip.* Καὶ ἐνόμισα σοφώτατον Κριτίαν τὰ ἐρωτικά. ὅς εἶπεν ἐπὶ τοῦ καλοῦ λέγων παιδός, ἄλλῳ ὑποτιθέμενος

εὐλαβεῖσθαι, μὴ κατέναντι λέοντος νεβρὸν ἐλθόντα μοῖραν αἱρεῖσθαι κρεῶν. Αὐτὸς γάρ μοι ἐδόκει ὑπὸ τοῦ τοιούτου θρέμματος ἑαλωκέναι.

Adnotationes.

v. 1. *Non vides*, non animadvertis, intelligis, *quanto cum periculo moveas*, h. quam periculosa res sit, leaenae catulos *movere*, auferre, rapere? Et hoc, demta allegoria, pro temere agis, qui formosum adolescentem a puella, efflictim istum amante, abducere, abalienare conaris. *Movere* sc. latibulo, pro, amovere, quod solenne de furto pecudum. Vid. I. 10. 10. Burm. tamen ad Prop. I. 15. 26. explicabat *lacessere, irritare*, et ad Nostri locum facere existimabat Graec. proverbium, κύνα καθεύδουσαν μὴ κινεῖν; quam doctrinam huic loco parum opportunam non adfudisset poetae, si ipsum locum curatius inspexisset. *Leaenis* comparantur et alibi ἑταῖραι, ob ferinam, qua adolescentes spoliant lacerantque, indolem, veluti Anaxilae apud Athen. VIII. p. 558. Hoc tamen loco iracundiae magis summique erga catulos amoris (de quo v. Stat. Theb. X. 414.) ratio habita. *Gaetulae* auget feritatis notionem, ut I. 23. 10. — 3. *Post paullo*, mox, statim ubi raptos sibi cubiculo catulos leaena animadvertet, *raptor*, qui temeraria audacia impulsus, catulos ipsi eripere conabaris; graviter pro tenui, *tu.* — *fugies* subterfugere tentabis, detrectabis, *inaudax*, quo quidem meticulosum tuum animum manifestabis, (suaviter igitur τῷ *raptor*, cui audaciae notio inest, adjectum) *praelia dura*, acerrimum leaenae impetum; tergiversaberis cum ea congredi, non sustinebis ejus incursum. *Inaudax*, novum vocabulum, ab Horatio ad Gr. ἄτολμος formatum, quod ab aliis jam monitum video, *Tremebundum equitem* qui raptos tigridis catulos secum avehit, similiter vocat Claudian. R. Pros. III. 365.

v. 5. *Juvenum catervas* volunt esse amatores puellae, quos ea spernat, ut quae Nearchum solum sequatur, atque in hoc solo votorum summam defigat; hosque *obstare* leaenae persequenti ajunt, quod eorum intersit, Nearchum ab ea abstrahi. Vide mihi argutias intpp. Res ita potius animo informanda videtur: Plures huic expeditioni operam navantes cogita, ex his unum, (Pyrrhum) audacissimum haud dubie, catulos latibulo asportantem, celeri-

meque aufugientem, reliquos leaenam jaculis confodiendam opperientes. Hos igitur leaenae raptorem sequenti obstare existima. Sed vi viam sibi leaena per oppositas has juvenum venantum (θαλεροὺς αἰζηοὺς Homerus quoque venatores simpliciter vocat Il. γ.26.) catervas faciet, et *ibit repetens*, repetitum, ut recuperet *insignem* forma, formosum Nearchum suum. Sequi proprie debebat, ut repetat raptos suos catulos; sed, missa allegoria, Nearchum poeta posuit, perspicuitatis causa, ut Il. 7. 15. et alibi. — 7 *grande certamen*, (per adpositionem haec verba accipienda) super quo (Nearcho) grande certamen, acerrima pugna orietur, decertabitur, *tibine an illi* (puellae) Nearchus *major praeda cedat*, magis, potius praeda s. victoriae praemium cedat, uter vestrum Nearcho sit potiturus. Ita difficiliorem hunc locum expediendum esse arbitror, etsi nemini intpp. hanc rationem in mentem venisse videam. Nearchus per adpositionem *certamen* dicitur, h. de quo certatur, usitatissima poetis loquendi ratione. Adponam unum Euripidis locum satis luculentum, Hippol. 1140. νυμφίδια δ' ἀπόλωλε λέχη φυγᾷ σᾷ, λέκτρων ἄμιλλα κούραις; ubi λέχη dicuntur ἄμιλλα κούραις, *lectus, conjugium, super quo certabant puellae inter se.* Objectum igitur certaminis, sive res sit, sive persona, certamen absolute dictum. Ita Virbius Sil. It. IV. 390. *ultima palma* dictus, qui vincendus restat. Exemplorum struem congestam vide a Drakenb. ad Sil. VIII. 34. et a Rup. ad eundem I. 479. Etiam Acron et Porphyr. vv. 7. 8. ad antecedentia traxere hac adjecta duplici explicandi ratione: „Cum per obstantes juvenum catervas ibit grande certamen, (haud dubie hoc sensu: inter juvenes acerrime pugnabitur, pugna gravissima inter juvenes erit) repetens Nearchum: (quo repetatur N., quo dijudicetur, utrius Nearchus sit) aut obscura elocutione in Pyrrhum certamen ire dixit, in mulierem, (lege: certamen ire dixit mulierem, deleto *in*) quae certamen cum ea (leg. *eo* sc. Pyrrho) habitura esset, cupiens illi eripere Nearchum; ipsam enim Leaenam grande certamen dixit.“ Altero igitur loco leaenae verba, grande certamen, adposita Acron censuit; quod etsi per se satis commode fiat (ut leaena s. puella respectu Pyrrhi grande certamen dicatur, quatenus Pyrrhus gravem eam adversarium habiturus sit.) Ita, ne in exquisitiori hoc loquendi modo exemplum desideretur, Tyllio Gemino IV. 5. (Anal. Br. II. 280.) ὁ πτερόεις Ἔρως cum Hercule commissus vocatur ὄντως εἷς βαρὺς ἆθλος *gran-*

de certamen) hoc tamen loco seqq. vix admittere videntur. Recentiores intpp. disjungunt hos vv. a superioribus, supplentque Tum vero, ubi adsecuta te fuerit, erit, exsistet grande certamen; ut vero sententiarum ordo ac nexus sibi constet, ante sqq. iterum supplere necesse habent: *de quo admodum dubium est*, tibine cet. Ultima iidem recte quidem exponunt: *tune an illa superior futura sit;* sed loquendi rationem minus recte expediunt. *Praeda* est ipse Nearchus, praedae victori cedens. Nota Asinii Pollionis verba, quae roganti Caesari, ut secum adversus Antonium proficisceretur, respondit: *ero praeda victoris.*

v. 9. 10. Interim, dum vos strenue ad certamen accingimini, dum super Nearcho animose ac fortiter contenditis. Etiam haec ἀλληγορικῶς expressa. Pyrrhus *sagittas* e pharetra *promit*, leaenae incursum propulsaturus, eamque confossurus: leaena contra *dentes acuit*, θήγει ὀδόντας, invasura laceraturaque Pyrrhum. Ad aprum hoc proprie spectare, (Hesiod. Scut. 388.) monuere jam alii. *Erigere jubas*, et *stimulare sese* ad pugnam *caudae verbere* (Lucan. I. 205.) solenniora de leone. — 11. Quid vero Nearchus? inter acerrimam de se pugnam delicatulus iste ac superbus puer ventum sibi flabello facit, parum scilicet curans certamen vestrum, ejusque eventum. Praeclara sane atque consummata plane pictura! Adstat Nearchus, praemium certaminis, idemque *arbiter pugnae*, ἀγωνοθέτης, βραβευτής; nam in ipsius potestate erat, cujus esse vellet. Jam is palmam victori tradendam non, ut agonothetarum mos erat, manu tenet, sed humi projectam *sub pedibus positam* habet; quo insigniter fastidium superbiaque formosuli istius παιδαρίου et ferocientis, quod penes se solum stet, uter vincat, quod adeo victoriam sibi subjectam teneat, ostenditur. Nam *pedibus premere*, *sub pedibus tenere*, est pro mero arbitrio dominantium. Exempla locutionis vid. apud Burm. ad Prop. I. 1. 4. — *nudo*, non calceis sed soleis, iisque laxis (Prop. II. 22. 40.) innixo; quod delicatulorum hominum erat, ideoque indecorum habebatur. Scipioni hoc objectum, quod Syracusis *cum pallio* crepidisque *inambularet in gymnasio* apud Liv. XXIX. 19. Domitianum *certamini crepidatum praesedisse* tradit Suet. c. IV. — 13. Egregia ὑποτύπωσις pueri mollis et delicati; in summa brevitate tanto magis animum feriens. Vestitus laxus ac fluens, unde humeri aperti ac nudi; comae promissae ac per humeros fluitantes, (κόμαι μέχρι τῶν αὐχένων λελυμέναι Long. Past.

1. 2. Theocr. V. 91. Λιπαρὰ δὲ κατ' αὐχένα σείετ' ἔθειρα. Insignis praeprimis huc facit locus Chaerem. in excerpt. Grot. p. 845. in describenda per partes juvenilis formae specie: κόμαι δὲ κυροχρῶτες ὡς ἀγάλματος αὐτοῖσι βοστρύχοισι ἐκκεκλασμένοι ξουθοῖσιν ἀνέμοις ἐντρύφων φορούμενοι. Plura vide a Valken. allata ad Eurip. Hippol. 202.) eaeque *odoratae*, unguentis delibutae, ipse flabellum manu tenens, eoque commovendo *lenem ventum* s. auram, qua *recreetur* (unde ψύγματα, Graecis adpellata) excitans. Extremae hoc mollitiei apud veteres. Simile exemplum est apud Athen. VI. 16. p. 257. ubi delicato puero quidam adstat, Ther. vocatus, τῇ δεξιᾷ Φωκαϊκὸν ψῦγμα τὶ διακινῶν: Aliud idem l. l. de rege Paphi, cui columbae ventulum faciebant, et Antiphane laudat, πρᾶγμα τρυφερὸν διαφερόντως, quod ibi vide sis. Eodem nomine Artemonem quendam traduxit Anacreon, cujus fragm. vide apud eundem XII. 9. p. 534. Ita Herculis desidiam notarunt vett. juxta Plutarch. in lib. εἰ πρεσβ. πολιτευτέον. p. 913 ἔνιοι τὸν Ἡρακλέα παίζοντες οὐκ εὖ γράφουσιν, ἐν Ὀμφάλης κροκωτοφόρον, ἐνδιδόντα Λυδαῖς θεραπαινίσι ῥιπίζειν καὶ παραπλέκειν ἑαυτόν. Eadem res in antiquis artis operibus expressa, v. c. apud Gor. Gemm. Flor. T. I. p. p. 158. et in Cabin. d'Orl. T. I. p. 112. De flabellis veterum v. Broukh. et Burm. ad Prop. II. 18. 59. Cum Nostro autem comparandus Ovid. Fast. II. 509 sqq. *Ibat* odoratis humeros, per-usa capillis *Maeonis*, *aurato conspicienda sinu*,. Aurea pellebant rapidos umbracula soles. — 15. *Qualis*, quali coma (nam a coma promissa praecipue Nearchi venustas designatur) et hoc in genere pro, quali specie, forma fuit *Nireus*, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα, Homer. Il. II. 673. — *raptus ab Ida* in coelum, Ganymedes. A comarum insigni specie eundem Lucian. T. I. p. 215. καλὸν κομήτην adpellat. — *aquosa*, Homeri epitheto, cui Ἴδη πολυπίδαξ, πιδήεσσα audit. *Aquosae valles Idae* itidem memorat Ovid. Fast. VI. 15. et *celeberrimam fontibus* dicit Met. II. 218.



ARGUMENTUM XXI.



Magnas hoc carmen virtutes et colorem vere lyricum habet, sive sententiarum conversionem, ad finem usque servatam, copiosamque varietatem, sive eloquutionis ornatum, numerorumque spectes venustatem. Omnino hoc in Horatio quisque paullo acutior facile observabit, tum maxime ab eo exquisitioris doctrinae copias expromi, ubi cum viro docto atque intelligente agit; qualem quidem M. Valerium Messalam Corvinum fuisse, satis constat. Cf. de eo Cic. ep. ad Brut. 15. Virg. Catal. XI. Cir. 54. Tibull. IV. 1. Neque literarum solum, maxime poeseos atque philosophiae laude florebat eximia, sed et rebus pace belloque (cf. Tib. I. 7. triumphum ejus Aquitanicum celebrantem) egregie gestis amicitiam gratiamque Augusti promeruerat, idemque cum Octaviano Cos. fuerat a. U. DCCXXIII. Talis igitur tantusque vir quum coenam apud Horatium condixisset, poeta laetitiae sensum, quo penitus adfectus erat, ita expromit, ut vetustum atque optimae notae Massicum suum in Messalae honorem de veterario descendere jubeat. Facta hac sententiarum conversione facile erat poetae, in vini laudes atque effecta (Messalae tamen habita ratione vv. 9. — 16.) excurrere; super quibus satis jejune intpp. argutari videas. Ceterum, et orationis colorem et sententias plane graecas esse in hoc carmine, ad argumenti rationem aliquantulum inflexas, vix admonitione egere arbitror.

Adnotationes.

v. 1. Miram venustatem habet conversa ad amphoram oratio, cui artificiose admodum reliquae deinceps sententiae adcommodantur. *Testa* s. amphora *mecum*, eodem, quo ego, anno, L. *Manlio* Torquato, et L. Aurelio Cotta Coss. (est is DCLXXXIX. U. C.) *nata*, docte et ornate pro, quae vinum, istis Coss. natum, reconditum servas. Alii (tamquam Cruquius et Gesnerus adeo) testam natam proprie intelligunt, formatam scilicet e terra figlina, notatumque fuisse in amphoris contendunt annum, quo factae sint. Quod uti temere statui arbitror, ita amphorae aetatem, etiamsi concedas, quod tamen falsissimum est, nova vina semper novis vasis fuisse condita, unde adeo eadem vini, quae amphorae, aetas exsisteret, nemo facile paullo subtilioris judicii a poeta in vini commendanda vetustate designatam exspectet, quum contra pervulgata res sit, vini aetatem Coss. quibus condebatur, nomine amphoris inscripto, notatam fuisse. — 2. Virtutes et effecta vini pro bibentium ingeniis (τῶν χρωμένων γὰρ τοῖς τρόποις κεράννυται οἶνος juxta Chaerem. apud Stob. Flor. Grot. p. 849.) modoque in bibendo servato varia ac multiplicia suaviter poeta ita declarat, ut ea ipsa vino ingesta amphoraque contenta (qua eadem imagine Macedon. XXI. 4. (Anal. Br. III. 117.) πίθον vocat λιπαρῆς ἔνδιον εὐφροσύνης) dicat. Non agnosco igitur magnum Gesnerum, qui diversos vini effectus diversorum, quae deinceps amphorae indita fuerint, vinorum, unius adeo generis unum eundemque apud omnes effectum esse vult, ita quidem, ut amphora nunc vinum habuerit, quo in rixas homines incaluerint, nunc, quod jocos, nunc, quod somnum excitaverit, et sic porro; quae quam jejuna sit ratio, facile perspicitur. Sed incidit in hanc perversam opinionem Gesnerus τῷ *seu-seu*, quod neutiquam urgendum. Plures enim ideas, animo occurrentes, ita enuntiat poeta; V. e. c. I. 1. 21. Testa igitur *gerit*, continet *querelas*, quatenus vinum inde haustum homines *querulos* h. morosos, asperos; *jocos*, quatenus, modice potum, hilares, atque eos quidem, qui natura ad hilaritatem propensi sunt; *rixam* contra, magis iracundos, exasperatos, ad istum animi adfectum natura proclives; *insanos amores*, amantes, ut amore insaniant; *somnum*, somnolentos denique reddit, nimis largiter haustum nimia sui copia. Verbo igitur, vinum, praeter generalem ejus

vim narcoticam, adfectus, ad quos quisque natura propendet, prodit, (nota Theognidis: ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον. cf. Athen. II. 2.) atque inflammat. Eadem fere enumeratione vini virtutes exhibet Evenus XV. (Anal. Br. I. 166. Βάκχου μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ, μήτ' ἐλάχιστον. ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος ἢ μανίης· εἰ δὲ πολὺς πνεύσειεν, ἀπέστραπται μὲν ἔρωτας, βαπτίζει δ' ὕπνῳ γείτονι τῷ θανάτου. Et Panyasis apud Stob. tit. XIX. p. 101. Grot. Οἶνος γὰρ πυρὶ ἶσον ἐπιχθονίοισιν ὄνειαρ ἐσθλὸν, ἀλεξίκακον, πάσης συνοπηδὸν ἀοιδῆς. Ἐν μὲν γὰρ θαλίης ἱερὸν μέρος, ἀγλαΐης τε, ἐν δὲ χοροιτυπίης, ἐν δ' ἱμερτῆς φιλότητος, ἐν δέ τε μέν δήρης (ita cum Wintert Poet. min. p. 459. legendum) καὶ δυσφροσύνης ἀλεγεινῆς, quem locum (collato Eubuli quem dedimus ad III. 19. 15.) Horatio obversatum fuisse vix dubitem. Cf. fragm. Hesiodi apud Wintert. p. 115. Eurip. Bacch. 279—83. Theogn. 871 sqq. —3. *Rixas* de amantium jurgiis, inter vina obortis, intelligunt (ut I. 13. 11. cf. Propert. III. 6 init.) verbaque *et insanos amores*, explicative subjungi autumant; vix bene. Nam *et* τῷ *seu* nunc substituit poeta, et *rixa* proprie sumenda. Cf. 18. 8. Eurip. Cycl. 532. Πυγμὰς ὁ κῶμος λοίδορόν τ' ἔριν φιλεῖ. — *insanos* vel perpetuo vehementioris amoris epitheto (ita μαίνεσθαι et *insanire* saepissime poetis v. c. Theocr. II. 82. X. 31. Virg. Ecl. X. 22. Unde et Amor σωφροσύνης ὑβριστὴς φρενόκλοπος, ληστὴς λογισμοῦ Q. Maecio IX. 3. (A. B. II. 238.) audit) vel quatenus vinum amorem insanum efficit, auget, inflammat. Achill. Tatius II. c. 3. p. 50. Ἔρως δὲ καὶ Διόνυσος, δύο βιαιοὶ θεοὶ, ψυχὴν κατασχόντες ἐκμαίνουσιν εἰς ἀναισχυντίαν, ὁ μὲν καίων αὐτὴν τῷ συνήθει πυρὶ, ὁ δὲ τὸν οἶνον ὑπέκκαυμα φέρων. Οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή. Suaviter hinc Ioni apud Stob. Flor. Grot. p. 449. vinum ἥδιστος πρόπολος βαρυγδούπων ἐρώτων audit. Adde Bacchyl. XI. 2. (Anal. Br. I. 151.) Κύπριδος ἐλπὶς αἰθύσσει φρένας, ἀναμιγνυμένα Διονυσίοισι δώροις. — somnum *facilem*, vel qui potantibus obrepit, eos opprimit; vel omnino mollem, jucundum. Hesiod. l. l. Ὅστις ἄδην πίνει — — φιλεῖ δὲ ε μ α λ θ α κ ὸ ς ὕπνος. — *Piam* vocat testam, respectu vini, quod pium est erga cultores suos, operam sibi impensam large remunerando. Sic arborem piam poeta recte dixerit, quae pro cultura fructus benigne praebet. Sed hoc forte subtilius atque longius petitum; igitur praestat h. l. accipere pro, quae aliquid boni largitur, munifica, benigna; quod utique in genere de vino recte dici poterat, nulla abusus ejus ratione habita. Cf. I.

18. Atque ideo haud temere inter *facilem somnum* hoc epitheton interposuit poeta. Possit etiam testa respectu sui, pii quippe vatis vel, quae sacro, forte natali Corvini die ebibatur, pia adpellata videri; forte etiam graec. ἱερὸν (*vitem sacram* I. 18. 1) in animo habuit poeta.

v. 5. *Quocunque nomine Massicum servas*, docta brevitate pro, cujuscunque demum *nominis* h. virtutis, indolis sit, quacunque demum vi polleat, quacunque potestate praeditum sit vinum hoc *Massicum*, quod *servas*, in te reconditum habes, sive quod querelas, sive jocos cet. excitet. Ita jam Acron expediebat hunc locum: „quocunque nomine: ex omnibus supra dictis, sive ad jocos: sive ad querelas etc." Plerique cum Schol. Cruq. explicant, cujuscunque Consulis nomen, seu Manlii, seu alterius, inscriptum geras, cujuscunque aetatis sis; insulsa post memoratum versu 1. Manlii consulatum dubitatione, ac sententia. Sed in hunc errorem prolapsi sunt prava verborum structura *quoc. nom lectum* jungendo: quum *lectum* (docte pro, conditum; nam uvae proprie leguntur) copia poetica τῷ *servas* adjectum sit. Neque vero audiendi sunt, qui hos vini effectus cum respectu ad amphoram suam commemorari existimant, ita quidem, ut Horatius Massicum suum in convivis, quos habiturus esset, quorumque bene nosset ingenia, atque in hoc quidem querelas, in illo jocos etc. excitaturum praesentisceret, atque auguraretur; quod vanissimum atque satis indoctum commentum est. Loquitur enim poeta de testa sua tanquam de vino in genere; quod vv. 13 — 20. satis manifesto docent. — *digna* certe es *moveri*, graece, quae movearis, deripiaris ex horreo, s. veterario (ut V. 13. 6. *Tu vina Torquato move consule pressa meo*) et ob vetustatem vini (erat enim circiter XXXIII. annorum) et ob generis praestantiam (*Massicum*) *die bono* vel festo, numini cuipiam sacro, ut Plaut. in Poenulo: *die bono Aphrodisiis*, quem laudat Neap. ad Ovid. Fast. I. 72. *Nunc dicenda bono sunt bona verba die*; vel quod malim, fausto, quo scilicet Messalam Corvinum convivam habeam. — 7. 8. *Descende promere*, graece prorsus, ut promas, reddas vina tibi indita; suaviter. *Descendere* autem jubet amphoram poeta, non tam quod in superiore aedium parte reposita esset, quam quia parieti alte adclinata staret. Unde *deripere horreo amphoram* III. 28. 7. — *Corvino jubente*, in honorem ejus; forte etiam hoc Messala,

cum se convivam offerret Horatio, jocose pactus erat. — *langui-diora*, vetustate mitigata, lenia (III. 29. 2.) cf. III. 16. 35.

v. 9. *Ille*, quamquam *madet*, penitus imbibit, imbutus est *sermonibus Socraticis*, philosophia Socratica, *te non negliget*, haud aspernabitur te *horridus*, pro studiorum, quae tractat, severitate; ille, utcunque tristis atque austerus philosophus, te benigne habebit, commodum se tibi praebebit. *Sermones Socraticos* universe de philosophia posuit poeta, ut *Socraticam domum* I. 29. 14. Vide ibi Not. Si autem sermones proprie accipias, erit: quamquam sermonibus philosophicis abundat, nil nisi philosophiam crepat; quod quidem fere eodem redit. Plin. Epp. III. 12. *Veniam ad coenam: sed - sit expedita, sit parca:* Socraticis tantum sermonibus abundet. Docte autem *Socratica* philosophia declaratur Messalae philosophandi disputandique ratio non spinosa illa atque maledica, quae Nostris temporibus grassatur, sed modesta, Atticique leporis salibus conspersa. *Sermo* enim *in quo Socratici maxime excellebant, lenis erat minimeque pertinax*, nec leporem excludebat, juxta Cic. Off. I. 37. — *madet*, praeceptis philosophicis pectus, iis refertum, locutione vel pedestribus scriptoribus familiari, qua docti cujuspiam artis aut scientiae imbuti vel tincti eadem dicuntur exornati, ejusque aucta notione. Sic Martial. I. 40. 3. Decianum *Cecropiae* madidum *Latiaeque Minervae artibus* et VII. 96. 2. Theophilam *Cecropio rore* (ita legerim pro, *Cecropia dote*) madentem, et eod. lib. c. 51. 5. Pompejum *jure madentem* vocat. Senec. ep. 36. *Perseveret* — perbibere *liberalia studia*, *non illa*, *quibus* perfundi *satis est*, *sed haec*, *quibus* tingendus est *animus*. *Horridum* severioribus studiis, maxime philosophicis, proprium, ob rigidiora atque asperiora philosophorum vivendi praecepta. Hermesianax apud Athen. XIII. 8. ὁπόσοι σκληρὸν βίον ἐστήσαντο ἀνθρώπων, σκολιὴν μαιόμενοι σοφίην. Meleager XXXVII. 3. τὸ ἐπ' ὀφρύσι φρύαγμα σκηπτροφόρου σοφίας. Eodem sensu *hispidum Platona* vocat Sidon. c. IX. 233. *mitia* contra *studia* poetica. Markl. ad Stat. Silv. IV. 4. 49. — 11. 12. Etiam *Catonis virtus*, tristis illa gravitas ac severitas Catonis, gravissimus ille Cato saepe *mero caluit*, incaluit, θερμάνθη οἴνῳ, ab adfectu, pro, largiter sese vino ingurgitavit, majoribus poculis sese invitavit benignius. Sunt qui Catonem majorem s. censorium cum Scholl. intelligant, adferantque in hanc rem e Plutarchi Cat. Mai. (p. 351. E.) locum, qui tamen

nihil amplius docet, quam Catonem *ruri* subinde lautius coenasse, (*ἦν δὲ καὶ τὸ δεῖπνον αὐτῷ ἐν ἀγρῷ δαψιλέστερον*· reliqua enim, quae sequuntur, *καὶ συνδιῆγεν ἱλαρῶς οὐ τοῖς καθ' ἡλικίαν μόνοις ἡδὺς ὢν συγγενέσθαι, καὶ ποθεινὸς, ἀλλὰ καὶ τοῖς νέοις*, ad hilares ejus commodosque mores potius quam ad compotationes referas. Praestat igitur ad Catonem Uticensem referre, quem satis constat provectiore maxime aetate, vino plus justo indulsisse. At hoc Catonis junioris exemplum negent satis aptum esse h. l. partim quod notius ac recentius fuerit, de quo tamen poeta fando tantum (*narratur*) sibi constare dicat; partim, quod Messala parum honorifice cum illo Catone comparetur, qui et tempestiviora et liberiora convivia agitaverit, noctesque perpotaverit; quod denique *priscus* satis dure atque insolenter dicatur is, qui severis moribus praeditus sit. Sed hoc paucis ita videbitur, quibus exquisitior hujus vocis vis ignota est. Ita vera Catull. LXIV. 159. *Saeva quod horrebas* prisci *praecepta* parentis, h. Aegei. Plura vid. ad V. 13. 5. adlata. Omnino autem quum Messalam poeta illustri aliquo exemplo commonefacere vellet, vel gravissimum virum haud dedecere liberiorem compotationem; in promtu erat Cato noster, vir vini quidem adpetentior, idem tamen incredibili, quam natura habebat, quamque perpetua constantia corroboraverat, gravitate (sunt verba Cic. de Off. I. 31.) conspicuus; adeo quidem, ut hoc ebrietatis vitium in viva hac virtutum imagine excusatius haberetur, ac paene honesti nomen obtineret. Atque ita constanter loquuntur, sicubi mentionem istius rei faciunt, veteres scriptores. Seneca de Tranqu. cap. extr. *Catoni ebrietas objecta est: facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem.* Caesarem quoque Catonem ob hoc ita reprehendisse, ut laudaret, tradit Plin. Epp. III. 12. quem locum omnino vide sis. Adde Martial. II. 89. *Quod nimio gaudes noctem producere vino; ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.*

v. 13 *sqq.* A Catone facilis ac plane naturalis transitus erat ad effecta vini in viris sese prodentia, qui Catoni sunt simillimi, h. vel natura graves atque severi, vel continuo rerum abstrusarum studio ad gravitatem compositi, h. philosophi, qualem Messalam fuisse vel e v. 8. nostri carminis abunde constat. Adpositum igitur est, quod hoc potissimum nomine poeta vini virtutes praedicat. Vinum *tormenta admovet*, quibus expugnet *ingenium durum*, animi duritiem, severitatem, morositatem; per conse-

quens igitur: vinum expugnat, vincit animi gravitatem, exhilarat tristem ac morosum natura animum. Doctrinam poetae in enuntiando hac sententia facile observes. Scilicet pectus, quod hilaritati omnem aditum praecludit, munitum quasi atque obseptum est pertinaci gravitate, atque austeritate; violentia igitur opus est, qua ista expugnetur vincaturque: vincitur autem *plerumque* (cum verbo enim hoc adv. jungendum) *admotis* vini *tormentis* seu machinis, *lenibus* illis ac blandis, quae, etsi efficacissima, blanda tamen vi sese pectori insinuant, illudque profligata gravitate, laetum, hilare ac jocosum reddunt. Geminus huic plane locus est III. 28. 4. *Prome reconditum, Lyde strema, Caecubum, munitaeque adhibe vim sapientiae*, ad quem vide quae adnotavimus. Quod si vero tormenta cum quibusdam explices βασάνους, admoveri ea h. l. a poeta cogitanda ad duri ingenii frangendam pertinaciam (nam hoc fere istis volunt effici) non autem, quod intpp. volunt, ad explorandos tentandosque animos; quae quidem sententia ab h. l. plane aliena est. Utramvis autem rationem amplectaris, idem sensus erit. Ceterum novam h. v. explicandi viam ingressus est Bentlejus, poetas respici existimans, quorum ingenium durum plerumque et siccum, ubi liberiore vino immaduerit, facile, fluens, copiosum fiat; minus adposite ad sententiarum nexum; ut taceam, injurium esse Bentlejum in poetas, quos sic aridae plerumque et difficilis venae, non εὐρετικοὺς, non pollentes inventione et copia dicat; et, si poetarum testimoniis, quod facit, pugnare licet, *vinum ingenium offuscare* itidem evincam Eubuli vv. apud Stob. Flor. Grot. p. 658. (coll. Athen. II. p. 43. F.) ὁ μὲν οἶνος ἡμῖν τὸ φρονεῖν ἐπισκοτεῖ, ὕδωρ δὲ τοὺς πίνοντας εὐρετικοὺς ποιεῖ. — *Lene*, virtutis lenificae, emollientis, suaviter adjectum *tormentum*, eleganterque oppositum *duro* ingenio, quasi duritia lenitate vincatur. Comparant intpp. Bacchylidea apud. Br. Anal. I. p. 151. γλυκεῖ' ἀνάγκα σευομένα κυλίκων θάλπῃσι θυμόν. *Dulce tormentum* itidem pulchre Voconii παιδάριον vocat Martial. VII. 29. 1. — *ingenium durum*, de animi natura difficili, morosa, ut apud Terent. Phorm. III. 2. 12. et alios. — 14. *Tu retegis*, recludis, in medium profers *curas sapientium*, φιλοσόφων μελέτας. quidquid acerrima meditatione extuderunt, nova ipsorum de rebus divinis humanisque dogmata; tu disertos facis philosophos, tua ope philosophorum nodosae quaestiones ac disputationes exsistunt faciles, dilucidae et copio-

sac. — *consilia*, βουλεύματα, h. διανοήματα, decreta, placita philosophorum. Hoc enim sensu βουλεύεσθαι, et βούλευμα Platoni et aliis adhibetur. *Arcana* dicuntur, quatenus vino demum reteguntur atque explicantur; ornat adeo simpliciter. Ad sententiam poetae egregie facit Chaeremon apud Grot. Excerpt. p. 849. τοῖς χρωμένοις (οἶνος) παρασκευάζεται γέλωτα, σοφίαν, εὐμαθίαν, εὐβουλίαν, et Theopomp. apud. eund. p. 555. ὁ τρὺξ ἄριστόν ἐστιν εἰς εὐβουλίαν. — *jocoso Lyaeo*, ope vini, ad lusus ac jocos provocantis. Ceterum insulsas Intpp. super his vv. alucinationes tricasque referre atque exagitare nec vacat, nec lubet.

v. 17. Nunc demum poeta, liberiorem campum nactus, laudes vini generatim exponit, ad quas superioribus vv. prono quasi alveo deducebatur. Comparandum in primis cum h. l. Diphili fragm. ab Athen. II. 1. servatum: ὦ πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε, Διόνυσε, καὶ σοφώτατ', ὡς ἡδύς τις εἶ, ὅταν ταπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιεῖς μόνος, τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν, τόν τ' ἀσθενῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν θρασύν. Cf. I. 18. init. Epp. I. 5. 16 sqq. — 17. *spem reducis*, sperare iterum jubes *mentes anxias*, sollicitos, melioris sortis spe erigis adflictos. *Spes jubet esse ratas* Noster Ep. laud. v. 17. et IV. 12. 19. *Spes donare novas largus*, — 18. *reducis*, reparas, *vires*, ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει. Homer. Il. ζ. 261. quem locum respexit Macedonius c. XX. (Anal. Br. III. 116.) μένος μερόπων οἶνον Ὅμηρος ἔφη. — *addis cornua*, das animos, spiritus, *pauperi*, humili, proverbiali locutione, qua et Ovidius usus est A. A. I. 238. *Tunc veniunt risus; tunc pauper cornua sumit: tunc dolor et curae, rugaque frontis abit.* Scilicet κέρατα ἔχειν cf. Diogenian. Prov. cent. VII. 89.) dicuntur audaces ac fortes. Unde explicandus Ovidii locus Amor. III. 11. 5. *domitum pedibus calcamus Amorem, venerunt capiti cornua sera meo.* Οἶνος, inde dictus Ioni apud Athen. II. 1. ἀερσίπνους, et Antiphani apud Grot. Excerpt. p. 601. στρατηγὸς, ὃς μόνος θνητοῖς ἄγει τόλμαν. — 19, 20. Adeo quidem, ut ne potentissimorum quidem hominum iram ac minas *tremat*, metuat *post te*, vino tuo hausto. (ut *post vina* I. 18. 5.) Jam potentissimos designat poeta per Parthorum s. omnino Orientis reges, quos tiaram, s. diadema apice munitum imperii habuisse insigne satis notum est. Cf. I. 34. 14. Tum pro: non tremit reges, magis ἐναργῶς est, *regum apices*, majestatem, potentiam regum, idque, quo audaciae notio mire exaggeratur, iratorum; pro quo

docte ipsi apices irati dicuntur. Paullo aliter sententiam extulit Bacchyl. XI. 9. (Anal. Br. I. 151.) πᾶσι δ' ἀνθρώποις μοναρχήσειν δοκεῖ. — *neque* horret *arma* enses *militum* in se strictos, audacter pugnat; *in proelia trudit inertem* Noster Ep. l. l. Macedon. XXI. 5. (Anal. Br. III. 117.) re in majus aucta: αὐτίκα δ' ἡμετέροιο πιὼν κρητῆρα Λυαίου παισὶ Καναστραίοις μαρνάμεναι ἐθέλω. Οὐ τρομέω δὲ θάλασσαν ἀμείλιχον, οὐδὲ κεραυνοὺς, πιστὸν ἀταρβήτου θάρσος ἔχων Βρομίου.

v. 21. Tecum suaviter noctem traducemus, servata orationis conversione, pro, per totam noctem potabimus. Exquisite invertit atque exornavit istam sententiam poeta. Proprium ac vulgare erat: Convivium vino, risu, jocis in serum noctis producetur (uti plane effert Liv. XXXIII. 48.); pro hoc doctius est, vinum s. amphora producit, extendit noctem, quae continuatur per noctem. Quae forma est in Prop. IV. 6. 85. loco Nostri simillimo: *Sic noctem paterā, sic ducam carmine, donec injiciat radios in mea vina dies.* Martial. II. 89. 1. *nimio gaudes noctem producère vino:* et Val. Fl. I. 278. *Thracius hic noctem dulci testudine vates extrahit.* Tum inversa ratione nox (pro qua h. l. *lucernae* sunt) et quae inter potandum excitantur, amores, joci, decentior hilaritas (quae docte ad *Liberum*, *Venerem*, et *Gratias* refert poeta) amphoram h. l. producere dicitur. — *laeta*, benevola, propitia. Vid. ad I. 2. 4. 6. Adde luculentum Theocriti locum VII. 156. prave, ut multa istius poetae, intellectum, ἁ δὲ γελᾶσαι, h. laeta, propitia sit, δράγματα καὶ μάκωνας ἐν ἀμφοτέραισιν ἔχοισα, Ceres. — 22. *segnes solvere*, graece, ad solvendum, quae difficulter, omnino non solvunt *nodum*, nexum, mutuo amplexu haud divelluntur, Χάριτες συζυγίαι, Eurip. Hippol. 1147. Miserrime super hac συζυγίᾳ, convivis adcommodanda, argutari quosdam cum Baxtero videas. — 23. *Lucernarum* in conviviis nocturnis solennis mentio. Vid. I. 27. 6. III. 8. 14. — *vivae*, lucentes, λύχνος φιλάγρυπνος Meleag. LXVI. A. Br. I. 20. Contra *occidentes lucernae* Petron. c. XXII. — 24. usque ad solis ortum. Jon. Chius apud Schol. Aristoph. Εἰρήν 835. forte in eadem re: Ἀοῖον ἠεροφοίταν ἀστέρα μείνωμεν, ἀελίου λευκοπτέρυγα πρόδρομον.



ARGUMENTUM XXII.



Ne nugas antiquas, quas bene multas super consilio poetae consecrationisque causa e[illegible]nutiere interpretes, referendo novis hoc epigrammatium nugamentis implicem, (quod bono Iano accidisse existimo, in felici amicae Horatii puerperio adnuntiato hoc carmen effusum statuenti) satis sit monere, poetam in graeco aliquo epigrammate, quod nativa venustate ipsi praeplacuisset, vertendo lusisse, cum eoque certasse videri. Neque temere hoc statui, facile largientur ii, qui multa adhuc hujus generis epigrammata in Anthologiis graecis exstare meminerint. Invocationem numinis sequitur consecratio, pervulgato more.

Adnotationes.

v. 1. De invocatione munerumque Dianae propriorum ad priscorum hymnorum modulum facta enarratione vid. Argum. c. X. *Montium custos nemorumque*, ἡ κατέχεις ὀρέων δρυμοὺς, ἐλαφηβόλε, σεμνὴ in Orphicis in Dian. 35. 10. Declaratur Diana venatrix, οὐρεσίφοιτος, ἀγροτέρη; res nota; vid. ad I. 21. 5. Adde Carm. Sec. 1. — Virgo; παρθένος simpliciter dicta Diana, ob perpetuam ipsi a Iove concessam παρθενίην; vid. I. 12. 22. et Hom. H. in Ven. init. — 2. 3. Ilithyia. *Audis*, exaudis (v. ad I. 2. 27.) praesto es *vocata*, precibus, ut adsis, implorata, arcessita de praesenti Deae auxilio cape. Noster V. 5. 5. *si vocata partubus Lucina veris adfuit.* Theocr. XVII. 60. ἐιθα γὰρ Εἰλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον Ἀντιγόνας, θυγάτηρ βεβαρημένα ὠδίνεσσιν.| Ἡ δέ οἱ εὐμενέουσα παρίστατο, καδδ' ἄρα πάντον νωδυνίαν κατέχευε μελῶν Callim. H. in Del. 132. κάλει μόνον Εἰλείθυιαν, et H. in Dian 21. ὀξείῃσιν ἱπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες τειρόμεναι καλέουσι βοηθόον. Ipsa enim manum obstetriciam parturientibus praestare credita. Minus igitur adcurate *vocata* pro invocata ca-

piunt nonnulli. *Ter* cujus opem puellae iterum iterumque, h. enixe exposcunt, ingravescentibus partus doloribus. Mire argutantur intpp. super hoc ternario numero. — *laborantes utero* μογοστοκούσας, partus doloribus correptas. Ovid. Amor. II. 13. 18. *Tuque laborantes utero miserata puellas, — lenis ades, precibusque meis fave, Ilithyia.* Unde ipsa dicta μογοστόκος, veluti Theocr. XXVII. 29. *puellas*, nuptas, κουριδίας ἀλόχους; noto loquendi usu. — *adimis leto*, morti eripis, e praesentissimo vitae discrimine incolumes praestas; unde eadem Dea dicta σώτειρα, *opifera* cet. — *Diva triformis* τρίμορφος (Lycophr. 1176.) *tergemina* (Virg. Aen. IV. 5. 11). qua imagine varias ac diversas ejusdem numinis potestates ac vires per naturam diditas, diversisque anni temporibus proditas priscus Orphicorum sermo complectebatur. Splendide hanc Hecates potentiam descriptam vide apud Hesiod. Theog. 411. sqq.

v. 5. *Tua*, sacra tibi *esto pinus*, *villae* mae *imminens*, adstans; sed alterum praeclare de procera arbore. Argutantur intpp. in consilio poetae, quod pinum Dianae consecret, causamque vel ab Iside vel a Cybele, quas easdem cum Diana inepte statuunt, quibusque pinus sacra fuerit, arcessunt. Si omnino ratio reddi debeat, equidem eam a Diana *nemorum custode* v. 1. repetierim. — 6. Consecrationi sacrum votivum subjicit poeta, verrem quotannis sub ista pinu immolandum. — *per exactos annos*, finito, quovis anno, quotannis. — *laetus*, libens, e vovendi formula. Virg. Aen. VIII. 268. *Ex illo celebratus honos*, laetique *minores servàvere diem* et mox 279. *omnes in mensam* laeti libant *divosque precantur;* et saepius alibi. — *quam verris sanguinem donem*, subter quam verrem immolabo, nihil amplius. De adfuso radici pinus sanguine cogitant; temere, arbitror. — *obliquum meditantis ictum*, exquisite pro annui; plane ut III. 13. 4. *Cui frons turgida cornibus primis — proelia destinat* Hesiodeo ornatu, Scut Herc. 386. οἷος δ' ἐν βήσσῃς ὄρεος χαλεπὸς προϊδέσθαι κάπρος χαυλιόδων φρονέει θυμῷ μαχέσασθαι ἀνδράσι θηρευτῇσι, θήγει δέ τε λευκὸν ὀδόντα δοχμωθείς. *Ictum obliquum med.* oblique ictus spargere gestit, δοχμὼ ἀΐσσει (Homer Il. XII. 148) *in latus iras frangit* (Stat. Theb. VIII. 535.) e natura aprorum.



ARGUMENTUM XXIII.



Optime eos statuere arbitror, qui poetam graeco quopiam, ut ita dicam, fonte prolutum ad tractandum hoc argumentum accessisse existimant. Egregie tamen illud intextis Romanis ideis ita exornavit nobilitavitque Horatius, ut admodum exiguam inventionis laudem poetae graeco reliquerit. Corrigit hoc carmine poeta meticulosam rusticarum mulierum, quae sacra in agris procurarent, religionem, quotidianis sacrificiis, iisque pro facultate lautioribus, Deorum pacem exposcentium, monetque exiguis donis, novilunii diebus oblatis, agrorum ubertatem gregumque fecunditatem abunde a Diis posse redimi. Inde defertur ad auream sententiam: Deos non tam sacrificii sumtus, quam pium offerentis animum spectare. Mirificum hoc carmen lenocinium habet a sententiarum veritate atque simplicitate, orationisque quaesita quidem, non adfectata tamen, elegantia. Si risum quaeris, adfatim tibi propinabunt intpp. super hujus carminis consilio argutiae.

Adnotationes.

v. 1 — 4. Egregie exornatur vulgaris sententia: Satis propitios tibi Deos reddideris, si tenui sacrificio, at pia puraque mente oblato, eos venereris. *Si tuleris*, sustuleris *coelo*, ad coelum, *manus supinas*, ὑπτίας. (ὑπτιάσματα χειρῶν Aeschyl. Prom. V. 1004. docte comparat Boettig.) expansis palmis; qui solennis olim precantium habitus erat. Nota Homerica, χεῖρας ἀνασχεῖν, χεῖρ' ὀρέγειν εἰς οὐρανόν. Vide Lambin. et Torr. Adde Aristaenet. II. 2. ὑφοῦ προσανατείνειν τὼ χεῖρε. — *Luna nascente*, nova, novilunii

die, quem sacrum habebat agrestis superstitio. Adpositus est Catonis locus, quem laudat Torrent. de R. R. 143. *Kalendis — — coronam in focum indat; per eosdemque dies Lari familiari pro copia supplicet.* Nam ad Kalendas veterum more nascentem Lunam referri debere, etsi Horatii tempore anni Juliani cursus receptus esset, bene idem Torr. monet, unde *menstrua tura, antiquo Lari reddita* vocat Tib. I. 3. 34. De re etiam Acron ad h. l. „Solent rusticae mulieres in initio primae lunae preces coelo effundere." cujus superstitionis causa a vi, quam lunae in rerum e terra provenientium ubertatem adsignarent, repetenda videtur. Dicta inde σελήνη [illegible], φερέκαρπος Orph. H. VIII. 5. — 3. *placaris*, sacrum feceris, noto loquendi usu. — *horna*, ὡραία, hornotina *fruge*, frugum primitiis, diis agrestibus offerri solitis; quibus *Lares* villaticos accensendos esse, dubitari nequit. — *Porci* Laribus immolandi frequens mentio apud veteres. Tibull. I. 10. 26. *Hostia erit plena rustica porcus hara.* Noster II. 3. 165. Unde Lares domesticos *grundules* dictos censet Arnob. I. 19. — *avida* e natura animalis. Ovid. Fast. I. 349. *Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae.*

5 — 8. Docte enumerat mala atque calamitates, quae ita facile propulsentur. Nam precum formula tam augendae rei quam avertendae calamitatis rationem habebat; qualis exstat apud Caton. c. 141. *Te precor, ut tu morbos, viduertatem vastitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque; utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas.* — *Fecunda vitis non sentiet Africum pest.* concisa brevitate pro, vinea fecunda erit, largus vitium proventus erit, nulla ab Africo *peste* s. noxa illata. Africus s. Auster cum omnino *nocens* (II. 14. 15.) tum maxime vitibus infestus. Pallad. II. 13. *Plagam coeli spectare debet locis frigidis meridianam, calidis septentrionalem, tepidis orientem; si tamen Austros vel Euros regio non habeat inimicos.* — *sentiet*, experietur, adjecta damni notione, ut III. 27. 22. IV. 4. 25. et IV. 6. 3. et saepius alibi. — 6. *Nec robigo* segetem sterilem, in fecundam reddet, laedet. Unum genus sterilitatis posuit, tanquam poeta. De rubigine docte dispicit Boettig. ad h. l. quem vide. Fiebant deae Rubigini sacra, *ne virides herbas torreret.* Colum. X. 342. Etiam ad grandinem avertendam Senec. Qu. N. IV. 6. 7. Exquisite ipsa rubigo *sterilis* dicitur, quae segetem ...

rilem facit. — *aut* variat τὸ *nec*, quod bis posuerat poeta, more Nostro familiari. — *dulces alumni*, hoedi et agni, cum delectu (v. ad III. 18. 3.) pro universis gregibus. Cato l. l. *pastores pecuaque salva servassis.* Fetura enim auctumni tempore morbis maxime obnoxia. Cf. I. 17. 4. *dulces* tenelli perpetuo epitheto (Lucret. II. 1158. *Ipsa dedit dulces fetus et pabula laeta.* Virg. Ge. III. 178. *dulces nati*, de vitulis) juventae proprio, Cf. I. 16. 23. Alii vernas, θρεπτοὺς, intelligunt, quibuscum ludant domini, unde *dulces*; minus adcommodate ad reliqua. Vide omnino ad III. 18. 4. — 8. *tempus grave*, nocivum, insalubre, propter *pluvias, ventos* (I. 17. 4.) h. Austrum (*per auctumnos corporibus metuendum* II. 14. 16.). Similiter *graves auras* dixit Ovid. Met. VII. 557. *gravem Auctumnum* Noster Serm. II. 6. 19. *grave coelum* Sueton. Tib. 56. — *pomifero anno* exquisitiori structura pro *anni* h. partis anni, *pomiferi* Auctumni.

v. 9. Pro copia enim (ut Cato l. l. ait) si supplices, abunde Diis satisfactum erit. Aliter habet, in sacrificiis publicis a Pontifice pro universi populi salute parandis. Sententiam hanc ita inversam: lautiores victimas pontifex mactabit, vide quomodo exornarit poeta. *Victima*, pecora, Diis *devota*, destinata (*aris servata* ut Virg. Ge. III. 159.), *quae pascuntur* saginantur in *Algido*, Latii monte *nivali*, praealto, ac saltuoso; *inter quercus et ilices* docte *porcos sacres* (uti Plautus eos indigitat Menaechm. II. 2. 16. cf. Varro II. 1. 20.) et *Albanae herbae*, pascua circa Albam longam (*finitima herba* eadem forte innuit Juven. XII. 12.) *boves opimos* designant. — *crescit*, nutritur, adolescit. In Faliscis aliquando pastos fuisse cogas ex Ovid. ex P. IV. 8. 39. *Agnaque tam lactens* (in privato sacro) *quam gramine pasta Falisco victima* (in publico sacrificio) *Tarpejos inficit icta focos.* — 12. 13. Istam convenit *tingere*, madefacere *cervice*, sanguine e cervice ebulliente, *secures pontif.* h. a pontificibus mactari. Eadem ornatus ratio in Propert. IV. 1. 111. *Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae tinxit;* et in Inscriptione apud Gruter. p. 95. Inscr. IV. *Lampsacios melior non imbuet hostia cultros, quam veniet nostra victima caesa manu.* Adde Calpurn. Ecl. V. 27. Vulgatiorem ornatum, aram victimae sanguine tingere adhibuit Catull. XIX. 16. et Virg. Ecl. I. 8. qui primum occurrit apud Eurip. Iphig. T. 404. ἔνθα κούρα διατέγγει βωμούς.

v. 13. Observa doctam duarum sententiarum complexionem,

ita disjungendam: *Nihil attinet*, οὐδὲν προσήκει, nihil necesse est, minime consentaneum est, te istos imitari: satis erit, abunde Deos venerata eris, corona ipsis oblata. *Tentare* quaesite pro, placare, propitios tibi reddere velle, *multa caede bidentium*, docte pro, multarum ovium *caede*, multas oves immolando. — *coronantem*, dummodo corones *deos parvos*, exigua Larium simulacra, serto e *rore m.* et *myrto* plexo; ex more. Plaut. Aulul. II. 8. 14. *Nunc tusculum emi et hasce coronas floreas, haec imponentur in foco nostro Lari.* Cf. ejusd. Com. prol. 24. Juvenal. IX. 137. colore e Nostro ducto: *O parvi nostrique Lares, quos ture minuto, aut farre, et tenui solco exorare corona.* Adde ejusd. XII. 87, sqq. Absolvi autem corona oblata sacrificium putandum; quod prave alii de adparatu ejus interpretantur. Vulgarem ac simplicem coronam arguunt *ros marinus*, λιβανωτὶς, et *myrtus fragilis*, (ut *fragilis cera* Juven. XII. 88.) adeoque tenera, coronis nectendis aptissima. Aliter *fragiles laurus* adpellat Virg. Ecl. VIII. 82.

v 17 — 20. Sententia satis expedita, atque ab Ovid. ex Pont. IV. 8. 39. 40. eleganter ita expressa; *Nec, quae de parva Dis pauper libat acerra, tura minus, grandi quam data lance, valent*, Diis piam mentem magis quam sacrificiorum sumtus respicientibus; sed impeditior ejus enuntiatio. Duas fere conciliandorum inter se verborum rationes iniri videas. Altera, quam melioris notae intpp. sequuntur, est: Si pia mente Deos veneraris, *sumtuosa hostia* (in recto casu) sacrificium sumtuosum *non blandius*, non magis *mollivit*, mollire solet (ἀοριστως) placat *Penates aversos*, iratos, ad reconciliandam eorum gratiam valet, quam *far pium et mica* sc. salis, h mola salsa, tenuissimum sacrificium. Haec quidem simplicior ratio, Horatio haud omnino indigna. Doctior tamen ac quaesitior haec altera: manus, *si*, quae immunis sc. a scelere, καθαρὰ, *aram tangit*, Deos veneratura, *illa non blandior mollivit*, exquisite pro, non magis emollit, propitios reddit *Penates av. sumtuosâ hostiâ*, si sumtuosum offerat sacrum, quam *farre* cet. si tenue; quod docta inversione, ad Phidyles animum, huic superstitioni adligatum, adcommodata, est pro: manus pii hominis aeque mola salsa ac lautiore sacrificio litat, mentem puram adferas necesse est, si sacrificium qualecunque Diis gratum esse cupis. Sed duram durioris ingenii homines istam rationem crepant, quod nullus video; certe

futilia ac nullius plane momenti sunt, quae ei opponuntur. In altera contra ratione horridi quid, ex meo quidem sensu, atque ambigui inest. Nam si sumtuosa hostia pro subjecto, ut Grammatici loquuntur, habetur, poeta haecce voluisse videri possit, sumtuosam hostiam deos quidem placare posse (qualicunque manu oblatam) idem tamen dii hominis tenue sacrum efficere, quod contra poetae et vett. γνώμην est. Philem. III. 1. (Gnom. Br. p. 194.) εἴ τις δὲ θυσίαν προσφέρων, ταύρων γε πλῆθος ἢ ἐρίφων, — — εὔνουν νομίζει τὸν θεὸν καθιστάναι, πεπλάνητ' ἐκεῖνος. — — θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν, μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ. Cf. Eurip. in Danae, apud Stob. Grot. p. 391. *Immunem manum* esse ἁγνήν, puram, docet contextus ratio. Bentl. tamen manum vacuam intelligit, accepto insuper *si* pro *etsi*. *Far pium*, pio animo oblatum et salis *mica saliens* in igne, crepitans. Tibull. III. 4. 10. *Farre pio placant et saliente sale.* Ad sententiam idem IV. 1. 14. 15. *Parvaque Coelestes placavit mica; nec illis semper inaurato taurus cadit hostia cornu.* Cf. Ovid. II. Trist. 75.



ARGUMENTUM XXIV.



Nobilissimo incensus adfectu poeta insectatur hoc carmine luxum seculi sui perditissimum, et, quae inde necessario exsistit, avaritiam, omnium scelerum ac maleficiorum matrem fecundissimam, pestemque reipublicae teterrimam. Quae mala, in summum aliquando discrimen civitatem adductura, ut ab ea prohibeantur, scelerum licentiam severissime vindicandam, scelerumque causas, luxum et habendi cupiditatem, tollendas atque exstirpandas esse graviter monet. Ut autem paupertati honos suus reddatur, sicque virtuti ite-

rum locus pateat, hoc ita demum effici posse contendit, si prava animis eximatur opinio, doceaturque, divitias neminem beatum efficere, continentiam contra atque frugalitatem maximum ad vitam bene beateque agendam momentum esse; id quod Scytharum Getarumque exemplo poeta ostendit. Excellit hoc carmen sententiarum sublimium ubertate, eloquutionis dignitate ac vi, numerorumque delecta gravitate. Ediscant illud juvenes, quibus est incoctum generoso pectus honesto.

Adnotationes.

v. 1—8. Ii, qui beati vulgo censentur, haud immunes sunt a fatali moriendi necessitate, maximeque mortis metu anguntur. Vulgarem hanc, Nostroque saepius (v. c. I. 4. 13. II. 18. 17 sqq. III. 1. 9. sqq.) tractatam sententiam vide, quibus coloribus adumbrarit hoc loco, nobilitaveritque felix Horatiani ingenii ubertas! Primum felicitatis, quam quidem vulgus adpellat, notionem uno ejus genere descriptam exhibet, idque divitiarum possessione amplissima; tum has speciatim sensu Romano, h. ab ea parte declarat, qua eas potissimum perditissimus Romanorum luxus ostenderet, atque profunderet, in quo quidem ἐνάργεια est; denique miram sententiae δεινότητα adjicit poeta, oratione ad profligatae hujus luxuriae hominem conversa, fere ut II. 18. 17. Jam generalis sententia: utcunque divitiis abundes, licet ditissimus sis, vividior sub sensus cadit, per comparationem exposita: licet *opulentior* sis *thesauris Ar.*, quod ornate et docte dictum pro, licet opes Arabum thesauris majores teneas, divitiis Arabas antecellas. De *beatis Arabum gazis* v. ad I. 29. 1. — *intactis*, integris, quos nondum hostilis manus attigit, expilavit; auget igitur opulentiae notionem. Nota autem satis Romanorum Arabiae felicis potiundae atque exspoliandae, quamquam parum felici cum successu facta, tentamina (v. Argum. Carm. 29. L. I.); unde ipsa *Arabia intacta* audit Propert. II. 8. 20. — India divitiis suis, quaestuosissima pretiosarum mercium exportatione compa-

ralis, aurique venis itidem celebratissima. — 3. Licet *Tyrrhenum omne*, mare interum, quam longe Italiam alluit, et *Apulicum*, superum, *caementis*, insanis substructionibus, quibus villas magnificas inaedifices, *occupes;* omnino pro, licet utramque, quam longe protenditur, Italiae oram praetexas villis tuis. De qua Romanorum insania vid. ad II. 18. 20. III. 1. 33. *Occupatur* mare villis, in quo primum eae exstruuntur, proprie igitur accipiendum h. l. Mare Hadriaticum poeta *Apulicum* dixit, quod Apuliam attingit; omnino ad totam superam Italiae oram spectat, siquidem Tyrrheno oppositum. — 5 — 8. Apodosis: tamen, si fatalis hora instat, si fatum jubet, nihil est, quod te a morte liberet. Docte et antiquo sermone hoc extulit poeta. Fatum h. l. est *Necessitas* Ἀνάγκη, Μοῖρα, quatenus omnia ei subjecta sunt, nemo illud effugere potest. Declarandae hujus potentiae atque immutabilitatis causa tribuuntur ei *clavi*, firmitatis ac violentiae symbola, (vid. ad I. 35. 18.) idque *adamantini*, durissimae materiae. Ita ἄφυκτα μήδεα παντοδαπᾶν βουλᾶν ἀδαμαντίναις κερκίσιν Αἶσα ὑφαίνεσθαι dicta Sophocli in fr. Phaedr. apud Stob. Flor. Grot. p. 133. et Necessitatis ἠλακάτη τε καὶ τὸ ἄτρακτον ἐξ ἀδάμαντος apud Platon. de Rep. X. p. 762. E. Jam qui Necessitatis s. Fati violentiam experitur, in quo vim suam exserit, hunc, servata, animataque symbolica ratione, *clavis* adigit, his fixum tenet, ut ne elabi queat, idque *summis verticibus*, in summo vertice eos defigendo. *Alligandi* igitur notio primaria atque unica subest huic imagini, qua quidem τὸ ἄφυκτον, fatum inevitabile designatur. Ita ἐνδεδέσθαι ἀνάγκῃ vel Herod. I. XI. quo etiam spectant Homerica: Ζεύς με μέγα Κρονίδης ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ. Il. ι. 18. Unde et δεσμοὺς ἀφύκτους ἀνάγκῃ tribuit Eurip. Alc. 987. et ζεύγματα. Idem Iphig. A. 443. De effectu autem, quem clavus per caput adactus producat, poetam nec cogitasse, nec cogitare potuisse h. l., quum Necessitatem a morte diversam inducat, quis non videt? Plurimi tamen intpp. immemores prorsus symbolicae rationis, priscique sermonis indolis, foeda scilicet rei imagine, carnificinaque, licet Romanis plane incognita, offensi in alia omnia, quantumvis absona, longeque petita, discedunt, quibus rem ad sensus quidem suos atrocissimam lenire student. Dacer. *vertices* interpretatur culmina villarum sumtuosarum, (v. v. 3. 4.) quas cum adeat Necessitas, clavosque inibi defigat, earundem dominum metu ac morte corripi; quod insalsum phantasma

idem satis commodum atque praeclarum censet. Languida atque obscura Bentleji ratio est, summos vertices de clavorum capitibus accipientis, omissa plane re, cui infigebatur. Alii in iisdem cogitant res excelsas, earum culmina s. apices, quibus fortuna magna et excelsa declaretur. Speciosum sane hoc. Enimvero, si pensiculatius excutias, imaginem inde vagam, nullique plane rei adstrictam prodire videas, quam tamen certam specialibus quippe coloribus adumbratam, dedit Horatius. Quodsi generatim dixisset, Necessitatem excelsa quaevis domare, sibi subjicere, sane, quod displicere posset, non esset. Sed clavis agit hoc loco; res adeo cogitare necesse est, sensibus subjectas; unde magnam fortunam, remota translatione, haud intelligi posse, facile patet. Fac vero vertices sint excelsa montium, domuum, quibus fortuna splendida significetur: montium sane aut domuum. Necessit. clavis adactarum imago nescio quid monstri alit, alligandi vinciendique, quae symbolicae huic actioni subest, notione plane ita neglecta, ac deperdita, et omnino sententia, quam volunt esse hanc: siquidem s. quum (ita enim *si* accipiunt) neque splendidissima fortuna a Fati potentia immunis sit, parum commode collocata atque adnexa videtur. Ceterum πηκτὴν ἀνάγκην Orphei H. XXXVIII. 10. huc vocabat Gesn. nescio quam bene. Rectius huc trahas σφυρηλάτον Ἀνάγκαν Pind. in fragm. p. 94. — 7. 8. Mortem haud effugies. *Metum* instantis mortis h. l. intellige, non generatim, curas, tristitiam, ut fere volunt. *Laqueis* retibus, Mors implicat homines, satis antiqua notione. Apollon. Rh. I. 1035. τὴν (μοῖραν) γὰρ θέμις οὔποτ' ἀλύξαι θνητοῖσι· πάντῃ δὲ περὶ μέγα πέπταται ἕρκος. Stat. Silv. V. 155. *furvae miseram circum undique Leti vallavere plagae.* Quo quidem figmento itidem τὸ ἄφυκτον atque ἄλυτον designatur. Unde et τῇ Δίκῃ πάρκυες et ἕρκη tribuuntur, velati Aeschyl. Agam. 1622. vid. Valken. ad Herod. p. 545.

v. 9 sqq. Quid? quod ne felices quidem habendi sunt in amplissima fortuna constituti, quandoquidem cupiditatibus continuo vexantur, quibus explendis intenti per omnia scelerum flagitiorumque grassantur genera; unde, perversis, quibus continetur civitas moribus nulloque amplius virtuti statuto pretio, rei ipsi publicae damna infliguntur funestissima. Praeclare hanc sententiam poeta contrario Scytharum Getarumque, in paupertate nihil alienum concupiscentium sicque *melius*, beatius, *viventium* exemplo propo-

nit atque illustrat. Celebratissima Scytharum moderatio, alienique abstinentia apud veteres, unde eosdem δικαιοτάτους ἀνθρώπους adpellat Homer. Il. XIII. 6. Laudant et Strab. VII. p. 462. Justin. II. 2. Ammian. XXII. 6. Magnam autem ἐνάργειαν h. l. habet comparatio, in qua cultissimus populus ab inculto superatur. *Campestres*, qui in aperto campo vivunt, errantes, vagi, perpetuo Scytharum epitheto. Intelligendi h. l. Scythae γεωργοί, uti Herod. IV. 18 adpellat, diversi a Nomadibus, ulterius versus Orientem habitantibus. — 10. Quibus plaustrum instar domus est, qui re ac familia plaustris imposita vagam vitam ducunt. Expressit Horatius graecum epitheton, ἁμαξόβιοι, ἁμάξοικοι, Scythis a consueto hoc vivendi more (unde *rite*) proprium. Πλεκτὰς στέγας ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις vocat Aeschyl. Prom. V. 715. Erant enim mapalia cannis consuta coriisque tecta. Valer. Flacc. VI. 79. sqq. *plaustris ad proelia cunctas Coraletae* (Thraciae populus, pro quo Noster *Getas* habet) *traxere manus: ibi sutilis illis et domus, et crudo residens sub vellere conjux.* De Scythis Justin. l. l. *Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis imbrium hiemisque causa tectis, pro domibus utuntur.* — 11. *Getae*, Thraciae populus, eadem, qua Scythae, victus simplicitate, morumque integritate notus; unde *rigidi*, moribus rigidis, oppositi Romanis, luxu effeminatis. Ita *rigidi Sabini* Epp. II. 1. 25. Alii tamen ad regionis, quam incolunt, frigus cum Porphyr. trahunt.

v. 12 *sqq.* Utrique huic populo *jugera immetata* sunt, terram colunt haud in jugera descriptam, nullis limitibus distinctam, sed communem; unde eadem *fruges liberas* iis *fert* profert, praebet, quae ad omnes pertinent, nullius proprias. Docte duo haec commata conjunxit poeta. Agrorum inter veteranos ab Octaviano factam divisionem respici atque designari h. l. opinabatur Burm. de Vectig. Rom. I. p. 6. monente Boettig. ad h. l. qui satis quidem adposite Nostri Serm. II. 2. 115. *metatum* h. inter veteranos divisum *agellum* laudat (adde Valer. Catonis Dir. 45. *Pertica quae nostros metata est impia agellos*, et Propert. IV. 1. 130.) sed tangi omnino insanam divitum Romanorum, latifundia sua per longinquos tractus porrigendi putem libidinem. Ita graviter opponi sentias Scythis omnia in medium quaerentibus Romanorum potentiores, vel mari, quo latiores privatae ipsorum fiant possessiones, detrahentes. *Et Cererem* copia poetica adjectum. — 14.

Nec cultura ejusdem agri ipsis *placet*, est, *longior annua*, anno longius, sedem quippe quotannis mutantibus. Alternis igitur, seu pluribus potius annis institutum inter eos ut agri cessarent, sicque reficerentur, stercorationis usu ipsis ignoto. Nonnulli h. v. ad sqq. trahunt, hoc sensu: Alternis agriculturam exercent, ita ut qui hoc anno agris colendis vacaverint, altero quiescant. Sed haec vix commode e verbis elicias. Multo impeditior autem illorum ratio, qui Scythis non plus quaeri, quam quantum uni anno sufficiat, poetam voluisse existimant.

v. 15. 16. Agriculturae haecce inter eos constat ratio, ut vicissim opus ruri faciant, ita quidem, ut ii, qui hoc anno illud coluerint, insequenti immunes ab opere sint, aliis ipsorum vices subeuntibus. Hos *vicarios* adpellat poeta, qui vices laborum annuas suscipiunt, *aequali sorte*, aeque in eos laboris devoluta parte, aequali laboris portione, sicque *recreant defunctum laboribus*, vacationem iis dando, ipsis succedendo. Ceterum totum hunc de Scythis ac Getis locum inde a v. 12. insigniter illustrant, quae de Suevis tradit Caesar B. G. IV. 1. jam a Lambino laudatus: *Centum pagos habere dicuntur, e quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa educunt. Reliqui, qui domi manserint, se atque illos alunt. Hi rursus anno post in armis sunt; illi domi remanent. Sic neque agricultura, nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed privati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet.*

v. 17 *sqq.* Laudata Scytharum simplici vitae ratione ac continentia ad morum, qui isthac nituntur, integritatem progreditur poeta, ita quidem, ut semper Romanum populum avarum illum ac luxu perditum, eundemque scelerum, inde propullulantium, infamia laborantem in oculis ferat, notetque. Illic *mulier*, noverca *temperat* docte pro, miscet pocula, bibendum praebet, *priv. matre carentibus*, orbatis; *innocens*, sine noxa, ita ut ne noceat ipsis non veneno inficit pocula, quae privignis parat, uti apud nos fieri adsolet. Doctior haec poetaque dignior ratio prae altera nimis pedestri, qua *temperat priv.* explicant, parcit iis, non saevit in eos. Tum hoc potissimum maleficii genere novercas in antiquitate traductas docet vel Ovidii Met. I. 147. *Lurida terribiles miscent aconita novercae.* Adde Virgil. Ge. II. 128. Claudian. XV. 173. — 19. 20. Dotis ibi in deligenda uxore

nulla habetur ratio. Pro hoc, quod fere accidit in matrimonio dotis acquirendae causa inito, poeta: ibi *non regit*, in potestate habet virum conjux *dotata*, dote freta; *nam quae indotata est, ea in potestate est viri; dotatae mactant et malo et damno viros*, uti Plautus ait Aul. III. 5. 60. Idem Men. V. 2. 16. *Ita isthaec solent, quae viros subservire sibi postulant, dote fretae, feroces.* Laudant et ejusd. Asin. I. 1. 74. *Argentum accepi, dote imperium vendidi.* — *nec nit. fid. adultero*, non imperiosa ac superba est erga maritum adulteri fiducia, vel amatoris adversus mariti injurias praesidio tutata. Ita multo gravior ad notandam morum, qui Romam invasissent, corruptelam exsistit sententia, quam si explices, non alienum amorem expetit. *Nitido*, ad totum habitum refer, quo feminae placere studet adulter.

v. 21 — 24. Castitas ac probitas uxoris magnae instar dotis apud eos aestimatur. *Virtus parentum*, cujus semina in liberos propagari credita. Vid. ad IV. 4. 29. Apposite Eurip. Archel. fr. XX. *ἐν τοῖς τέκνοις γὰρ ἡ ἀρετὴ τῶν εὐγενῶν ἐνέλαμψε· κρείσσων τ' ἐστὶ πλουσίου γάμου* et Antip. Thess. XLVI. (Anal. Br. II. 121.) *Παρθένε — ἴσχε σύνεργον ἠλακάτην· ἢν δ' ἵκῃ εἰς ὑμέναιον, Ἀναΐδος ἤθεα μητρὸς χρηστὰ φύλασσε πόσει προῖκα βεβαιοτάτην.* Ad verba ac sententiam totius loci insigniter facit Hipponactis fr. apud Stob. Flor. Grot. p. 305. dignum ideo, quod hic adponatur: *γάμος κράτιστός ἐστιν ἀνδρὶ σώφρονι, τρόπον γυναικὸς χρηστὸν ἔνδον λαμβάνειν. αὕτη γὰρ ἡ προὶξ οἰκίαν σώζει μόνη· ὅστις δὲ ἀτρύφερον τὴν γυναῖκ' ἄγει λαβὼν, σύνεργον οὗτος ἀντὶ δεσποίνης* (*non dotata regit virum*) *ἔχει εὔνουν, βεβαίαν* (*certo foedere*) *εἰς ἅπαντα τὸν βίον*, et Plautina illa: (Amphitr. II. 2. 209.) *Non ego illam mihi dotem duco esse, quae dos dicitur: sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem, Deum metum* cet. Adde ejusd. Aulul. II. 2. 61. *Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.* — *Castitas metuens alterius viri*, *ἀλλοτρίου*, quae tangi se non sinit (*metuitque tangi* III. 11. 10.) ab alio viro, quae congressum fugit, abhorret ab alieno viro, *certo foedere* matrimonii, dum sancte servat foedus cum marito initum. — 24. *Et*, porro, dotis loco habetur *τὸ nefas peccare*, quod uxores *nefas*, summum flagitium existimant; *peccare*, fidem marito datam fallere, (vid. ad III. 7. 19.) adulteram fieri. — *aut pretium emori*, potest esse, aut, si pecca-

rint, *pretium* μισθὸς, ποινή statuta est *mori*, mortis supplicium. Sed parum adposita est haec ratio ad reliqua. Legem enim de adulteriis quomodo uxor dotis loco marito adferat? Igitur praestat altera: dotis loco est, quod *pretium* putant, in pretio habent, pulcherrimum existimant, *amori*, mortem potius subire, quam dedecus illud pati; intentatum vel illatum flagitium morte voluntaria redimunt. Καλὸν γ' ἀποθανεῖν, πρὶν θανάτου δρᾷν ἄξιον, Anaxandrides apud Grot. Excerpt. p. 147. Ita Phaedra σωφρονοῦσα apud Senec. Hippol. 1189. *mortem* adpellat *pudoris maximum laesi decus*.

v. 25 — 32. Exposita Scytharum in pauperie sua continentia morumque integritate, adumbrataque hoc modo graviterque notata Romanorum effreni opum constipandarum cupiditate, enataque inde morum corruptela, satis consentaneum erat, ut remedia poeta, patriae amantissimus, sollicite circumspiceret, quibus obviam iretur malis, inde in remp. redundantibus, eamque misere adfligentibus. Ac horum quidem causae quum a subversa disciplina antiqua repetendae sint, de hac restituenda primo loco cogitari oportere: restitui autem non posse, nisi scelerum licentia tollatur, severeque puniatur. Quum ex Suetonio satis constet, Augustum in morum legumque, quarum *perpetuum recepisset regimen* (Octav. c. XXVII. extr.), paullo severius instituta emendatione ac retractatione adeo subinde offendisse, ut eas prae tumultu recusantium perferre non potuerit; admodum probabile est, poetam hac sententiarum conversione Augusto gratificari voluisse hactenus, ut gravissimis sancitarum ab eo sanciendarumque legum causis propositis ipsorum civium atque rei adeo publicae salutem in comprobandis iis observandisque verti ostenderet. — 25. 26. Magnam ad conciliandos Augusto, de emendandis moribus cogitantis civium animos ἐνέργειαν habet generatim proposita sententia, qua unum tantum poeta, unde reip. salus sperari possit, dari significat remedium, quo omnes uti oporteat, qui causam reipublicae suscepturi sint. *Quisquis*, quicunque e republica *tollere*, penitus abolere volet *impias*, mutuas civium *caedes*, et *rabiem civicam*, furorem civilem, bella civilia. Speciatim haec pro calamitatibus universis, quas mores corrupti civitati inflixerint, commemorat poeta, tanquam reip. funestissima. Originem autem bellorum civilium maxime ab insano, qui Romam cum divitiis invaserat, luxu, praeda rapinisque fovendo, repetendam

esse, facile perspicitur. Rem diserte exponit Lucan. I. 158 — 182. Qui igitur bella civilia exstincta cuperet, horum semina, luxus et avaritia, ei opprimenda erant. — 27. Duo haec commata: Si Patris augusto nomine adpellari, statuasque sibi erigi cupiat, vide quo artificio poeta conjunxerit. Si *quaeret*, hoc adsequi velit, ut *statuis urbium*, per urbes, per terrarum orbem adeo, qua habitatur, in honorem ejus ponendis, splendidissimum *Patris* nomen *subscribatur*, basi inscribatur; quod docte ac magnifice est pro: si optime de republica mereri velit. Hos enim honores non nisi optime de patria meritis viris obtigisse satis constat. Alii jungunt, *Pater urbium*, quae sane ratio et simplicissima est et satis proba, modo intelligas *patrem*, sospitatorem ac conservatorem *urbium* totius habitati orbis, quem imperio complexus videri volebat populus Romanus, nec vero de urbe Roma, cujus quidem respectu Romulus Ovid. Fast. III. 72. Domitianus Statio audit Silv. III. 4. 48. *Pater inclytus orbis*. Altera tamen ratio et doctior videtur et magnificentior; et vero etiam probabilior ob sqq. Quum enim post mortem demum hos honores virum, qui hoc in se recipiat, sperare jubeat, valde adposita putanda est haec augusta Patris, tanquam Divi, adpellatio, defunctis Impp. inter Deos relatis, deinceps tribui solita. Vid. Spanhem. de V. Num. Diss. XII.

28. Is *audeat*, quam praeclare pro, sibi sumat, inde procedat, ut cet. Habet enim adjunctam notionem difficultatis suscipiendi laboris, tum quanta animi virtute talem virum praeditum esse oporteat, qui reip. causam cum plurimorum invidia atque offensione suscipere velit, egregie declarat. Is *refrenet*, severissimis legibus atque institutis compescat, coërceat (ut IV. 15. 10. de Augusto, *rectum evaganti frena licentiae injecit*: ubi vide notata) *indomitam*, effrenatam morum *licentiam*. — 30. *Clarus futurus*, unde summam nominis claritatem, famam consequatur apud *postgenitos*, posteros, τοὺς ὀπίσω, μετὰ, γεγεννημένους (v. ad I. 28. 31.), unde adeo sibi immortalitatem paret. — *Quatenus*, quandoquidem *virtutem*, virum probum, patriae saluti prospicientem *odimus*, invidia prosequimur, carpimus, meritis ejus detrahimus, *incolumem*, dum vivit, superstes, praesens est; *sublatam* autem *ex oculis*, mortuum tali praeditum virtute, cujus splendorem oculi haud ferre poterant, *quaerimus*, desideramus, laudamus, colimus, veneramur. *Quaerere*, ut Gr. ζητεῖν, desiderio persequi. Stat. Achill. I. 240. Martial. V. 10. 5. *Sic vete-*

rem ingrati Pompeji quaerimus *umbram:* et saepius alibi. — *invidi* praesenti virtuti, ingrati. Docte hoc poeta ad posterius comma retulit. Ad sententiam poeta Mimnerm. VI. (Anal. Br. I. 61.) δεινοὶ γὰρ ἀνδρὶ πάντες ἐσμὲν εὐκλεεῖ ζῶντι φθονῆσαι κατθανόντα δ' αἰνέσαι. Paullo aliter instruxit eam Seneca de Benef. IV. 30. petito tamen e Nostro orationis colore: *Hoc debemus* virtutibus, *ut non praesentes solum illas, sed etiam* ablatas e conspectu *colamus.* Adposite quoque laudant Vellei. II. 92. *Praesentia invidia, praeterita veneratione persequimur; his nos obrui, illis instrui credimus.* Adde Sophocl. Ai. 973. Epp. II. 1. pr. et 14.

v. 33. Omnes de corruptis civitatis moribus conquerimur, neque tamen remedia pati possumus. *Querimoniae*, querelae nihil *proficiunt*, profuturae sunt, nisi *culpa*, flagitia, scelera *supplicio*, atrocissimis poenis *recidantur*, compescantur, luantur, vindicentur. *Acerbitas enim* (Gell. XX. 1. extr.) *ulciscendi maleficii, bene atque caute vivendi disciplina est. Reciduntur* vulnera, quae mollem manum respuunt, quae non nisi ferro adhibito sanantur. Pulchre Cic. Or. Catil. II. 5. *Quae sanari poterunt, quacunque ratione sanabo; quae resecanda erunt, non patiar ad civitatis perniciem manere.* Notissima Ovidii: *immedicabile vulnus ense* recidendum, *ne pars sincera trahatur.* Respicit autem poeta leges ab Augusto paullo severius retractatas sancitasque, quas non nisi *ademta lenitave parte poenarum* (Suet. Aug. 34.) perferre potuerat. — 35. Enimvero, *quid* ipsae hae *leges* proficiunt, *vanae* eae atque inutiles, *sine moribus*, absque morum antiqua norma, sine paupertate ac parsimonia, nisi mores legibus obnoxii sint, sublata luxuria atque avaritia, quae *fidem* (Sallust. Cat. X.) *probitatem, ceterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocet.* Sententiam egregie illustrant Plautina (Trin. IV. 3. 25.): *Nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet. Ambitio jam more sancta est, libera est a legibus: petere honorem pro flagitio, more fit.* CH. *morem improbum.* St. mores leges perduxerunt jam in potestatem suam, *magis quîs sunt obnoxiosi, quam parentes liberis.* Juvenal. XIV. 177. *quae reverentia legum, quis metus aut pudor est unquam properantis avari?* Petron. c. XIV. *Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat.* — 36. sqq. Si insatiabilis lucri cupido animos hominum vexat, adeo quidem, ut ejus explendae causa maximas aerumnas tolerent, ipsiusque

vitae pericula adeant. Pro hoc specialim poeta: si mercator lucri causa torridam frigidamque Zonam (quas inaccessas inhabitabilesque antiqua ferebat opinio) tentet, penetrat, ac maria trajicit? Jam Zona torrida docte declaratur *parte mundi*, terrae tractu *incluso*, qui circumfusus, oppletus est *fervidis* solis *caloribus*, qui adeo ferventissimus est. Potest et accipi: *pars inclusa*, clausa sc. hominibus, invia; inaccessa propter *fervidos* nimios *calores*, Solis aestum. Sed praestat prior ratio. Lucan. V. 24. *Vel plaga qua torrens*, claususque vaporibus axis, *nec patitur noctes* (cf. Senec. Herc. Oet. 1363.) *nec iniquos crescere soles*. Eratosthenes de eadem: ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἔμπυρος οἷον ἐρυθρή, (*una corusco semper sole rubens* Virg. G. I. 234.) τυπτομένη φλογμοῖσιν ἐπεὶ ῥα μοῖραν ὑπ' αὐτὴν κεκλιμένην ἀκτῖνες ἀειθερέες πυρόωσιν. Zona frigida h. l. est *latus* mundi, regio, *Boreae finitima*, plaga Borealis, quam *nives* continuo gelu *solo duratae*, induratae, quae nunquam sole resolvuntur, adeoque perpetuae tegunt, quae adeo *semper* frigore riget. Hoc tamen nequaquam *abigit* arcet a sese, absterret *mercatorem*, quo minus ad ea loca accedat. — 40. Si *navitae*, mercatores *callidi*, callida arte, navigandi peritia, dexteritate, *vincunt*, domant, sibi subjiciunt *aequora horrida*, aspera fluctibus, mare procellosum, si vel procelloso mari navigant? Ita locum si accipias, multo efficacior erit ad lucri sitim castigandam. *Callidos* alii nautas dictos volunt, quorum ingenia lucri cupido acuat, in divitiis parandis fraudulentos, falsos, minus adcommodate h. l. — 42. Si divitiae honori sunt, *pauperies* contra *magnum opprobrium* probro habita, atque ideo quaevis, quantumvis scelesta *jubet*, ad facinora quaevis instigat, quo *bonae* illa *mentis soror* (Petron. c. 84.) abigatur atque propulsetur? Sallust. Cat. XII. *Postquam* divitiae honori esse coepere, *et eas gloria, imperium, potentia sequebatur*; hebescere virtus, paupertas probro haberi, *innocentia pro malivolentia duci coepit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia, cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. Pauperies*, facultates mediocres, fortunae mediocritas ea, unde parce ac sobrie vivitur, quae in maximo antiquitas honore constituta, (unde Plaut. Trin. IV. 3. 21. *Utinam veteres mores*, veteres parsimoniae majori honori essent, *quam mores mali.*) nunc, corruptis civitatis moribus,

despecta ac molesta, adeo quidem, ut talis conditionis homines miseros se atque omnium rerum egenos, quibus luxuriosis esse non liceat, querantur. Hinc acuto cum judicio paupertati poeta *egestatis* notionem induit, et, quae hujus propria erant, in illam transtulit. *Egestas* enim *quidvis imperat*, ut rem Plauti verbis (Asin. III. 3. 81.) eloquar; pro quo doctius poeta: *quidvis et facere et pati*, h. ad quaevis, quantumvis scelesta *facienda*, et ad quaevis, quantumvis turpia, *patienda*, toleranda, impellit. Lucian. pro Mercede Cond. p. 717. πενία πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν ἀναπείθουσα, ὡς ἐκφύγοι τις αὐτήν. Valer. Max. II. 6. *Removeatur dulcedo vitae*, quae multa et facere et pati turpiter *cogit*. Apulei Met. IX. p. 189. Pric. *quidvis facere, quidvis pati paratus*, ad quem locum Pricaeus hunc Graecis familiarem loquendi usum docte explicuit. Ad sententiam Timocles apud Stob. Flor. Grot. p. 389. Πολλοὺς γὰρ ἐνίοθ' ἡ πενία βιάζεται ἀνάξι' αὐτῶν ἔργα παρὰ φύσιν ποιεῖν. et Philemon (ed. Cleric. p. 350.) Ἡ γὰρ σπάνις πρόχειρος εἰς τὸ δρᾷν κακά. — 44. Pauperies despecta *deserit virtutis viam*, homines a recti honestique studio deducendo, pravisque artibus imbuendo. In virtute *ardua*, in excelso collocata, Hesiodeum figmentum, quod plures deinceps poetae exornarunt (vid. doctiss. Ruperti ad Sil. IV. 603.) facile agnoscas. Potest et simpliciter accipi, in illustri posita, clara, splendida, ut ὑψηλαὶ ἀρεταί, Pind. Ol. V. 1.

v. 45 *sqq.* Quodsi igitur rempublicam calamitatibus, quibuscum aegre conflictatur, liberatam cupimus, scelera, unde eae promanant, non tam legibus compescenda, quam radicitus exstirpanda sunt. Exstirpabis autem sublatis ipsorum causis, luxu et immensis cupiditatibus. Neque vero has tollas, nisi divitias, fomitem istarum atque nutrimentum, ab hominum usu removeris, paupertatique atque parsimoniae suum honorem reddideris. Ita demum respublica persanata ad pristinum splendorem resurget. — 45. Vel in Capitolium opes deferamus, Diis consecrandas. Sententiam in Augusti gratiam a poeta ita adornatam esse, facile colligas ex Suetonii (Aug. XXX.) loco, in quo tradit, *Augustum opulentissimis donis aedes sacras adornasse, ut qui in cellam Capitolini Jovis sedecim millia pondo auri, gemmasque et margaritas quingenties HS. una donatione contulerit.* — 46. Inter adclamationes populi. Solenni enim pompa donaria Deorum templis illata fuisse satis exploratum est. *Vocat* clamor turbae faven-

tis (pro quo docte est, *clamor et turba fav.*) dum praeit pompam; eique *favet* h. adclamationibus favorem prodit. Notus sati hic verbi usus, de quo, si opus est, adiri potest Broukh. ad Tib. II. 5. 110. — 47. Vel potius *in mare proximum*, Tyrrhenum, *mittamus*, projiciamus, e medio prorsus tollamus, ne divitiarum adspectu amplius conturbemur, irritemur. Proverbialis haec fere locutio de re, quam prorsus abolitam cupimus. Vid. Adag. Schott. p. 47. Egregie autem huc facit Luciani locus, a doctissimo Boettigero quoque laudatus, in Tim. §. 56. p. 173. σοῦ δὲ αὐτοῦ χάριν ἐστάλην, ὡς μὴ διαφθείρῃ σε τὸ κάκιστον τοῦτο καὶ ἐπιβουλότατον κτῆμα ὁ πλοῦτος, ὁ πολλοῖς πολλάκις αἴτιος ἀνηκέστων συμφορῶν γεγενημένος· εἰ γάρ μοι πείθοιο, μάλιστα ὅλον εἰς τὴν θάλατταν ἐμβαλεῖς αὐτόν. Et in ejusd. Vit. Auct. 9. p. 549. τὰ δὲ χρήματα, ἣν ἔχῃς, ἐμοὶ πυθόμενος ἐς τὴν θάλατταν φέρων ἐμβαλεῖς. — *lapides*, λίθους, uniones, margaritas. — aurum *inutile*, ἄχρηστον, ἀχρεῖον, perniciosum. Antholog. Lat Burm. T. I. p. 513. *Heu misera in nimios hominum petulantia census, caecus* inutilium *quo ruit ardor* opum? — *summi materiem mali*, unde tanquam fonte, principio (*summi*) omnia mala proveniunt. Sallust. Cat. X. *Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit: ea quasi* materies omnium malorum *fuere*. Justin. III. 2. de Lycurgo: *Auri argentique usum*, velut omnium scelerum materiam, *sustulit*. Rutil. Itin. I. 357. *Materies vitiis aurum letale parandis, auri caecus amor ducit in omne nefas.* — Si *bene* vere *poenitet* nos *scelerum*, si vere emendari, salvamque remp. cupimus.

v. 51 *sqq.* Statim e *teneris mentibus*, puerorum animis *eradenda*, evellenda, tollenda sunt *pravi cupidinis*, pravarum cupiditatum *elementa* ac semina, antequam radices egerint; in pueris statim videndum, ne luxu atque otio ipsorum diffluant, ac corrumpantur animi; quos contra *formari*, institui, imbui, adsuefieri oportet *asperioribus studiis*, exercitationibus, fami, siti, laboribus tolerandis; verbo, severiore opus est disciplina in educando puero. Ita vero duo haec commata conjungi debere censeo. Alii *cupidinem pravum* avaritiam explicant; recte quidem per se, sed parum commoda h. l. sententia, qua nunc ipsam avaritiam ex animis radicitus exstirpatam vellet poeta, quam tamen non nisi materia s. causis ejus subtractis, divitiis scilicet, tolli posse satis prudenter paullo ante monuisset. Docte autem poeta

verba, *tenerae nimis mentes*, posteriori membro adposuit, ad primum statim comma retrahenda. Quod ipsum fraudi fuit intpp., ut sensu totius loci paullum aberrarent. Sunt autem *mentes tenerae*, hominum in tenera aetate constitutorum, sed *nimis*, justo teneriores, ultra quam natura fert, nimis molliter habitae, prava institutione effeminatae. Alii simpliciter explicant, molles, fluxas, nulla aetatis ratione habita; male, vel propter *formandae*. — 54. Nostri adolescentes parum curant campestria studia, omninoque duriores labores reformidant. E campestribus exercitationibus equitationem in specie memorat poeta. Cf. I. 8. 3. sqq. *Ingenuus puer*, adolescens Romanus, sed cum vi, quatenus studia, quae hominem ingenuum decent, omittit. In *rudis nescit*, observa copiam poeticam. Imperitiam pueri ulterius arguit poeta τῷ *haerere* pro, insidere *equo*. — 56. *Timet*; *στυγεῖ*, aversatur, abhorret, recusat (ut I. 8. 8. *timet* Tiberin taugere) *venari*, utpote nimis aerumnosam molli atque imbecillo corpori exercitationem. Cf. Serm. II. 2. 9. Epp. I. 18. 49. — *doctior*, peritior est, magis callet, babiliorem se ostendit ad ludendum trocho et alea. Eadem oppositio Serm. I. I. *vel si Romana fatigat militia* (h. venatio et ceterae exercitationes) *adsuetum graecari* h. trocho aliisque ludicris deditum studiis. Unde h. l. *tr. graecus*, utpote graecae originis, audit. De troccho multi multa. Vid. Scheffer. de re Vehic. I. 6. p. 57 sqq. et H. Mercurial. de Arte Gymn. III. 8. ubi trochi typos adpositos deprehendes. — *Seu jubeas — seu malis*, ad utrumque paratissimum declarat, estque omnino pro vulgari, tam, quam. — 58. *Alea*, qui tesserarum proprie ludus erat, mox omnes complectebatur, in quibus casus regnabat: quumque Romanorum insania magnam ac totam subinde rem familiarem ei subjiceret; et infamiae nota et poenis publice sancitis ea compescebatur; unde *legibus vetita* h. l. Mature hoc factum fuisse, colligas ex Ovid. Trist. II. 470. *Sunt aliis scriptae, quibus alea luditur, artes: haec est ad nostros non leve crimen avos. De alea condemnatos* memorat quoque Cic. Phil. II, 23.

v. 59. Patre interea divitiis quoque, quantum vis scelesto modo, constipandis intento. Pulchre opponitur filio turpiter opes profundenti nefaria patris avarita. *Quum*, interea dum *perjura fides*, perjurium, perfidia (ut I. 18. 16.) patris, h. pater perjurio *fallat*, perfide decipiat cet. Noster Serm. II. 3. 126. *Quare, si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers undique? — Con-*

sortes dicebantur, qui certam pecuniae summam (*sortem*) negotiandi causa conferrent: unde pro sua cujusque summa et lucrum et damnum, quod inde emergeret, commune esset, iidem inde dicti *socii* et collegium *societas;* res nota. Cumulavit h. l. poeta *cons. socium*, cum satis fuisset, consortem, vel sortis socium. In maximo autem ista fraus habita crimine. Bentl. laud. Cic. pro Rosc. Amer. c. 40. *In rebus minoribus socium fallere turpissimum est*, et mox: *Recte igitur majores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.* — 61. Ita fraudulenter agit, ut *properet* enixo studio coacervet, paret *pecuniam haeredi* filio *indigno*, aleatori, graecanti. Juvenal. XIV. 177. *quae reverentia legum, quis metus aut pudor est unquam properantis avari?* — 62. *Scilicet* quantumvis *crescant divitiae*, immense ita augeantur. *Improbas* vocat, vel improbe, nefariis modis (quos proxime indigitaverat) congestas, vel omnino, nimias, immensas, vel denique, quae homines improbos reddunt, scelerum irritamenta. Prior tamen ratio convenientior h. l. — 64. Tamen *nescio quid*, praeclare, quum avari inexplebilis cupiditas ipsa nesciat, quantum *absit* desit *rei curtae*, parvae, exiguae, ex istorum hominum opinione.

ARGUMENTUM XXV.

En poetam efferatissimo furore, dum Augusti laudes meditatur, correptum ac vere debacchantem! en Dithyrambum Romanum nulli Graecorum (quantum ex istorum fragmentis conjectare datur) inferiorem; Tanto nisu poetam extolli, in altosque nubium tractus tendere sentias, ut oculorum eum vix adsequaris acie! Quid mirum igitur, intpp. ac VV. DD. in aliis satis acutos, in hujus carminis rimando consilio spissa offusos caligine hebescere ac prorsus visu deficere! Omni-

no sunt quaedam Horatii carmina, quae ne a doctissimis quidem viris legi cupiam; nisi ipsi sint

cupidi silvarum aptique bibendis
Fontibus Aonidum,

nisi ingenio polleant, sublimium phantasmatum capaci, et, ut breviter dicam, Horatio sint similes. — Jam Horatius, Augusti laudum acri thyrso percussus, attonitusque rerum magnitudine, materiaeque amplitudine excelsissimorum phantasmatum, inde animo ejus, dum eloqui ea conatur, objectorum exuberantia ita confunditur, ut extra se rapi, Bacchicoque furore se tentari existimet. Atque in hoc furore Bacchico, qui per totum carmen decurrit, ad primariam ejus causam expromendam, seu potius animo, graviter ista quasi vexato, excutiendam omnes vires convocat, sed in ipso eluctandarum Augusti laudum (rei quippe nimis arduae) conamine saepius tentato collabitur ac plane concidit. Scilicet ita demum dignum Augusto elogium exire poterat, quod splendidius, disertiusque judicandum, quam longissimum perque omnia laudum momenta diductum carmen panegyricum, quale illud putidum ac jejunum ad Messalam est, quod tersis Tibulli adrepsit numeris, quodque ego, pessimus omnium poeta, fecisse nollem. Sed illa ipsa ἐνάργεια ac δεινότης in solo laudandi nisu compressa in gravissimos errores vel acutiores homines impegit, ut vel aliud carmen circumspicerent, quo laudes Augusti persequutus esset poeta, hocce tantummodo ei praefatus; vel, in quo sibi acutissimi viderentur commento, non incallide

poetam, qui ad Augusti laudes dicendas excitatus fuisset, tergiversari statuerent: indigni prorsus, quibus talis laudator contingat.

Adnotationes.

v. 1. Vividissimis initio statim poeta enthusiasmum coloribus depingit, quo se correptum, et ad sublimes, quibus tumet, sensus cantu evolvendos incitatum sentit. Scilicet magnitudine rerum gestarum Augusti animus ejus ita conturbatur atque percellitur, ut impotens sui bacchetur, ingentiumque phantasmatum sibi objectorum impetu plane auferatur poeta. Quo quidem Augusti extollendi modo, sane, quid augustius, exquisitius, splendidiusque fingi cogitarique possit, non video. Jam quum excelsioris enthusiasmi Bacchus auctor (utpote μανίας, quacum enthusiasmus comparatur v. III. 4. 6., Θεός) perhibeatur, consentaneum sane et vero etiam poetis solenne est, naturam ejus plane ad Baccharum habitum ac furorem conformatam repraesentare. Simulantes igitur Bacchi orgia poetae in nemorum recessus feruntur (I. 1. 30.) Bacchum vident, cum comitatu suo discurrere, εὐάζειν cet. semetque ipsos ab eo, Maenadum instar, a thyrso percuti ac in furorem agi sentiunt. Igitur eo percitus poeta ἐνθουσιῶν exclamat: *Quo me rapis tui plenum*, tuo numine, tua vi perculsum atque attonitum. *Plenum Bacchi pectus* similiter dixit II. 19. 6. — 2. Explicative τῷ *quo* subjunguntur *nemora* ac *specus*, loca solitaria, Bacchis frequentari solita. Praeclarum etiam hoc, quod priorem structuram statim relinquit incitatus poeta. *Aut* familiare Horatio, ubi duas ideas eloquitur; animo simul objectas. Ceterum solenne fuisse Graecis Dithyrambos hac Baccharum formula exordiri, cum ipsa rei natura fidem facit, tum recte illud colligas e Plautino loco (Menaechm. V. 2. 82.) ubi Menaechmus ita se furere simulat: *Evoe, Evie, Bromie, quo me in silvam* venatum (hoc voc. corruptum; forte: *evatum*, antiquo verbo, unde *evans* mansit) *vocas*. — 3. *velox*, praeceps, citato cursu. Vere bacchantem tibi poetam cogita. Igitur vix bene de ingenii nisu interpreteris. — *Mente nova* quippe a Deo possessa, alio plane mentis habitu, expulso pristino sensu (Claudian. XXXIII. 5.), ob novas animo ejus objectas rerum species, novos ac sublimiores

sensus, a Deo immissos — *quibus antris audiar*, in quae antra abreptus *audiar meditans*, mediter atque canam Augustum, quibus in antris resonent immortales Augusti laudes? Jam evolvitur poetae enthusiasmus, in Augusto defixus. Praeclare autem atque exquisite prorsus singula. In antra concedit poeta canturus, noto phantasmate. Vid. ad III. 4. 40. — *egregii*, incomparabilis, ut I. 6. 11. — *meditari* de poetis, ut μελετᾷν, animum ad canendum componere, omnes in argumento aliquo tractando cogitationes defigere, tum docte pro, canere. Jam duobus modis verborum junctura institui potest. Pedestrior est: *audiar*, resonent antra, *meditans inserere*, dum meditor, id unice ago, ut inseram cet. Quanto doctior, commotoque poetae multo adcommodatior altera haec paullo audacior structura: quibus antris audiar *meditàns*, meditando, canendo, cantu meo *decus stellis inserere*, quod copioso ornatu dictum, pro audiar canens, canam Augusti decus! Pro vulgari, celebrare, extollere, splendide est, *decus*, gloriam Caesaris *stellis* coelo *inserere*, inferre atque ipsi *consilio Jovis*, deum inter Divos consiliantes (III. 5. 17.) repraesentare. Excelsissimus in hoc spiritus! tanquam divinos honores poeta Caesari praestet, cujus nomen carmine suo immortalitati consecret, quae eaedem ideae sunt IV. 8. 22 sqq. *Aeternum* ornate τῷ *decus* simpliciter adjectum videri possit, ut sit, immortale, aeternitate dignum, eximium; sed lyrica ratio suadet, ut *aeterni* notio τῷ *inserere stellis* jungatur, ut sit pro, decus aeternum facere, quod fit ἀποθεώσει, cujus augustam statim immiscet speciem.

v. 7. Pulchre decet arrogantia ista poetam, ab argumenti, quod tractat, majestate sumta; quo ita adflatur, ut se plane divinum quoddam proloquuturum audacter adfirmet; quo quidem divino prorsus artificio exquisitissimas Augusti laudes contineri, vel hebetior animadvertat. *Dicam*, proferam, canam *insigne*, quod prae omnibus emineat, singulare prorsus, *recens*, nunquam auditum, *adhuc indictum ore alio*, a nemine adhuc tractatum. Omnes se facile superare in hoc argumento poeta ait, quandoquidem nemo adhucdum par Caesari exstiterit, (unde significanter admodum *egregii* v. 4.) cujus facta quemquam tam sublimium phantasmatum capacem reddere potuerint; egregie prorsus. Jam vide, quo modo totum locum deprimant intpp.

v. 8. Egregie jam *mentem novam* suam repraesentat poeta.

Scilicet, dum immortalium factorum Caesaris admiratione occupatus ejus animus ad celebranda ea progredi audet, ecce rerum magnitudine plane obstupefactus confunditur, novoque adflatu perturbatur. En disertissimum atque eloquentissimum in solo canendi nisu poetam, atque egregium plane laudatorem! Mens, Augusti admiratione attonita, *stupet* aeque ac *Evias exsomnis*, Baccha, somno, audito tympani sonitu, experrecta, istoque ad novos furores recreata. Novo igitur statim furore Baccham correptam puta designari a poeta. Eurip. Bacch. 691. *αἱ δ' ἀποβαλοῦσαι θαλερὸν ὀμμάτων ὕπνον, ἀνῇξαν ὀρθαί.* Pervertunt totum locum, qui Baccham somno expergefactam, furore solutam et ad se redeuntem a poeta significari existimant. Unde poetae quoque furorem, qui cum maxime tumultuari incipit, resolvi credere consentaneum foret. Jam stuporem exornant rigidi ac truces oculi, quibus attonita Baccha oppositam sibi regionem intuetur, fere ut apud Eurip. Bacch. 1085. *ἔστησαν ὀρθαί, καὶ διήνεγκον κόρας*; unde totius loci pulcherrima pictura exsistit. Commemorantur loca, Bacchis frequentata, quorum ipso adspectu novos furores Baccha concipit, *Hebrus*, Thraciae fluvius, *Thrace* (quae partibus ejus docte adponitur) *nive candida*, nivalis *χιονώδης* (Orph. Arg. 1370.) ac *Rhodope*; mons ejusdem regionis, orgiis Bacchi sacra. Pro hoc ornate, *lustrata pede barbaro*, h. barbararum, quam barbarae, h. Bacchae Thraciae pervagantur, orgia celebrantes. *Thraces barbari* pervulgata loquendi ratione.

v. 12. Bachac stuporem, quocum ante suum ipsius tantum comparaverat (ipse enim adstupebat divinis Augusti laudibus) jam in summo enthusiasmi fervore suum plane facit, iisdemque coloribus exornat, adsumto iterum primorum versuum phantasmate. *Ut libet* volupe est (laeta enim haec mentis, Baccho plenae, perturbatio II. 19. 6.) *mihi devio*, in solitariis locis vaganti (v. ad II. 19. 1, *mirari*, adstupere) v. ad III. 29. 11.) *ripis* praeruptis, et sonoris, quae continent, fluentis (respondet enim *Hebro* v. 10.) et *nemori vacuo*, deserto, solitario; uti *devio* paullo ante. Splendide nugantur intpp. qui ad Augusti laudes referunt; quas poeta primus (*devio*, versanti in carminis argumento a nemine trito) et solus (*vacuum nemus*, in quo ipse solus vagetur) digne scribere sibi arroget.

v. 14. Novo exstimulatus furore nova Augusti celebrandi subit poetam audacia. *Potens*, in cujus potestate sunt, qui choros

ducis *Naiadum* ac *Baccharum*, plane Orphico versu H. LIII. 6. Ναΐσι καὶ Βάκχαις ἡγούμενε κιττοφόροισι. vid. ad II. 19. 3. — *valentium vertere*, radicitus evellere *fraxinos*. Exempla vid. apud Eurip. Bacch. 109. 1066. 1093. et 1102.

v. 17. *Nil parvum . . . . loquar*, iterum ad Augustum redit in quo enthusiasmus ejus defixus est. *nil parvum*, insigne v. 7. — *aut*, nec *humili modo*, humilibus modis, sublimi cantu. Pind. Ol. 9. 19. οὔτοι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψῃ, ἀνδρὸς ἀμφὶ παλαίσμασιν φόρμιγγ' ἐλελίζων. — *nil mortale loquar*, canam, quod aeternum sit, quo immortalitati eum consecrem. Praeclare de hoc enthusiasmo poetico Senec. de Tranqu. Animi cap. extr. *Non potest grande aliquid et supra ceteros loqui, nisi commota mens. Cum vulgaria et solita contemsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali*, ratione forte hujus loci habita.

v. 18. Debacchatur jam poeta, ipsa bacchantium exclamatione *o Lenaee*, ἰὼ Βάκχε, adhibita, audacterque orationi inserta. *Dulce* est, jucundum est ad animum, enthusiasmo corripi, et pro hoc, adflari a Baccho; plane ut II. 19. 6. *Plenoque Bacchi pectore turbidum laetatur.* Jam quum corpus, incumbente deo periclitaretur, h. graviter adfligeretur (quod prodebant vaticinantes distortis corporis motibus); docte poeta sacrum istum horrorem vocat *periculum.* Jam furorem istum iterum bacchicum simulat verbis, *sequi deum*, rapi ab eo per silvas ac montes. — 20. *Cingentem* sibi (ne dubita) *tempora vir. pampino*, Bacchum. Forte epitheton Dithyrambicum in animo habuit poeta, quod per suae linguae leges distrahendum ac pluribus verbis enuntiandum erat. Similiter *ornatus viridi tempora pampino Liber* IV. 8. 33. Ad argumentum carminis si postrema transferas, erit; Projectissimae quidem audaciae est, Augustum celebrare; sed alea jacta esto.



ARGUMENTUM XXVI.



Totum hoc carmen plane e graeco fonte fluxisse, et argumenti ratio, et vero maxime ejusdem tractatio, exornandarumque sententiarum ratio satis evincunt. Bacchylidem auctorem haud inepte suspiceris e v. 10. Sed idem argumentum sexcenties a poetis graecis tractatum esse, dedicatoria, quae in Anthologiarum libris supersunt, abunde comprobant carmina. Quae si animo teneas, vanas VV. DD. de Venere marina ejusque sacello vel publico vel privato disceptationes mecum licebit rideas. Veneribus suis haud omnino est, quod destitutum hoc carmen queraris. Chloes arrogantia ac fastidio victus poeta amoribus sese plane renuntiaturum ita ostendit, ut instrumenta, quibus artem amatoriam exercuerit, Veneri, ejus praesidi, solenni more dedicet, adjecto pio, si Diis placet, voto, ut Chloes superbia ab ea puniatur. In quo tamen ipso, uti in ipsa dedicatione (v. 6.) subsilientes pristini amoris igniculos animadvertere licet, in quo animi humani naturam, egregie expressam animadvertas.

Adnotationes.

v. 1. *Nuper* admodum, adhuc scilicet, antequam Chloes fastidium expertus essem. — *vixi*, fui *idoneus*, ἤρεσκον (primitivo significatu) commodos mores adprobavi, placui *puellis*, ab iis expetitus. Similiter Terent. Andr. IV. 2. 13. *Hanc mihi expetivi, contigit*: conveniunt mores. Forte tamen hoc statim versu amoris cum militia comparatio incipit, et Horatius *idoneum* h. bonum militem (ut Tibullus de se I. 1. 75. *Hic ego dux milesque bonus* in effringendis puellarum foribus) se fuisse jactat,

qui puellarum animos facile expugnare potuerit. Cf. Propert. I. 6. 29. — 2. *militavi*, huic amoris militiae nomen dedi, vacavi, amoris castra secutus sum, *non sine gloria*, ita me gessi, ut magnam inde laudem ac victoriam reportarem; pro vulgari, felix in amore fui. Pervulgata amoris cum militia comparatio. Notissima Nasoniana; *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.* — 3. Nunc taedet amori amplius vacare, pro hoc continuata imagine a re militari desumta; Nunc arma emeritis stipendiis, Veneri, militiae istius praesidi, libet consecrare. Magnum autem in hac enuntiatione delectum observabis, si cujusque artis instrumenta, omisso ejus exercitio, deo, in cujus tutela ars esset, suspendi consuevisse memineris. *Arma* intellige instrumenta omnia, quorum usus Horatio in Amoris castris fuerat, barbiton, funalia, vectes, arcus, infra v. 7. commemorata. De solo barbito cogitant plerique, minus adcurate. — *defunctum bello*, amoris militia, quae non amplius amatoria carmina sonat. Ad lyram docte transtulit, quod magis poetae proprium erat. Intelligenda autem potissimum ἄσματα παρακλαυσίθυρα, ad lyram cantari solita. — 4. *paries habebit*, habeto (graeca temporum permutatione); parieti adfigam, suspendam. — 5. Qui *custodit* φρουρεῖ (uti fere Prometheus apud Aeschyl. P. V. 31. πέτραν φρουρεῖν dicitur, ei adfixus) servat, est a *laevo Veneris latere*, parte; unde haud inepte colligas, in templi parte, quae intrantibus a dextra est, donaria olim suspensa fuisse. Ceterum de templo Veneris Genetricis, in Divi Iulii honorem ab Augusto dedicato accipi volebat Sanad., quod in eo Venus ἀναδυομένη, Apellis opus, teste Plin. XXXV. 10. collocata fuisset. Alii privatam Veneris religionem, domestico sacello a poeta cultam intelligi malunt. Vide Argum.

v. 6. Vividissima pictura hominis, qui puellae fastidiis victus amori nuntium mittere videri cupit, eundemque, dum hoc ipsum agit, vehementissimum, quo adhuc flagrat, invitus prodit atque manifestat; quam plane ex animo humano descriptum dixeris. Cf. omnino I. 19. 13. — *ponite* θέσθε, proprio dedicationis vocabulo v. c. Catull. XIX. 10. XX. 6. et saepissime alibi. — Sequuntur arma, quae in Veneris militia poetae usui fuerant, s. instrumenta comissabundi. *Funalia* funes cerati, (λαμπάδων κηροχίτωνα suaviter adpellat Antip. Thess. XIII. 1. A. Br. II. 112.) faces, taedae, quae ei ad Chloen post comissationem media nocte

eunti praeluxerant. Suo hunc morem exemplo illustrat Prop. I. 3. 9. Solennis inde taedarum in comissatione mentio. Antiphanes apud Athen. VI. 10. ἐπὶ κῶμον, εἰ δοκεῖ, ἴωμεν, — δᾷδα καὶ στεφάνους λαβόντες. Iisdem minabantur fores ac tectum incendere si puellarum asperitas vi grassandum moneret. Theocr. II. 128. εἰ δ' ἄλλα μ' ὠθεῖτε καὶ ἁ θύρα εἴχετο μόχλῳ, πάντως καὶ πελέκεις, καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας. Turpilius apud Non. v. Turbam: *Nemo unquam vidit ebrium ire interdiu, neque turbam facere, neque fores exurere* Ovid. Amor. I. 6. 58. *Aut ego jam ferroque ignique paratior essem, quem face sustineo, tecta superba petam*; et A. A. III. 370. *Nec franget postes, nec saevis ignibus uret.* Atque hoc potissimum nomine funalia h. l. inter alia, quae ad vim faciendam parata essent, instrumenta commemorari existimem. — *Vectes*, effringendis foribus adhiberi solitos; res nota. Ejusdem fere usus esse debuere *arcus* (si omnino lectio sana); nam dicuntur *minaces*, hostiles, vim inferentes, vi effringentes fores *oppositas*, clausas.

v. 9 — 12. Cum voto absolvit dedicationem poeta; quod et alibi occurrit. *Diva, quae tenes Cyprum*, Κύπροιο ἐυκτιμένης μεδέουσα. Hom. H. in Ven. 292. nota ratione; v. ad I. 3. 8. *beatam* opulentam, maxime e mercatura: ὀλβιώτατοι δὲ νησιωτῶν οἱ Κύπριοι, διὰ τὸ θαλαττοκρατῆσαι, Eustath. ad Dionys. Perieg. 508. Cf. I. 1. 13. et III. 29. 60. Unde et vetus ejus nomen *Macaria* apud Plin. V. 31. ad quod forte allusit Horatius. — 10. Ex priscorum hymnorum ratione plura loca, ubi Veneris religio domestica erat, poeta commemorat. Memphi eam cognomine Hospitae cultam fuisse, auctores sunt Herod. II. 112, et Strabo XVII. p. 1161. a. — *carentem nive*, ἀχείμαντον, (Bacchylideo epitheto apud Athen. I. 17. p. 20. τὴν ἀχείμαντόν τε Μέμφιν καὶ δονακώδεα Νεῖλον.) h. calidam, e natura istius regionis. — *Sithonia* qualis est in Thracia, epitheto a regione translato, in qua summa ejus copia. Ita *frigoribus Pelignis* Romae carere vult poeta III. 19. 8. Calpurn. XI. 51. *Sithonias feret ille nives, Libycosque calores.* Ornat adeo simpliciter. Sed mire in hoc v. argutari alucinarique videas intpp. — 11. *regina*, ἄνασσα, δέσποινα, solenni Dearum adpellatione. Jam pro vulgari, ulciscere, puni Chloes arrogantiam, docte poeta: *tange*, feri, percute Chloen *arrogantem*, ob ejus arrogantiam *flagello sublimi*, in sublime educto, quo gravior plaga sedeat; pulchre! Solenne poetis ultionem divinam

per flagellum divinitus impactum declarare. Ita est *θεοῦ πληγὴ* apud Incert. in Stob. Grot. p. 119. *Δίκης ῥέπτρον* h. *ἡ θεόθεν τιμωρία* Eurip. Hippol. 1171. (uti plane dea *Δίκη τῇ ῥάβδῳ παίουσα τὴν Ἀδικίαν* repraesentata erat in arca Cypseli apud Pausan. V. 18. p. 422.) *Δαίμων μάστιγα ἐρείδει* Sophocl. in Oil. apud Stob. Grot. p. 473. Notissima quoque Furiarum verbera. Quum igitur haec e poetica loquendi ratione dijudicanda sint, nollem VV. DD. eo delapsos esse, ut Venerem, quam in sacrario suo Horatium habuisse credunt, flagello accinctam fuisse statuerent, quae sane idea a Venere marina alienissima est. Sunt qui de Chloe Horatio propitia reddenda explicent, flagello ad amorem instiganda; imagine quidem obvia (ita Medea apud Pind. Pyth. IV. 390. *ἐν φρεσὶ καιομένα* dicitur *δονεῖσθαι μάστιγι Πειθοῦς*; et Aristaen. II. 2. *ὑπ' Ἔρωτος ῥαπισθῆναι*, quatenus *μάστιγι* aliquis impellitur, instigatur; unde *μάστιξ θεῖα* Aeschyl. Prom. 687. est vis divina, in furorem agens, furor divinitus injectus. Ad cestum Veneris suaviter hoc phantasma traduxit Martial. VI. 21. 9. *arcano percussit pectora loro; plaga juvat; sed tu jam, Dea, caede duos.*) ab hoc tamen loco admodum aliena. — *semel*, praeclare ardorem et odium hoc adjecto profitetur poeta.



ARGUMENTUM XXVII.



Longum foret, omnes, quibus intpp. virique docti indulserint, super hujus carminis consilio ejusque adornatione insulsas opiniones percensere atque examinare, satis officio boni interpretis fecisse rati, si justam carminis descriptionem adposuerimus. Dehortaturus poeta Galateam quamdam ab itinere, quod in Graeciam factura erat, non malis quidem auspiciis eam retineri ait, quum, etiamsi pessima imminerent, avertere ea atque corrigere

in promtu esset; sed instare hibernum tempus, tempestatibus, quas secum ferat, pericolosissimum; de hoc ei laborandum esse, quod nulla arte propulsari queat. Adblandiri quidem nunc sudum coelum, ventumque ferentem, sed admodum fallax serenum esse, Europae exemplo abunde comprobari. Hoc illustrat in eoque illustrando haeret poeta, summus adfectuum ad vivum delineandorum artifex! Ad pedestris scriptoris ἀκρίβειαν cogi poetam lyricum facile sentias, si nobilissimum ejus spiritum atque impetum cohibitum, si exitum carminis, in praestantissimis totius antiquitatis ingenii operibus judicandum, cum superciliosa Criticorum cohorte abesse malles. Adeo ad naturam animi aestuantis expressa, et oratione comtissima elaborata sunt omnia! Sed Europae exemplum, quod absterrendae Galateae proponatur, minus aptum esse clamant vitio creati censores. Recte utique, o boni, si in Chriarum scriptore similitudo ad rem propositam exigenda foret. Sed taedet, piget pudetque tam quaesitis ineptiis longius immorari. Tu vero compara cum toto carminis habitu Propert. I. 8.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. *sqq.* Exordium hujus carminis, quod in recensendis tam scaevorum quam faustorum ominum generibus usque ad v. 16. decurrit, ad nostrum quidem sensum parum omnino habet, quo nos detineat; sed injurium foret, e nostrorum temporum ingenio de talibus statuere, quae Romanorum religionibus, his auspiciorum ominumque captandorum superstitionibus implicitis, satis excusantur. Libenter iis utuntur, atque adeo latius exsequendis indulgent poetae, quod, quum in rebus sensui subjectis versentur, ornatum ac tractationem poeticam facile admittant. Ideo

eosdem in rerum magicarum descriptione fere luxuriare videas. Tum hoc carmen est ad puellam, de exitu itineris forte nimis trepidam ac male ominantem, cui animum ita reddere conatur Horatius. Dici enim vix potest, quam superstitiose Romani olim antequam iter ingrederentur, fortuitis rebus attenderint, indeque vel boni vel mali ominis causas derivaverint. Vid. vel Tibull. I. 3. 9 — 20. Jam sententiarum progressionem, paullo impeditiorem, ita tibi explica: Non infausta quidem, quae tuum iter morentur, habes omina, neque ea ego tibi profecturae adprecer, quamvis te retinere cupiam, ut potius, quum semel iter apud te certo constitueris, ipse Deos rogem, ut bona, quae felicem profectionis tuae exitum spondeant, omina mittant; sed adversari tibi anni tempus inclementius ipsa probe intelligis cet. Jam pro: haud infausta profecturae tibi omina adprecer, docta conversione est: Impii iter talibus ominibus, quibus pessimus eventus respondeat, auspicentur! Ad *impios* abominationem, quam in hostes convertere solenne est (v. vel v. 21. nostri carminis) praeclare deflexit poeta, ut Galateam nil tale merentem ostenderet. Facile autem a poeta exspectari poterat, ut infaustorum ominum species nonnullas adnumeraret. De *parra* parum explorata tenemus, ad meropum aliis, aliis ad vanellorum eam genus referentibus. Apicem eam in capite habere, et viridioris coloris esse, constat; nec minus de insuavi ejus cantu, Paullinus ad Auson. ep. 2. 36. *Si confers fulicas cycnis, et aëdona parrae.* Ad nostrum locum tenere sufficit, fuisse cantum ejus a laeva auditum (nam ad dextra condicere putabatur: Plaut. Asin. II. 1. 13. *Cornix est ab laeva; corvus, parra a dextera; consuadent.*) inauspicatissimum. Prudent. II. 570. *Cur Cremarae campis cornice vel oscine parra nemo Deûm monuit; perituros Marte sinistro ter centum Fabios?* — *recinentis*, quod cantu edit. In composito non argutandum, quasi sit: cantu ab itinere revocantis. — 2. *Ducat*, dux sit itineris, quatenus ominis oblati in re suscipienda ratio habetur; h. l. docte est pro: eveniat, accidat iis hoc omen. — *Canis* occurens per se scaevus; (Plaut Cas. V. 4. 4. *caninam scaevam spero meliorem fore*) scaevior, graviditatis tempore; quod omnino, uti et post partum, inauspicatissimum habitum; unde *feta vulpes*, quae recens enixa est, v. 4. De cornice Plin. X. 12. *inauspicatissima, foetus tempore; hoc est, post solstitium.* Etiam a sexu ominis diri vim auctiorem reprae-

sentare voluisse videtur poeta: quod patet e v. seq. — 3. *Lupa rava*, ravis oculis, quorum color inter flavum et caesium est, γλαυκὸς, torvam prae se ferens speciem; unde Minerva γλαυκῶπις, leo γλαυκιόων Hom. Il. υ. 172. Hesiod. Scut. 430. et similia. Optime igitur Colum. VIII. 2. 9. *ravidi vel nigrantes oculi*, Geoponica XIV. 16. reddunt, εὐχάροποί τε ταῖς ὄψεσι καὶ μελανόφθαλμοι. Est igitur lupa torvo adspectu, βλοσυρὴ, χαροπὴ; αἱμωπὸς, uti passim poetae. Ad colorem fere referunt intpp. — *Lanuvium*, Latii oppidum, haud longe a via Appia; per quam transverso cursu lupam ferri puta. — *decurrens*, nam haec depressior. Docte autem poeta Lanuvina lupa iter Galateae Brundisium versus inuit.

v. 3. Serpens *rumpat iter* docte explicant, interrumpat, scindat; quatenus per transversam viam feratur, eam oblique trajiciat) sed vereor, ne nimis docte. Ego, adj. *institutum* secutus, simpliciter intelligo: sistat iter, quod impii instituerant, ulterius progredi vetet; quod infaustissimum hoc prodigium habeatur. Sententia sane eadem, nimirum: serp. obliqua iis occurrat via: sed alterum simul repraesentat ominis diritatem. Atque ita hunc locum cepit quoque Lucil. Iun. Aetn. 370. *Causa latet, quae rumpat iter, cogatque morari.* — 6. *Si per obliquum terruit*, breviter pro, oblique viam trajiciendo *terruit*, terret *mannos*, cursu eorum velocissimo inhibito. Praecipua enim mannorum virtus in velocitate. Ovid. Am. II. 16. 49. Vid. ad V. 14. 14. — *similis sagittae*, egregie velocitatem, qua serpens elevatur atque provolvitur, depingit.

v. 7 *sqq.* Ego te faustis potius ominibus prosequar, deosque precer, ut laeta tibi auguria mittant, ablegatis tristibus. *Ego* ei, *cui timebo*, de cujus salute sollicitus ero, angar, utpote mihi summopere amatae, *providus auspex*, providens, prospiciens, augurium ut procurem, *suscitabo corvum prece*, evocabo precibus, h. precabor deos, ut corvum mittant (plane ut Virgil. Georg. I. 157. *votisque vocaveris imbrem*) *oscinem*, qui cum clangore advolet a solis ortu, ab Oriente. *Oscines* aves dici quae augurium voce, *praepetes*, quae volatu faciant, in vulgus notum. Porro corvus a laeva *clamans*, bonum; a dextra *volans*, malum augurium habitum; omnino in genere tenendum, praepetes bonas h. fausti augurii, fuisse malas oscines, et contra. Ab ortu autem solis prospera fuisse corvi omina, adversa ab occasu,

ait Schol. hujusque rei veritatem se pluries expertum contendit bonus Mancinellus. — *Antequam* mala obnuntientur. Igitur anteverti atque procurari ista posse arte augurali, creditum. Pro omine malo in specie est *avis divina*, divinans (ut A. P. 218. Serm. I. 9. 30. et alibi) praesagiens *imbrem imminentem*, impendentem, futurum, h. cornix; quod facit, dum *repetit*, petit (facit enim hoc, quoties pluvia imminet) accedit ad *paludes*, aqua sese perfusura. Cf. Arat. Dios. 217. sqq. Plin. XVIII. 35.

v. 13. Hoc (sc. ut faustum iter habeas) ita volo, uti tibi ubicunque degere lubet, felicissimam vitam ex animo cupiam. Blande admodum ista poeta, desiderii sui adfectum ad puellae voluntatem adcommodando. *Sis licet felix* (haud adversor tuae voluntati, imo, ut felix istud iter eveniat, deos rogo) *ubicunque mavis*, *et vivas*, disjunxit poeta, quod concinnius ita efferas: Vivas felix, ubicunque placuerit, *memorque nostri*, quo solo desiderium nostrum solamur. Posteriora amoris sui testificandi causa a poeta adjici putanda; nam ad sententiarum contextum parum faciunt. Notissima Albiana: *Vivite felices, memores et vivite nostri.* — 15. Nullae te aves inauspicatae morentur. Ex his memorat *picum laevum*, a sinistra parte malum auspicium facientem, et *cornicem*, item a laeva mala portendentem. Virg. Ecl. I. 18. *Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix. vago*, φοιτῶσα ornat.

v. 17. *Sed* ipsa *vides*, perspicis, quam graves hoc anni tempus secum tempestates ferat, quibus Adriaticum mare, quod ingressura es, potissimum infestatur. Tempestates imminentes designat poeta ab occasu Orionis, a quo excitari ese creditae. Apoll. Rh. I. 1201. εὖτε μάλιστα χειμερίη ὀλοοῖο πέλει δύσις Ὠρίωνος, ὑψόθεν ἐμπλήξασα θοῇ ἀνέμοιο καταΐξ. Vid. omnino ad I. 28. 21. *Orion pronus*, in devexa coeli parte constitutus, trepidat ad occasum, festinat (quatenus praeceps fertur, ut *Arcturi cadentis impetus* III. 1. 27.) vergit, in eo est ut occidat, *magno* cum ventorum *tumultu*, maximas in mari tempestates excitante. Monet igitur puellam de iis, quae proxime per naturae leges certo eventura sint. Frustra igitur sunt, qui, ut poeta sibi constet (nam adhuc coelum serenum putandum) *trepidare tumultu* dictum volunt pro, aestuare tumultus excitandi cupiditate, quod longius petitum videtur. — 18. Ipse expertus sum, quam tempestuosum sit mare Hadriaticum. Pro quo poeta: *quid sit*, quale, quam horrendum

sit, *Hadria,* mare Hadr. si in *atros sinus* curvetur, fluctibus intumescat; exquisite. Nam fluctus *sinum trahunt* (Virg. Ge III. 238.), unde sinus pro ipso fluctu. Similiter Hadria *Calabros sinus curvare* dicitur I. 33. 16. Vulgo explicant mare, quod curva litora ambiunt. — *Ater*, μέλαν κῦμα v. c. Hom. Il. ψ. 11. Apoll. IV. — 20. De Iapyge v. ad I. 3. 4. *albus*, coelum serenans, ut *albus Notus* I. 7. 15. — *Quid peccet*, quam fallax ejus serenum sit, quod adfert, quam facile fidem datam fallat, immutando subito coeli sereni faciem; venusta translatione.

v. 21 — 24. Oratio ita continuanda erat: Novi ego, quantas turbas Auster in isto mari excitet. Pro hoc poeta, quo periculi magnitudo mirifice augetur, adhibita imprecationis formula: *Sentiant*, experiantur cum malo suo (nam fere ubique mali notionem huic v. admiscuit poeta) *motus*, maris fluctus ab Austro *oriente*, surgente excitatos. Forte tamen simplicius erit *motus*, impetus *Austri*, Austrum impetuosum intelligere, quo mota ab eo in mari tempestas designetur. Sive de vento sive de mari intelligas motus *caeci* erunt, subito ingruentes, haud praevisi, vel furentes (quasi caeca mente, insani instar, feratur Auster) vel atri h. vel Austri (δνοφερὴ θύελλα de turbine Orph. Arg. 1180. cf. I. 5. 7.) vel maris atri. Omnino de hoc ambigui sensus epitheto v. Heyn. ad Virg. Ge. II. 502. De Austro *arbitro Hadriae*, ejusdem *duce turbido* v. I. 3. 14. III. 3. 5. *Uxores* ac *pueros* ad rem vocat, utpote magis trepidos in tali discrimine. — 23. *Aequoris fremitum*, fragorem, βρέμοντα τρικυμίας πόντον, (Eurip. Troad. 83.) βρόμον ἠχήεντα βαρυγδούποιο θαλάσσης, (Musae. 206.). — *nigri* turbati, tumidi. — 24. *Ripas*, litora, fluctuum *verbere*, ictu, adpulsu *trementes*, percussas; nisi et hic verbera Austri, undas impellentis, intelligere malis. Meleag. L. 5. (A. Br. I. 16.) ἀνέμων μάστιξι θάλασσα τραχὺ βοᾷ. Spectant autem haec postrema ad solam tempestatis exornationem, in qua fluctuum ad litus allisorum solennis mentio. Vid. vel Nostri I. 11. 5.

v. 25. *Sic et* Europa, fallacibus tauri blanditiis illecta, conscensoque ejus tergo in mare abrepta, graves temerarii ausi poenas luit. Vide Argum. Illa, qua erat simplicitate, nihil doli suspicata, *credidit latus*, fidenter ac remisse (hanc enim admiscuit notionem poeta huic enuntiationi. (Vid. II. 7. 18.) inhaesit tergo *tauri dolosi*, vel dolose blandientis, vel omnino falsi, latente sub eo Jove. — *niveum*, pulchrum. — 26. Seque misere dece-

ptam, periculis objectam sentit. *Palluit*, cohorruit, adspectu *ponti belluis scatentis*, belluosi, (IV. 14. 47.) Homerico epitheto, ἁλὸς κητωέσσης, πόντου μεγακήτεος, Od. III. 185. Eandem verbi structuram adhibuit Sil. I. 101. *evantes Massylae palluit iras*. Ceterum Hellen, ὀχήματος παραδόξου (arietis) ἐπιβᾶσαν, καὶ ἀπιδοῦσαν ἐς βάθος ἀχανὲς, similiter ἐκπλαγεῖσαν, καὶ τῷ θάμβει ἅμα σχεθεῖσαν exhibet Lucian. Dial. M. IX. p. 313. — *mediasque fraudes*, cum horrore vidit, se periculis, in quae fraude incidisset, circumventam teneri, se in mediis periculis, quae non amplius effugere liceret, constitutam esse. — *audax*, temeraria; venuste τῷ *palluit* ad latus positum.

v. 29. Quae *nuper* admodum, paullo ante, lusibus puellaribus indulserat, ea nunc noctu per mare vehebatur. — *Studiosa florum*, intenta, occupata floribus legendis, *opifex cor.* quibus Nymphis *coronam* ex voto *debitam* consertura esset; suavissima simplicitate. Eadem de Daphnide ac Chloe habet Long. I. 4. τὰ ἄνθη συνέλεγον, καὶ τὰ μὲν εἰς τοὺς κόλπους ἔβαλλον· τὰ δὲ, στεφανίσκους πλέκοντες, ταῖς Νύμφαις ἔφερον. — 31. *Nocte sublustri*, quae maligna stellarum luce paullum illustrabatur; adcommodate ad terrorem augendum. — *nihil astra praeter vidit et undas*, conveniunt cum Moschi 129. ἀλλ' ἀὴρ μὲν ὕπερθεν ἔνερθε δὲ πόντος ἀπείρων.

v. 33 *sqq.* In Europae oratione, quam artificiose intexuit poeta, divina prorsus omnia, sive sensuum adfectuumque varietatem atque veritatem, sive orationis, qua perturbatior puellae plane repraesentatur animus, concisae abruptaeque spectes δεινότητα, ut adeo in consummatissimis eam antiquitatis operibus cum tersioris iudicii hominibus jure ponere liceat. — Simul ac *tetigit*, attigit, adpulit Creten, *centum oppidis potentem* C. oppida habentem, ἑκατόμπολιν, Homerico epitheto, Il. β. 649. Cf. V. 9. 29. — 34. Multum πάθους habet simplex exclamatio, quacum compone Eurip. Med. 166. ὦ πάτερ, ὦ πόλις, ὧν ἀπενάσθην. *Pater o, nomen rel. filiae*, o carissimum patris nomen, *filiae* a filia, a me, relictum, quem turpiter reliquerim, deseruerim. Contortior ratio est, si filiae secundo casu accipias, hoc sensu: O pater, o ego misera, quae filiae nomen reliquerim, penitus exuerim; sed hoc demum subjicitur. — *O pietas* erga patrem, *victa furore*, temerario meo ausu prorsus neglecta, quam dementi consilio abjecerim, prodiderim; verbo, demens ego, quae patrem,

penates deseruerim. Minus vigoris habet Acronis junctura, *dixit victa furore*, non amplius represso irae adfectu.

v. 37. Summum stuporem Europae, sensibus exsternatae, egregie depingunt illa: *unde? quo veni?* quae admodum deprimunt intpp., qui ita diluunt: ego sustinui dulcem et innocentem apud patrem vitam (*unde*) cum hac adultera ac misera (*quo veni*) commutare. Eodem plane adfectu Turnus Maronianus, Aen. X. 670. *Quo feror, unde abii, quae me fuga, quaemve reducet?* Minus graviter Stat. Achill. 248 de Achille: *stupet aëre primo, qui loca? qui fluctus? ubi Pelion? omnia versa atque ignota videt, dubitatque agnoscere matrem.* — *Una mors levis*, levior est, haud satis est ad luendam *culpam* flagitium, quod virgines in se admiserunt: abjectae pudicitiae crimen gravius est, quam ut digne satis vindicari queat. Ex intimo amissi pudoris sensu, qui facile crimen exaggerat, haec dici putanda. Per consequens autem poeta extulisse videri debet sententiam; o quae scelerum omnium scelestissimum scelus patrare sustinuerim! Nostrum exscripsit auctor Herc. Oetaei, obesae naris homo v. 866. *Levis una mors est: levis, at extendi potest.* Propert. IV. 4. 17. *Satis una malae potuit mors esse puellae*, laudavit jam Lamb.

v. 38. Praeclara est atque plane ex animi humani natura ducta haecce puellae, quae probe ac pudice vitam antea egisset, de admisso tam insigni scelere dubitatio, a poeta egregie exornata. Vulgare erat: Vigilone an somnio? Similiter in magno gaudio repente oblato Aristaen. II. 14. *μεταξὺ δέ πως προσαπιστοῦσα, πρὸς ἐμαυτὴν ἔφασκον· ἆρα ἐγρήγορα, ἢ πλανῶσί με τῶν ὀνειράτων εἰκόνες; ὑπὸ τοῦ σφόδρα γὰρ ἐπιθυμεῖν ἐλάμβανέ μέ τις ἀπιστία.* Cf. ibi Abresch. p. 259. Jam, vigilone, verene illud in me admisi facinus? utrumque hoc vide quam docte copulaverit (quod idem in antithesi tenuit), adjectoque poenitentiae sensu (*ploro turpe comm.*) exornaverit poeta! — 39. *An* somnio, pro quo ornatissime est: *an ludit*, illudit, decipit *imago*, *εἴδωλον*, visum, somnianti objectum, idque *vanum*, falsum, quippe e porta somni eburnea emissum. Nam somnia, quae in locis inferis collocata, in superas auras evolant, ac vera quidem, per corneam, falsa per eburneam somni portam emitti credita; Homerico phantasmate Od. *τ.* 562. a Virgilio exornato Aen. VI. 894. Jam imago isto *ducit* adfert h. l. *somnium*, quatenus speciem sui somniantis sensibus objicit. — *vitiis carentem*, ita ut

adulterii crimine vacem, admodum ἐναργῶς, pro tenui, me. Ex Nostro profecit Claudian. XXVII. 21. *Additur ecce fides, nec me mea lusit imago, irrita nec falsum somnia misit ebur.* Adde Val. Flac. IV. 531. — 42. In hoc haeret puella, ita argumentando: *meliusne fuit*, qui enim mihi persuadeam, me maluisse, potius habuisse, *ire per longos fluctus*, longinquum mare trajicere, tam periculosum iter suscipere, quam floribus in amoenissimo prato carpendis vacare? — *recentes*, novos (IV. 1. 32.) τέρεν' ἄνθεα. Venuste jucundum florilegii laborem designat hoc epith. poeta.

v. 45. Haud incerta amplius, vere ista omnia accidisse, acerba poenitentia incitata saevissimaque ira accincta, furibundae instar, in auctorem mali, quod naturae sensui consentaneum erat, convertitur, gravissimam de eo vindictam sumtura. Magnopere animum percellit furoris muliebris species, ulciscendi studio ad quaevis audenda adgrediendaque, quantumvis viribus longe inferior sit, animosi atque promti. — *Si quis dedat*, utinam detur mihi *nunc*, ita adfectae, ira percitae, hinc explicatius adj. *iratae*; vellem mihi dari obviam juvencum *infamem*, detestandum, invisum (uti Venus illud v. 71. falsae puellae exprobrat). Magnam cum h. l. similitudinem habet, quae Geta loquitur apud Terent. Adelph. III. 2. 12. unde initium delibare liceat: *vix sum compos animi; ita ardeo iracundia. Nihil est quod malim quam illam totam familiam dari mihi obviam — seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus: tum autem Syrum impulsorem, vah quibus illum lacerarem modis*; vide omnino reliqua. — 46. *Enitar lacerare*, quam ἐναργῶς pro, *lacerarem*, discerperem, atque ipsa ejus *cornua frangerem*, comminuerem; huic verbo adpositum τὸ *enitar*, vide quantam vim exserat. Pro *ejus* suavissima antithesi est, *monstri*, tauri adspectu foedi, exsecrandi, qualis nunc Europae indignabundae videbatur, quem ipsum *modo*, dum in pratis luderet, *amasset*, blande palpando, atque adeo osculando. Vid. Mosch. 93. sqq. Male *monstrum* nonnulli taurum dici autumant, vel quod Jupiter sub eo latuisset; quod tamen ignorabat puella: vel, quod in humanam sese formam mutasset. Ita vero parum quadrant adj. *modo m. amati.*

v. 49. Nunc ad se redit, seque ipsa probris lacerat damnatque. *Impudens* fui, quod *patrios Penates*, patriam liquerim;

multo tamen magis *impudens* nunc, quod non statim morte flagitium luerim. Κλίμακα in altero membro facile sentias. *Orcum moratur*, qui mortem differt, quae ipsi dudum subeunda foret. *O deorum* cet. Maximam vim habet subito ad Deos conversa oratio; tum quod Deorum benignitatem ac miserationem in hoc agnoscit, si belluae, quibus dilanietur, sibi objiciantur. Etiam hoc ad animum ejus perturbatiorem satis adcommodate, quod dubitanter admodum preces proponit, quarum rationem ullum Deorum esse habiturum vix speret; uti fit in summa trepidatione ac desperatione. — Utinam *errem inter leones*, leonibus subito me circumventam videam, praedae iis der. — *nuda*, vel proprie, vestium qualicunque munimento destituta, quod leones aliquantisper moraturum puellaris sibi persuaderet simplicitas; vel, absque auxilio, sola. Prius tamen poeta dignius, atque venustius.

v. 53. Antequam lenta morte consumar, fame conficiar. Profecta haec e prisco humanitatis sensu, quem etiamnum animadvertere licet, quo exigua in proprinquorum aut sibi dilectorum funere luctus solatia haberent, si illaeso atque integro corpore mori ipsis contigisset. Sophocl. Antig. 829. οὐκοῦν κλεινὴ καὶ ἔπαινον ἔχουσ' ἐς τ'δ' ἀπέρχῃ κεῦθος νεκύων οὔδε φθινάσι πληγεῖσα νόσοις, οὔτε ξιφέων ἐπίχειρα λαχοῦσα. Cf. Eurip. in Philoct. fragm. V. p. 464. Lips. Lucian. in Luc. 33. extr. p. 603. Luculentius Stat. Silv. II 1. 154. *Gratum est, fata, tamen, quod non mors lenta jacentis exedit puerile decus, manesque subivit integer, et nullo temeratus corpora damno.* Adde Ei. Theb. IX. 732. Apulei. p. 188. Oud. Idem igitur votum floridae aetatis puellae, cui semel pereundum sit, a poeta tribui, in hoc nemo facile judicium ejus desideret. Sed miris hariolationibus h. l. indui videas intpp. Jam expende ornatum verborum. *Macies turpis occupat*, extenuat, deturpat *malas decentes*, dehonestat genarum pulchritudinem. — *Succus defluit* corpori (pro quo quaesitius est, *tenerae praedae*, puellae tenerae, feris destinatae), corpus contabefit, arescit. Succus enim vegetae aetati proprius, unde eadem *aetas tumida* cet. vid. ad II. 5. 10.; cui opponitur corpus aridum, exsuccum, γῆρας ξηρόν. — *Speciosa* dum adhuc sum integro corpore; quo ipsum speciosum dici potest, ex oppos. corp. macie confecti — *quaero pasc. tigres*, cupio tigribus objici, praedae dari; sed alterum opimae praedae adjunctam notionem habet.

v. 57. Furorem animique ex amisso pudore gravem aestum vide quam vivide adumbret explicetque poeta! Eo tandem puella progreditur, ut de morte sibi consciscenda deliberet; deliberantique sibi patrem, quem omnia, quae sibi acciderint, rescisse autumat, truculento vultu adstare imaginatur, et ipsum ad exsequendum quam primum supplicium sese instigantem, variaque mortis genera, quae in ejus manu sint, liberaliter suggerentem. Mirare artificium poetae, in puellae sensibus, intexta patris oratione explicandis. — *Vilis*, abjecto pudore, abjecta. — *urget*, instat tibi, delecte pro tenui, inquit propter seqq. — 59. *Potes hac ab orno* cet. graphice prorsus, vel hac ab arbore pendere potes. *Laedere collum zona,* nihil amplius esse arbitror, quam zonam collo circumdare, adjuncta tamen arctioris impressionis notione. Ita *laedere oscula*, de *pressis*, quae Martial. IV. 34. 1. vocat, *osculis* I. 13. 15. ubi plura vide. Nam suffocationis seu elisarum faucium notio quaerenda in adj. *pendulum*; quod *ab hac orno* (nam haec τῷ *pendulum* jungenda) pendeat. Est adeo: Potes collo tuo zonam injicere, ita ut ex hac arbore pendeas; nam τὸ *pendulum* ad corpus maxime spectare, facile quisque videt. Eodem fere ornatu Sophocl. Antig. 1237. τὴν μὲν κρεμαστὴν αὐχένος κατείδομεν βρόχῳ μιτρώδει (*zonae*) σινδόνος καθημμένην. Ac in hac enuntiatione acerba cunctationis inest exprobratio, quasi collum laedere timuerit puella; sed hoc forte subtilius. Eadem acerbitas in *bene te sequuta*, quam opportune huc attulisti. Ceterum de hoc zonae usu passim veteres. Cf. Aeschyl. Supl. 456. Aristodic. I. 3. (A. Br. II. 260.) Parthen. ἐρωτ. παθημ. c. XI.

v. 61. Variatur oratio, quae ita continuanda erat: potes etiam ab hoc saxo mortem petere. Pro eo est, vel si *rupes*] *et acuta saxa*, rupes acutis, prominentibus saxis *te delectant*, eas mavis, praefers, *leto*, quibus letum tibi consciscas. Ποιητικώτερον tamen videtur, si *acuta leto*, h. quae acie sua mortem facile inferant, jungas. — age *crede*, committe te *veloci procellae*, ventis, qui satis cito te deferant, delabere per auras, praecipita te isthinc; nota loquendi ratione. Haud dissimilia Acciana apud Cic. Tusc. II. 7. *Heu qui salsis fluctibu' mandet me ex sublimi vertice saxi?*

v. 63. Summa acrimoniae vis tam in verbis quam sententia, qua ad mortem audendam sese excitari sentit puella. *Nisi* forte

tu, *regius sanguis* regio prognata genere, servitium tolerare mavis. Pro servitio speciatim poeta ponit *pensi herilis*, h. ab hera injuncti, s. lanae quotidie *carpendae* ac filis deducendae h. nendae opus, in servili conditione commemorari solitum. — 65. *dominae barb. tradi*, in alius feminae potestatem venire, dominam nancisci, cujus forte pellex fieri cupias. Summum virus in his.

v. 66. En malaciam inter saevissimos adfectuum tumultus subito exporrectam, tantoque blandius animum ferientem ac permulcentem! Postquam puellae adfectus in summam ἀκμὴν excreverat, adeo quidem, ut res ad exequendum parandae necis consilium spectaret; hoc demum momento Venus, diu misero isto spectaculo maligne laetata, e nube prodit, ac miseram solatur. — *Aderat*, dudum adstabat Venus, audiveratque *querentem* de miseria sua Europam. Praeclare ita munit viam poeta ad seqq. — *perfidum*, perfide, maligne *ridens*, inter maximos Europae ejulatus, ac dolores. Idem epit. Nostro adsumsit Appulei. p. 411. Oud. — 67. *remisso arcu*, nervo laxato, quippe opere ex animi sententia ad exitum perducto. Suavis pictura.

v. 69. *Mox*, tum, *ubi satis lusit*, ubi satis ludibrio habuit puellam, satiata tandem saevo isto spectaculo. Novos ludos, quos Europae Venus fecerit, postquam se conspiciendam praebuerit, comminiscuntur h. l. intpp. quos ego non video. Ipsa Veneris oratio, ad consolandum composita, multum amaritudinis admixtum habet, quod loquentis personam admodum decet; tum in exitu gravis, quo fortius Europae, quae tanta fortuna indignam sese gessisset, animum feriret. *Abstineto irarum et rixae* ab ira, (notissima structura) sedulo te hortor ac moneo, ne, quod pulchre minata es, in iram effundaris. — *calidae*, animi calidi, commoti indicis. Cf. III. 14. 27. — 71. *Quum* taurus iterum in conspectum tuum veniet. Pro quo cum amara minarum ejus irrisione est, *laceranda reddet cornua*, praebebit tibi corn., quae dilaceres. — *invisus*, infamis iste v. 45.

v. 73. *Nescis esse uxor*, graece, pro, nescis, non intelligis, te esse *uxorem*, expetitam amplexu a Jove. — *invicti*, exsuperantissimi, valde adposite. — 74. Id felicitatis fastigium attigisti, ut cavendum tibi sit, ne ea efferaris; felicissimam te putato. Sed gnomes formam sententiae docte induit poeta, passim celebratae Eurip. Suppl. 124. Τί δ' εὐτυχοῦντες, οὐκ ἐπίστανται φέρειν, *male felicitatem ferunt* ut Senec. Const. Sap. c. 11. Adde Rutil.

Itin. I. 497. — 75. *Nomina tua ducet*, a te nomen trahet, accipiet *sectus orbis*, docte pro, pars *secti orbis*, terrarum, Europa



ARGUMENTUM. XXVIII.



Leve admodum argumentum, satis docte tamen ac venuste ab Horatio tractatum. Offert se Lydae, libertinae atque fidicinae (quod e toto carminis habitu conviviique adornandi ratione sole clarius patescit) convivam poeta, convivandi occasione a Neptunalibus (quae in a.d. V. Calend. Aug. incidunt) desumta. E s a p i e n t i a ejus v. 4. prave accepta serio cogunt nonnulli, intelligi oportere „matronam Romanam nobilem, honestam, doctam eamdem item valde gravem ac severam, ceterum amicam Horatii d e c o r o s e n s u" Ohe! Placet in hoc carmine Horatii sedulitas atque morae impatientia, qua totum mire animatur. Neque abest doctrina atque ornatus quaesitior in singulis sententiis. Graecum tamen exemplum ad manus fuisse, hinc inde adparet.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Sententiam, hunc diem hilariter agere convenit, vivida inversione neque tamen satis diserte, ut decebat ejus adfectum, exposita, poeta extulit: *Quid potius*, quod magis consentaneum sit *festo* huic Neptuni diei, Neptunalibus, *faciam*, quam potando eum transigere. Alia alii supplent atque comminiscuntur, quae minus ad rem faciunt. — 2. *Prome* e veterario *strenua* πρόθυμος, pro adv. strenue, προθύμως, noto graecismo, v. c. Theocr. XXV. 252. λὶς αἰνὸς ἀπόπροθεν ἀθρόος ἆλτο, ubi alterum epith. ἀθρόος verbo ἆλτο, adverbialiter, ἀθρόως, jungendum. — *Caccu-*

bum, cadum vini Caecubi (de quo I. 20. 9.) *reconditi*, interius repositi (ut *interior nota Falerni* II. 3. 8.) tanquam melioris notae, servatique ad festas dapes, ut de eodem V. 9. 1. Tum plurium annorum Caecubum opus habebat, antequam mitesceret. — 4. *vim adhibe*, vim admove, expugna, pelle animo *sapientiam*, σωφροσύνην, temperantiam, sobrietatem, sapientiae praeceptis confirmatam, adeoque indulge genio, totam te ita in hilaritatem effunde, ut tetricis ac severis insipida videare. Ita *stultitia* et *desipere* est IV. 12. 27. Docta est ad h. l. Porphyrionis nota: Graeci ajunt, vim sapientiae adhiberi per vinum; quae tamen vereor, ut huic loco satis commoda sit. Graecis enim simpliciter οἶνος βιᾶσθαι dicitur, veluti Theogn. 495. οἰνοβαρέω κεφαλὴν — — καί με βιᾶται οἶνος, ἀτὰρ γνώμης οὐκ ἔτ' ἐγὼ ταμίης ἡμετέρης.. Eodem sensu ἀμπέλου παῖς βιάτης audit Pind. Nem. IX. 122. Cf. ad III. 21. 13. Ad sententiam Meleag. LVI. 5. (An. Br. I. 17.) Κωμάσομαι — — ἐῤῥίφθω σοφίας ὁ πολὺς πόνος. — *munita* docte sapientia dicitur, quod proprie in animum cadit, adversus omnia sapientia munitum atque obfirmatum. Quo sensu Homero φρένες dicuntur πυκιναί, Hesiod. Theog. 608. mulier ἀρηρυῖα πραπίδεσσι et alibi νόος πεπυκασμένος, Mosch. III. 15. νόος δέ οἱ ἐμπεπύκασται. Attius apud Cic. de Div. I. 22. *Vide ne, quem tu esse hebetem deputes, aeque ac pecus, is sapientia munitum pectus egregium gerat.* Quint. Cal. II. 264. στερεῇσιν ἀρηράμενον φρεσὶ θυμὸν dicit, quem Martial. I. 40. *magnae subnixum robore mentis.* Paullo aliter σοφίαν in alio positam, ad quam pauci enituntur, καλλίπυργον vocat Aristoph. Nub. 1020. quam disertius exponit Lucret. II. 7. *nil dulcius est, bene quam munita tenere edita doctrina sapientum templa serena, despicere unde queas alios* cet. quocum conf. Lucian. Nigrin. 18. p. 57. et Stat. Silv. II. 2. 131.

v. 5. *Meridies inclinat*, docte pro, dies vergit ad occasum. Non nimis stricte accipiendum h. l. sed ut Macrob. I. 3. *mediae noctis inclinatio* primum diei tempus dicitur, ita h. l. de die magnam partem praeterlapso cogitandum. Formata autem haec locutio ad Graecorum rationem, quibus, aequa utrimque diei lance, μεσημβρία σταθερά, ἵστασθαι, meridies stare, sole in summum coeli fastigium evecto (qui et ipse tunc stare dicitur. Nicand. Theriac. 469.) exquisite dicitur. Vid. omnino eruditam Ruhnk. notam ad Tim. p. 235. Omnino convivium tempesti-

vius institui cupit poeta. — 6. Neque dum tamen de auspicanda compotatione cogitas. *Veluti stet*, non properet, cito ad finem decurrat *dies volucris*, cujus fuga velocissima sit. *Haud segnis stat remeatve dies*, Tibull. I. 4. 28. Seneca Herc. fur. 179. *volucrique die rota praecipitis vertitur anni.* Vid. Markl. ad Stat. Silv. V. 1. 17. — 7. *Parcis deripere*, non deripis (notissimo του φείδεσθαι usu) *horreo*, de vini veterario (de quo pariter adhibuit Colum. XII. 2. 2.), quod in superiori oeco erat, ubi cadi alte repositi erant. Unde proprie *deripere.* Vid III. 21. 7. — *Cessantem* suaviter adjectum, tanquam ipsa convivium moretur, non satis cito ex Horatii impatientia deripientem secuta. Eadem venustate Virg. Aen. VI. 210. de aureo ramo: *Corripit Aeneas extemplo avidusque refringit cunctantem*, respectu Aeneae avidi. Nam si proprie accipias, Sibyllae sibi haud constaret effatum v. 146. Stat. Silv. I. 5. 11. *cunctantemque impelle chelyn*, uti ibi scribendum, estque vel, move, deripe, vel impelle fides (ut Tib. II. 5. 3. *impellere chordas*) *cunctantes*, tacitas, quae dudum sonare debuissent. Parum apte h. l. amphoram cessantem interpretantur, tot annis otiosam, vel, quam cessas deportare, quod linguae rationi adversatur. — *Bibuli consulis*, M. Calpurnio Bibulo Cos. reconditam, consulatus ejus nota signatam. Incipit is in a. U. DCXCIV.

v. 9. Cantu quoque hunc festum diem celebremus. Cum compotationi Neptunalia praetendat, satis consentaneum est, cantui hymnos subjici. — *invicem*, alternatim, ἀμοιβαίως. — 10. *virides Nereidum comas*, admodum poetica ratione, pro, Nereidas virides s. caeruleas comas habentes, κυανοπλοκάμους (Q. Cal. V. 345.) epitheto a maris colore ad deos marinos solenni more traducto. Stat. Silv. I. 5. 16. *Ite deae virides, liquidosque advertite vultus, et vitreum teneris crinem redimite corymbis*; (ubi ter (*virides deae, liquidi vultus, vitreus crinis*) epitheton a mari ductum videas, quod vix probaveris. Ovid. Trist. I. 2. 59. *Proh. Superi — viridesque dei, quibus aequora curae.* — 11. *Tu recines*, vicissim canes *lyra curva*, convexa; vid. ad I. 10. 6. — 12. *Latonae* in hymnis in Apollinem et Dianam, suae laudes tributae, maxime, quod tam praeclaram prolem partu edidisset. Vid. ad. I. 21. 3. — *spicula Cynthiae*, Dianae (a Cyntho, Deli monte) quod iterum poetica ratione dictum pro, Dianam spicula s. tela gestantem, pharetratam, τοξοφόρον, ἰοχέαιραν. Simillime

Callim. de Apolline H. in eund. 18. 19. εὐφημεῖ καὶ πόντος, ὅτε κλείουσιν ἀοιδοὶ ἢ κίθαριν, ἢ τόξα, Λυκωρέος ἔντεα Φοίβου.

v. 13. *Summo carmine*, tum denique, postremo nos una cantabimus deam, *quae tenet Gnidon*, Gnidi numen ἐγχώριον, (v. ad I. 3. 1.) Venerem. De Venere Gnidia v. I. 30. 1. — *Cycladas*, quae omnino νήσων ἱερωτάται Callim. H. in Del. 3. audiunt, maxime Delum Veneri quoque sacram fuisse, cum ex h. l. tum ex Pausan. IX. 605 et Plutarch in Thes. c. 9. quos laudat Spanh. ad Callim. H. laud. v. 308. abunde cognoscitur. — *fulgentes* vid. ad I 14. 19. — De Venere, *Paphi* culta, res pervulgata. — *visit*, invisit, frequentat *junctis* currui suo *oloribus*, invecta curru oloribus juncto. Docte ita illud *tenet* variavit poeta. Ceterum hae Deorum ἐπιδημίαι, quas tangit hoc orationis colore Horatius, satis frequentatae vett. De Veneris curru olorino vid. ad Propert. III. 2. 39. et ad Stat. Silv. I. 2. 42. Loca autem Veneri consecrata haud temere cumulari a poeta dixeris, si eum priscorum hymnorum naturam ita repraesentare voluisse cogites. — 16. *Nox quoque* (utpote in nocturna compotatione, ut III. 19. 10.) *dicetur*, celebrabitur, ornabitur *naenia*, hymno, carmine, nihil amplius. — *merita*, ὥσπερ εἰκὸς, merito Nocti honos iste habendus. Ceterum haec ᾄσματα diversas cantiunculas constituere, ipsa argumentorum ejus abunde commonstrat ratio.



ARGUMENTUM XXIX.



In hujus carminis percensendis celebrandisque virtutibus facile deficias vel

si tibi linguae
Centum atque ora sient totidem vocesque liquatae,

ut Hostiana (Macrob. VI. 3.) nostra faciamus. Adeo et in summa carminis, et in singulis

ejus partibus omnia elaboratissima, excellentissima, atque omni laude superiora! P o t u i t q u a e m a x i m a v i r t u s e s s e, f u i t. Quae quo melius intelligantur, de argumento, ejusque tractatione ita habe: Maecenatem invitat poeta, ut, relictis urbanis negotiis, aliquantulum temporis ad se in villam concedat, genioque ibi indulgeat, momentis, quibus eum expugnare conatur, partim ab urbis fastidio, quod luxus ejus aliquando gignat, partim a ferventissimo anni tempore desumtis. Quum autem Maecenatem praefectura Urbis, quam tum sustineret (ab a. DCCXXXIII.) sollicitusque paullo gereret, maxime, quo minus copiam sui faceret, impediri intelligeret; poeta, a nimia ista sollicitudine eum dehortaturus graviter ostendit, certis curas istas circumscribi oportere finibus, ne bona, quae praesens hora largiatur, penitus elabantur; futurarumque rerum curam vanam esse atque inutilem. Hinc fluminis exundantis ritu provolvitur concitatior poetae spiritus, ex suo de rebus humanis, praesentisque temporis in vitae incertitudine, fortunaeque inconstantia fructu arripiendo, sensu altus atque nutritus. Exsultare poetam dicas, i m m e n s u m q u e p r o f u n d o o r e r u e n t e m, ubi veros animi sensus prodit, nunc enuntiationis brevitate, nunc exuberantia sua (vide mihi v. 33 sqq.) animum mirifice adficientes. Qui hoc perlecto carmine non incaluerit, nae ille Apolline, Musis, Gratiisque aversis in dias se luminis auras projectum nullus dubitet.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Augustius atque illustrius exorsurus carmen poeta Maecenatem Tyrrhenorum seu Etruscorum regum (pro quo exquisi-

tiori junctura est, *Tyrrhena regum progenies*; qua eadem idem Propertio loco mox adducendo *Etruscus sanguis regum*, pro, Etruscorum regum s., audit) stirpe oriundum praedicat, quem hac sua origine sibi admodum placere tantoque majorem inde continentiae laudem captare intelligeret, quod, quum summa in rep. consequi potuisset, equestri dignitate contentus esset. Idem quaesitum lenocinium in Propert. III. 7. 1. *Maecenas eques, Etrusco de sanguine regum, intra fortunam qui cupis esse tuam*; coll. vv. 21 — 30. De regia Maecenatis stirpe vid. ad I. 1. 1. et intpp. ad Prop. l. l. — *tibi est apud me*, in tuum usum parata a me sunt, destinata tibi sunt. *Jam dudum*, non quod diu ista domi suae Maecenati servaverit, quae admodum jejuna ratio foret, sed omnino impatientiam, qua amicum exspectat poeta, egregie declarat. — 2 — 4. Idem exordium in simili argumento cum eadem convivalis adparatus enumeratione est IV. 11. *Merum lene*, πρᾷον, vetustate emollitum, lenius factum, (ut *molle merum* I. 7. 19.) languidum (III. 21. 8.) annosum, idque servatum in *cado non ante verso*, qui ante hunc diem non inversus est, integro, intacto adhuc. Est adeo pro: cadus vini vetustissimi, adhuc plenus, tibi apud me est; fere ut IV. 11. init. *Est mihi nonum sup. annum plenus Albani cadus.* Paullo adparatius, hilariusque convivium Maecenati ita denuntiari, in promtu est videre. Eodem spectant sqq. *Vertebatur* autem cadus, dum vinum inde effundebatur (Plaut. Stich. V. 4. 32. *quamvis desubito vel cadus verti potest.* Cf. Nost. Serm. II. 8. 39.) idemque inversus statuebatur (*capite sistebas cadum* idem Plaut. Mil. III. 2. 36.) vino exhausto. Si cadum non ante versum simpliciter interpreteris, recentem, cui primum vinum infusum sit, nescio quam gravis sit, quae vino inde accedit, commendatio, et alterum aptius utique liberiori compotationi. — 3. *flore rosarum*, ῥόδων ἀώτοις (ut Callim. ep. L. 3.) rosis. — 4. *balanus*, seu myrobolanus (ἡ τῶν μυρεψῶν βάλανος Aelian. X. 11.) glans, e cujus nucleo oleum exprimebatur, cujus ad pretiosissima unguenta usus erat. Cf. Dioscorid. III. c. 154. De natali arboris solo agit Plin. XII. 21. — *pressa tuis capillis* oleum e balanino expressum, omnino pro unguento balanino, quo crines tuos perfundas, inungas, pro tenui, tibi, in tuum usum.

v. 5. *Eripe te morae* non simpliciter est, amove a te, pelle moras; festina; sed uti seqq. suadent, expedi te iis, quae te

jucunditate sua detinent, a quibus aegre divelleris. de quibus explicatius statim poeta. — 6. *Ne semper* in domo tua intra urbem delitescas, desideas. Jam domum Maecenas magnifice alteque exstructam habebat in hortis Esquilinis, unde in totam urbem adjacentesque regiones latissime prospectus pateret, quo eum admodum delectatum fuisse ex h. l. colligas. Igitur pro isto vulgari, adjecta hac morae causa, poeta: ne semper *contempleris*, e domo tua prospicias, ne usque delecteris, detinearis jucundissimo in amoenissimas regiones prospectu. Sed has speciatim adumbrat, oculisque subjicit poeta. De Tiburtinae regionis suavitate v. l. 7. 12. — *udum*, ὑγρὸν, rivis et fontibus irriguum; perpetuo epitheto. Ovid. Fast. IV. 71. *Et jam Telegoni, jam moenia Tiburis udi stabant.* Cf. I. 7. 14. IV. 3. 10. Ceterum male nonnulli de Tiburtina Maecenatis villa h. l. cogitant, quo totius loci vis infringitur, et cui repugnant vv. 9 — 11. Tum illa oppida in Romae conspectu esse diserte ait Strabo V. 238. — *Aesulae declive arvum*, Aesulam, coloniam Romanam, in declivi positam. — 8. *juga collis*, collem, in quo Telegonus urbem condidit, Tusculum in alto situm. Ovid. Fast. III. 92. *Factaque Telegoni moenia celsa manu.* De Telegono, qui inscius Ulyssem patrem trygonis radio, sagittae praefixo, interficeret (unde *parricida*) vid. Boettig. ad h. l. Beckmann. ad Antig. Mirab. c. 22. p. 33. intpp. ad Hygin. F. 127. inprimis Schott. Obss. hist. III. c. 17.

v. 9. Desere aliquantisper urbem, ipsa lautitiarum copia *fastidiosam;* nisi potius (etiam propter v. seq.) ad domus ejus copiam referre praestat, hoc sensu: Linque aliquandiu domum, omnibus vitae deliciis copiose instructam, omitte aliquantisper lautitias istas, ipsa copia sua, usuque haud intermisso satietatem ac fastidium creantes; quibus opponantur (v. 15.) *coenae paup. sine aulaeis* cet. — 10. *Moles propinqua nub. ard.* est ipsa alta (V. 9. 3.) Maecenatis domus, s. *turris Maecenatiana* in Esquiliis. Cf. Sueton. Ner. 38. Ejus delineatio exstat in Lauri splendore antiquae Urbis T. II. t. 104. *Regias moles* similiter dictas habes II. 15. 2. eademque ratione *Hadrianea moles*, Mausoleum Hadriani, in turrim excrescens, adpellatum; de quo v. Schoepflin. in Apotheosi Impp. Rom. p. 85. Suaviter opponit regali Maecenatis aedificio parvum suum larem poeta v. 14. — 11. *Omitte*, noli *mirari*, ne te tantopere Urbis illecebrae

capiant, ut inde abstrahi nequeas. *Mirari* enim poëtis est, obtutu defixum haerere (ut III. 25. 14. *Ut mihi devio ripas et vacuum nemus mirari libet*) et quidem cum laetitiae sensu (Prop. I. 11. 3.), capi alicujus adspectu (ut I. 4. 19. IV. 9. 15. V. 3. 11.) delectari aliqua re. Male confundunt intpp. cum verbi τοῦ *amare* et *spernere* usu poetico, pravumque inde canonem criticum constituunt. — 11. Luxum deliciasque urbis Romae praeclare poeta ita eloquitur, ut injucundi, molestique, quod iis admixtum est, sensum in Maecenate simul excitet acuatque, quo facilius eum inde abducat. Immanem igitur epularum luxum *fumo* designat poeta, e fumariis prodeunte, tectisque ac plateis aestatis tempore (ad quod spectat hocce carmen) quum sol altissimus est, continuo incubante, aëremque gravante. Senec. ep. LIV. *Ut primum gravitatem urbis excessi, et illum odorem culinarum fumantium, protinus mutatam valetudinem sensi.* Forte tamen fumus de coenarum adparatius factarum nidore accipiendus, cujus jucundissimus ad Maecenatem penetraret sensus, quoque itidem Claudium in Saliari coena adparanda ictum narrat Sueton. c. 33. ut adeo simpliciter lautiores epulas innuat, a quibus aliquantisper Maecenatem avocare conetur poeta. Nam ignis adeoque fumi grandioris solennis mentio in coena lautius instructa. Martial. VII. 27. 5. *Pinguescant madido tetri nidore Penates, flagret et exciso festa calina jugo.* — *Opum* generaliorem notionem interposuit poeta, more, quo speciei genus immiscet, ipsi haud infrequenti. Vid. I. 10. extr. I. 31. 6. et alibi. Hoc loco perspicuitati maxime inservit. Nemo enim facile fumum strepitumque miraretur, nisi manifesta opum s. splendoris atque luxus essent argumenta. Qua ipsa de causa Romae addi putandum epith. *beatae* h. splendidae, opulentae. Quid vero? si *opes* in mensis divitum expositas, aurea atque argentea vasa, tricliniorumque magnificentissimum ornatum, eburneos lectos purpureis stragulis instratos, aulaea, laquearia aurea, pavimenta opere tessellato polita, etc. quibus *mundae coenae sine aulaeis et ostro* opponantur, strictiore sensu interpreteris? quod sane, perpensis omnibus, adcommodatissimum h. l. videtur. — *strepitum* etiam ab omnibus intpp. generatim de clamore forensi, discursantium tumultu, quem *urbis fremitum* Plin. Epp. III. 5. et *vaga murmura* Stat. Silv. I. 1. 67. vocat (acute etiam Martial. XII. 57. *ad cubile Roma est*, h. eo penetrat urbis strepitus), accipi vi-

deo. Sed revocanda idea ad coenae lautioris tumultuosiorem adparatum, ministrantium ingenti numero discursus, convivantiumque liberiorem compotationem. Atque ita demum Romam satis ἐναργῶς *beatam* dici, in promtu est videre. De strepitu hoc convivali v. Virg. Aen. I. 725. Adde Stat. Theb. I. 515. *dictis parere ministri certatim accelerant. Vario strepit icta tumultu regia: pars ostro* cet. et Achill. II. 81. *Jamque atria servent regali strepitu et picto discumbitur ostro.* Ceterum hoc tetrastichon Licentium in carm. ad Augustinum v. 71. sqq. *Et nunc Romulidum sedes et inania* (f. immania pro, et inania) *tecti culmina, bacchatasque domus* (convivales strepitus) *vanosque tumultus desererem*, ob oculos habuisse haud inepte suspicabatur Wernsdorf. Poet. min. T. IV. p. 871.

v. 13. *sqq.* Inversa atque amplificata antecedentium vv. sententia, ad Maecenatem, ut urbis deliciis aliquantisper careat, et in Sabinium suum commigret, persuadendum egregie concinnata. Docte autem conjunxit poeta duo haec commata: vices gratae sunt divitibus, et, quo vices disertius exponuntur: coenae mundae — — explicuere frontem. *Vices*, mutata per aliquod tempus vivendi ratio *grata*, multum jucunditatis habens, nato quippe e continua fruendi copia fastidio; tum gratiores divitibus lautitiae suae exsistant necesse est, quibus aliquamdiu caruerint. Unde in praeceptis Epicuri erat, τοῖς, πολυτελέσι ἐκ διαλειμμάτων προσέρχεσθαι, Diog. Laert. X. 131. laudante Boettig. — 14. *Coenae* haud opiparae quidem ac sumtuosae, at *mundae*, haud sordide adparatae, munda supellectili expositae (ubi *splendet in mensa tenui salinum* II. 16. 14. cf. Epp. I. 5. 7.) *sub lare parvo*, sub exiguo tecto *pauperum*, ab hospite paupere adornatae, *plerumque explicuere* haud raro explicare solent *frontem sollicitam*, curis corrugatam, obductam, h. dispellunt eorum sollicitudinem, curas, quae fere ipsos comitantur; verbo, exhilarant eos. — *sine aulaeis et ostro* absque tricliniari magnificentia. „Aulaea sub cameras in triclinio tendebantur, ut si quid pulveris caderet, ab ipsis exciperetur" uti recte Schol. ad Serm. II. 8. 54. Iis tum demum locus erat in tricliniis, quibus non laqueata tecta essent; vid. ad II. 16. 11. *Ostro* autem s. conchyliatis peristromatis (ut Cic. adpellat Phil. II. 27.) h. purpureis stragulis lecti, in quibus convivae discumbebant, instrati erant (Virg. Aen. I. 700. *stratoque super discumbitur ostro*, eodem ornatu), Atque haec

ratio plenius delineat triclinium magnifice exornatum, quam aliorum, aulaeum et ostrum nota figura pro, aulaeum purpureum, accipientium.

v. 17. Jam ferventissima aestas est, qua omnes ex Urbe rus evolant. Docte istam ab ortu stellarum earumque cum sole conjunctione designat. *Andromedae pater*, Cepheus, sidus, sub cauda Ursae minoris, VII. Id. Jul. oriens. Pro, oritur docte est, *ostendit*, ἀναφαίνει, exserit *ignem* suum, stellam suam, h. in conspectum venit. Catull. LXII. 7. *Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.* Virg. Ge. IV. 232. *Taygete simul os terris ostendit honestum Plias. Clarus*, ἀριπρεπής, seu simpliciter, de ortu cosmico, dum in conspectum venit, exoriens; ex oppos. *occultum*, occultatum, priusquam oriretur. — *Procyon* s. *Antecanis* unus ex Orionis canibus venaticis, Ibid. Jul. exoritur, quem XI. diebus post sequitur Canicula s. stella primae magnitudinis in ore canis majoris, Sirii adpellatione frequentata. Conf. Plin. XVIII. 28. Colum. XI. 2. 53. Quo eodem tempore (XIII. Cal. Aug.) Sol. primam Leonis partem ingreditur, quod *Leonis stella* h. l. indigitatur. Exquisita autem ratione ardentissimum aestum, qui in istorum siderum ortus incidit, ab iisdem repeti omninoque mediam aestatem iis designari a poetis, pervulgatum est. Igitur *Proc. furit* aestu, quatenus aestum gravissimum ortu suo ciet. Nam *furere*, *bacchari* exquisite de nimio calore poetis usurpatur. Cf. III. 3. 55. Hinc et *stella vesani Leonis*, sidus vesanum Leonis, *rabidus*, (Lucan. VI. 337.) *saevus radiis Leo* (Idem I. 655.). Similiter Icarii canis stellam *protervam* vocat Ovid. Amor. II. 16. 14. — 20. *referente*, iterum adducente, *dies siccos*, tempus siccum, δίψιον ὥρην, ab caloris effectu. Unde Sol. ἀζαλέος Apoll. Rh. IV. 679. et Σείριος ἀζαλέος Hesiod. Sent. 153. Atque hac ipsa caloris designatione Maecenatem poeta ad sitim in villa sua pellendam cohortari putandus est, poetarum graecorum, quos Noster h. l. expressit, exemplo. Alcaeus apud Athen. X. p. 430. B. τέγγε πνεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται· ἁ δ' ὥρα χαλεπὰ, πάντα δὲ διψᾷ ὑπὸ καύματος. Anacreon in Steph. fragm. poet lyr. p. 140. φιάλην πρόπινε παισὶν, ἵνα νέκταρος πότοιο παραμύθιον λαβόντες φλογερὸν φυγόντες ἄστρον (reliqua deficiunt). Eupolis ἐν Κόλαξι apud Grot. Excerpt. p. 501. Πίνειν γὰρ αὐτὸν — — ἐκέλευ' ἵνα πρὸ τοῦ Κυνὸς τὸν πνεύμον' ἔκλυτον φορῇ. Denique Theogn. 1005. ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι, οἵτινες οἶνον μὴ πίνουσ' ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου.

v. 21 — 24. Praeclare bucolicis, ut ita dicam, ulterius ferventissimum anni tempus poeta adumbrat coloribus, a villa sua, in qua nunc commoraretur, ei suppeditatis. Vel sic tamen haudquaquam dubitare licet, poetae in adornanda hac pictura graecum obversatum fuisse exemplum. Incerti ep. CCLX. (quod Alcaei venditant intpp. ad Tibull. I. 1. 27.) v. 5. Χὼ ποιμὰν ἐν ὄρεσσι μεσαμβρινὸν ἀγχόθι παγᾶς συρίσδων, λασίας θάμνῳ ὑπὸ πλατάνου καύματ' ὀπωρινοῖο φυγὼν κυνὸς, in Anal. Br. III. p. 203. Pastor *fessus* aestu (ita plenius Virg. Ecl. II. 10. *messores rapido aestu fessos* vocat,) *umbras rivumque*, umbrosam ripam *quaerit*, eo compellit *gregem*, et ipsum nimio calore *languidum*. Boettig. laudat Pers. III. 6. *jam patula pecus omne sub ulmo est.* — *dumeta Silvani*, arbusta, Silvano sacra. *Horridus* dicitur, vel quatenus cum Pane Graecorum φριξοκόμᾳ (Anyte III. 1. An. Br. I. 161.) αὐχμήεντι (Hom. H. in Pan. 6.) a Latinis permutatur, vel, quod simplicius, quatenus inter deos agrestes est, qui inculti ac horridi. Cf. Tib. I. 4. 4. Tum ipsa Silvani imago, qualis a poetis et in monumm. antiquis delineata exstat, arundinibus ac frondibus capite et *inculto* pinus *termite* (Grot. Gyneg. 20.) manus gravati satis horridam speciem prae se ferre putanda est. Ad Nostrum *Silvanum horridum* vocat Martial. X. 92. 6. Indocte quidam epith. ad arbusta horrida traducunt. — 24. Ne ad amnium quidem ripas tenuissimae aurae refrigerium sentire licet; nam in summa malacia levissima ibi aurae flabella animadvertas. Venti *vagi*, φοιταλέοι πολυπλανεῖς (Oppian. Hal. I. 45.) ornat; uti quoque ripa *taciturna*, vento taciturno, silente.

v. 25. Vel sic tamen rus secedere gravaris, haud perpelli potes; propter reip. salutem, in qua omnes curas tuas configis. Vid. Argum. *Tu curas*, unice hoc agis, *quis dec. civ. status*, quomodo optime stet civitas, uti omnibus suis partibus integra persistat respublica. *Civiles* has Maecenatis *curas* Noster vocat III. 8. 25. — 26. *Urbi sollicitus*, urbis saluti sollicite prospiciens, quanto gravius pro pedestri dignitatis ejus adpellatione, Urbi praefectus. Qua eadem vi: *Romanae tu vigil urbis eras*, de eodem Incert. in obit. Maecen. 14 Eadem vigilantiae laude eum condecorat Vellei. II. 88. *ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens, atque agendi sciens.* — *Times* vel de extremis imperii Romani finibus, Orientem atque Septentrionem versus. Orientis populos speciatim cum delectu ponit *Seras*,

extremos qui Romanis innotuere, Orientis incolas, hosque potissimum propter finitimos Parthos, in Romanos fines continuo incursantes; pro quibus est *Bactra*, urbs regionis Bactrianae primaria, pro universo Parthorum regno, *Cyro* quondam *regnato*, possesso; nota loquendi ratione. Vid. ad II. 6. 11. — *Tanais*, accolae ejus, Scythae, *discordes* inter se, intestinis motibus distenti, quo minus infestandis nostris finibus vacare queant: praeclare hoc epitheto vanam Maecenatis sollicitudinem arguit poeta

v. 29. Ne te nimium excrucies de futuris, quae consulto Deus mortalibus praevideri noluit, ne instantium metu praesentis temporis fructus intercipiatur. *Prudens* prudenti consilio, sapienter, consulto; ut I. 3. 22. — *exitum futuri temporis*, quae futuro tempore eventura sint, futuros casus, futura. — 30. *calig. nocte premit*, spissis tenebris involvit, occulit, celat hominem Deus. Scilicet futura sunt τὰ πόρσω longinqua, *quod ultra est* (II. 16. 25.) quibus caliginem praetexunt Dii, ne mortalium oculorum acies ea attingat. Theog. 1037 sqq. Πρήγματος ἀπρήκτου χαλεπώτατόν ἐστι τελευτὴν γνῶναι, ὅπως μέλλει τοῦτο θεὸς τελέσαι. Ὀρφνὴ γὰρ τέταται· πρὸ δὲ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι οὐ ξυνετὰ θνητοῖς πείρατ' ἀμηχανίης. Incert. apud Stob. Flor. p. 409. Ζῶοι τὶς ἀνθρώπων τὸ κατῆμαρ, ὅπως ἥδιστα πορσύνων, τὸ δ' εἰς αὔριον αἰεὶ τυφλὸν ἕρπει. Eurip. Iphig. Taur. 476. πάντα γὰρ τὰ τῶν θεῶν εἰς ἀφανὲς ἕρπει, κοὐδὲν οἶδ' οὐδεὶς κακόν. Iam Pind. Ol. XII. 13. τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φράδαι. Ad Nostrum Juvenal. VI. 556. *genus humanum damnat caligo futuri.* — 31. *Ridet* hominum stultitiam ac vanitatem, *ultra fas*, ultra quam convenit, ultra modum, misere *trepidantium*, sollicitorum, (ut II. 11. 4.) rerumque futurarum metu praesentium fructum abjicientium. — 32. Imo vero *quod adest*, praesens tempus, praesentem qualemcunque fortunam, statum, *memento componere*, συγκατατίθεσθαι, h. εὖ διοικῆσαι (v. Toup. Emend. in Suid. T. III. p. 203.) compone, eo utere *aequus*, animo aequo, neque adversis depresso, neque secundis elato, sapienter. En graecam gnomen ad verbum plane expressam: τὸ παρὸν εὖ τίθεσθαι, ἀγαπᾶν τοῖς παροῦσι, μέμνησο, veteribus celebratissimam. Cratinus apud Suidam v. τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν· ἄνδρας σοφοὺς ἐχρῆν τὸ παρὸν πρᾶγμ' εἰς δύναμιν θέσθαι καλῶς, uti locum constituit Toup. T. III. p. 216. Alia loca occupavit Hemsterhusii diligentia ad Lucian. T. I. q. 485. quem adi.

v. 33. Cetera, τὰ δ' ἄλλα (Amphis apud Athen. VIII. 336. C. ὅστις δὲ θνητὸς γενόμενος μὴ τῷ βίῳ ζητεῖ τι τερπνὸν προσφέρειν, τὰ δ' ἄλλ' ἐᾷ cet. adde Eurip. Alc. 792.) quae in potestate tua non sunt, sed fortunae arbitrio subjacent, τὰ τῆς Τύχης, ea nullo consilio regere aut mutare potes, in his fortuna regnat. Praeclare atque exquisite prorsus haec rerum humanarum vicissitudo fluvio adsimulatur, nunc leniter defluenti, (quae laetioris sortis imago est) nunc impetuosissimo, omniaque vastanti, (adversa fortuna ingruente), Eadem imagine τῇ Τύχῃ a Graecis ῥεύματα tribui videas. Incert. apud Stob. Ecl. phys. Grot. p. 135. ἅπανθ' ὁρῶ ἅμα τῇ Τύχῃ ῥέοντα μεταπίπτοντά τε. Pind. Ol. II. 62. ῥοαὶ δ' ἄλλοτ' ἄλλαι εὐθυμιᾶν τε μέτα καὶ πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν. Palladas CXIX. 1. (A. Br. II. 431.) οὐ λόγον, οὐ νόμον οἶδε Τύχη, — — τοῖς ἰδίοις ἀλόγως ῥεύμασι συρομένη. Idem CXXI. τὰς ἀκαίρους μεταβολὰς τὰς τοῦ βίου vocat ῥεῦμ' ἄπιστον τῆς ἀνωμάλου Τύχης. coll. ejusdem c. LXXIV. (A. Br. II. 423.) Unde rerum naturam, continuo mutatam, fluvio comparabat ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα Heraclitus juxta Plat. Cratyl. p. 265. A. Paullo aliter rem adornavit Senec. Ep. XXIII. extr. *Ceteri eorum more, quae fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Ex quibus alia lenior unda detinuit, ac mollius vexit, alia vehementior rapuit; alia proxime ripam, cursu languescente deposuit; alia torrens impetus ejecit in mare. — feruntur*, cursum suum tenent; ea non magis inhibeas aut certa ratione regas, quam cursum *fluminis*, Tiberis, qui nunc *medio alveo*, aqua vix alvei medium tangente, modica, *cum pace*, placide ac leniter (adsumsit hoc Flor. IV. 2. *ubi pax fluminis rediit*) in *Etr. mare delabentis*, sese evolventis. — 36. Nunc intumescentis, torrentique impetu late stragem edentis. *Ferventem immensumque ore profundo ruentem* poetam in hac descriptione quis non sentiat, admireturque? Eadem fere enumerat Incert. El. de Fort. viciss. 23. sqq. in eadem adversae fortunae cum torrente comparatione; *Ut gravis hiberno torrens de monte volutus obvia non magna arbuta vertit ope: saepe domus etiam, saepe addita moenia raptat* cet. Stat. Theb. IX. 466. sqq. *nec mole liquenti contentus carpit putres servantia ripas arbusta, annosasque trabes, ejectaque fundo saxa rotat. — lapides adesos*, οὓς τε κυλίνδων χειμάρρους ποταμὸς μεγάλαις περιέξεσε δίναις, Theocr. XXII. 50. *laevia saxa* I. 17. 12. — 37. *stirpes*, arbores

radicitus evulsas. — *raptas volventis*, raptantis atque *una volventis*, secum provolventis, proturbantis. 38. *non sine m. clamore*, cum ingenti montium fragore. Sil. IV. 521. *Cum sonitu ruit in campos, magnoque fragore avulsum montis volvit latus obvia passim armenta, immanesque ferae silvaeque trahuntur.* *Clamor*, βοή, de sonitu, passim poetae. — 40. Quum *fera diluvies*, Tiberis immaniter exundans, *amnes*, qui eum influunt (puta Anienem, Clanium, Nar, alios), *quietos irritat*, e quiete sua proturbat, eodem furore accendit, ut, alveum egressi, late campos populentur; quod Tiberi tumido, indeque flumina, quae sese in eum exonerare solent, aspernante, accidere necesse est. Rem expedit Plin. Epp. VIII. 17. *Tiberis alveum excessit* — — *Inde, quae solet flumina accipere, et permixta devehere, velut obvius sistere cogit, atque ita alienis aquis operit agros, quos ipse non tangit*, vide reliqua, quae de Aniene subjungit. *Ira*, *furor*, de amnium incrementis, marique tumido, pervulgatissimum. Praeclare vero invicem collocata *quietos* et *irritat.*

v. 41. *Ille* demum *sui potens*, κρατῶν, εγκρατὴς ἑαυτοῦ, *sui possessor*, (ut Senec. ep. XII. vocat) ab omni cupiditate atque adfectu liber, qui non rebus externis, quarum domina Fortuna est, ducatur, sed in se ipso felicitatis causas habeat, sicque *laetus*, laete, placide, tranquille *deget*, beatus dicendus est, *cui* vere *licet in diem dixisse*, quovis die dicere: *Vixi*, h. hodiernum, s. praesens, quod mihi datum est, tempus hilariter atque secure transegi, nulla futuri sollicitudine in animum admissa, neque vitae fructu in crastinum dilato. Ea enim demum *vita* adpellanda est, quae jucundum sui fructum largitur: βίος ἐστὶν, ἄν τις τῷ βίῳ χαίρῃ βιῶν, in Brunkii Gnom. p. 223. Hinc *vivere* significanter admodum pro *vita frui*. PlatoComicus apud Athen. III. 23. p. 103. πότους ἑωθινοὺς πίνει διά σε νῦν — — ζῆν δ' ἐστὶ τὸ τοιοῦτ' ὡς λέγουσιν οἱ σοφοί. Agath. XXVI. 7. (A. Br. III. 43.) Πίνε γέρον, καὶ ζῆθι. Cic. ad Attic. XII. 2. *Homini non recta, sed voluptaria quaerenti nonne* βεβίωται; Martial. LVIII, 7. *Cras vives, hodie jam vivere, Postume, serum est. Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.* Enixe inde vett. Epicuri commendatur gnome, τοῦ μηδὲν ἀναβάλλεσθαι, et *praesentis horae donis* (III. 8, 27.) frui, τὸ τερπνὸν εφαμέριον διώκειν Pind. Isthm. VII. 57. τοὐφήμερον ζῆν ἡδέως, Incert. apud Athen. VIII. p. 336. Antiphanes apud eund. III. p. 103. οὐ

βέβαιον οὐδέν ἐστι, πλὴν ὅ ἂν καθ' ἡμέραν εἰς ἑαυτὸν ἡδέως τις ἀναλίσκειν τύχοι. Palladas XXIX. 5. (A. Br. II. 813.) εὔφραινε σεαυτὸν, — — λήθην τοῦ θανάτου τὸν Βρόμιον κατέχων· τέρπεο καὶ — — τὸν ἐφημέριον βίον ἕλκων· τἄλλα δὲ πάντα Τύχῃ πράγματα δὸς διέπειν, imitatus Euripidea (Alc. 791.); εὔφραινε σαυτὸν, πῖνε· τὸν καθ' ἡμέραν βίον λογίζου σόν· τὰ δ' ἄλλα τῆς Τύχης. Adde ejusd. Bacch. 908. Senec. Ep. CI. *Propera vivere, et singulos dies singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota, securus est.*

v. 43. Crastinum diem nihil ad me pertinere existimans, neque ex futuro suspensus. Ne tantillum igitur pensi habet, utrum *Pater*, Jupiter *cras* polum *atra nube*, spissa caligne *occupet*, involvat, obducat, an *solem purum* nulla nubecula obfuscatum ostendat; quid boni aut mali crastinus dies adferat. Notissima Theocriti: Ζεὺς ἀλλόκα μὲν πέλει αἴθριος, ἀλλόκα δ' ὕει. Ad sententiam Seneca ep. CI. *Stabilita mens — — quidquid deinceps dierum rerumque venturum est, ex alto prospicit, et cum multo risu seriem temporum cogitat.* — 45. Unice beatus iis, quae perceperim; hoc solum meum judicans, quod a tergo est; quod nec Deus mihi eripiat. *Non irritum efficiet*, haud abolere poterit, *quodcunque retro est*, praeteritum tempus (v. II. 11. 5.), hujusque hilariter exacti sensum jucundissimum. 47. *Non diffinget*, immutare poterit, *et*, aut, quod *fugiens hora*, tempus praeteritum, *semel vexit* secum avexit, abstulit, proprium, quod mihi tribueret, habuit (male nonnulli *vexit* volunt esse, attulit) fructum, gaudia praeterita, infecta reddet, τὰ μὲν πραχθέντα οὐδὲ Κλωθὼ ἂν ἔτι ἀνακλώσειεν, οὐδ' Ἄτροπος μετατρέψειε, Lucian, de conscrib. hist. 38. p. 52. Pind. Ol. II. 29. τῶν δὲ πεπραγμένων ἀποίητον οὐδ' ἂν Χρόνος, ὁ πάντων πατὴρ, δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος. Eandem sententiam Agathon apud Aristot. Eth. VI. 2. ita effert: μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα, laudante jam Lamb. Adposite Senec. de Vit. Brev. 10. *In tria tempora vita dividitur. Ex his — — quod egimus certum est. Hoc est enim, in quod Fortuna jus perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. Haec est pars temporis nostri sacra ac dedicata, omnes humanos casus supergressa, extra regnum Fortunae subducta, haec nec turbari nec eripi potest: perpetua ejus et intrepida possessio.* Nostrum imitatione expressit Auct. el. LXII. L. III. Anthol. Lat. Burm. v. 7. *Per-*

vixi: neque enim Fortuna malignior unquam eripiet nobis, quod prior hora dedit.

v. 49. Equidem, potens mei, fortunae manicipium esse nolo Arbitrium Fortunae exquisite delineatur a poeta. — *laeta*, quae gaudet *saevo negotio*, saeve, crudeliter cum hominibus agere sueta, saeva, μεταβολαῖς χαίρουσα παντοίαις Τύχη, Menand. apud Stob. Flor. p. 443. Agathias LXVI. 4. (A. Br. III. 56.) Τέρψιν ὀλισθηρῆς οὐ δεδάηκε Τύχης. Claudian. XVIII. 24. *Hoc regni, Fortuna, tenes? quaenam ista jocandi saevitia, humanis quantum bacchabere rebus?* — 50. *Pertinax*, διατεινομένη, *ludere*, quae pertinaciter, continue ludit *ludum insolentem*, insolenter ac arbitrarie homines tractat, *miris modis ludos facit hominibus*, ut Plaut. Merc. II, 1, 1. παίζει τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα (Lucian. Nigr. 20. p. 58.) solenni loquendi ratione. Proxime ad Nostrum Boeth. Cons. Phil. II. 2. ubi Fortuna loquitur: *Haec nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus.* Idem II. metr. 1. *gemitus, dura quos fecit, ridet. Sic illa ludit, sic suas probat vires, suique magnum* (leg. *magnumque seclis*, v. Askew. Spec. novae ed. Aeschyli p. 10.) *monstrat astentum. Fortuna ludos sibi faciens* Senec. de Tranqu. 11. Παίγνιον ἐστί Τύχης μερόπων βίος, Palladas CXX. 1. (A. Br. II. 431.) adde Macedonii XXXIX. 1. (A. Br. III. 122.) Cf. Ovid. ex P. IV. 3. 49. Orationis colorem e Nostro petiit Vestrit. Spurinna III. 11. (Wernsd. Poet. min. III. 362.) et Apulei. VII. p. 149. Pric. Ceterum ex Euripidis: πτηνὰς διώκεις, ὦ τέκνον, τὰς ἐλπίδας, οὐχ' ἡ Τύχη σε· τῆς Τύχης δ' οὐχ εἷς τρόπος, Nostrum profecisse existimabat Valken. Diatr. p. 251. parum probabiliter. — 51. *Transmutat honores*, modo in hunc, modo in alium confert *honores*, munera sua, quibus hominem decorat, extollit. Hinc ornate adjectum, *incertos*, qui possesorem continuo permutant, instabiles. — 52. *Benigna*, εὐμενής, propitia, favens *nunc mihi* cet. Praeclare ita paratur transitus ad sqq.

v. 53. Stoicae scholae dogma: *Sapiens non amat divitias, sed mavult: non in animum illas, sed in domum recipit: non abigit illas, sed abeuntes securus prosequitur*, Senec. de V. B. X. 21. Idem c. 20. *Ego divitias et praesentes et absentes aeque contemnam; nec, si alicubi jacebunt, tristior; nec, si circa me fulgebunt, animosior. Ego Fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem.* Igitur *laudo manentem*, si hospitio me suo dig-

natur, in domo mea perstat, pro, lubens dona ejus accipio, utpote quae majorem virtuti meae subministrent materiam. *Fortuna manens* in nummis ad seriores adulationes Impp. factas spectat, uti recte animadvertit Boettig. — *si celeres quatit pennas*, si abitum parat, me deserit: sed alterum praeclare de Fortuna alata, de qua non minus splendide Aeschylus apud Stob. Ecll. phys. Grot. p. 137. ἅ τε χάρις λάμπει περὶ σὰν πτέρυγα χρύσεον. Maxime autem in discessu alatam repraesentant, propter opes cito evanidas. Lucian. Tim. 20. p. 130. Ὁπόταν δὲ ἀπαλλάττεσθαι δέῃ πτηνὸν ὄψει, πολὺ τῶν ὀρνέων (vel quod praestat, ὀνείρων) ὠκύτερον, ad quem locum Πλούτου ὠκεῖαν πτέρυγα Eurip. Meleag. fr. XIII. p. 456. Lips. ab Hermsterh. jam adferri video. Idem Electr. 948. Ὁ δ' ὄλβος — — ἐξέπτατ' οἴκων, σμικρὸν ἀνθήσας χρόνον. Hinc vim τοῦ *celeres* facile sentias. — *resigno*, restituo ei, *quae dedit*. Desumtum verbum a re argentaria veterum, ubi pecunia ad argentarii mensam *perscribebatur*, h. per adsignationem solvebatur, pro quo h. l. est *resignare*. Cf. Epp. I. 7. 34. Mutui enim loco sapiens Fortunae bona habet, quae adeo non amittit, sed reddit. Senec. de Tranqu. 11. *Quandocunque autem reddere jubebitur, non queretur cum Fortuna; sed dicet, quia imperas, cedo gratus libensque. Si quid habere me tui volueris, etiam nunc servabo: si aliud placet; ego vero factum signatumque argentum, domum, familiamque meam reddo, restituo*, — *mea virtute me involvo*, in internis animi bonis adquiesco, quae sunt ἀναφαίρετα. *Nam si a me regnum Fortuna atque opes eripere quivit, et virtutem non quiit*, Attius apud Macrob. VI. 1. Tritissima enim Stoicis gnome: ἀρετῆς βέβαιαι δ' εἰσὶν αἱ κτήσεις μόναι, uti Sophocl. in Eriphyle (Stob. Grot. p. 3.) enuntiat. Suavis autem rei imago: Sapiens, amissis seu potius redditis omnibus, virtutis amictus pallio incedit, hoc ipsi decus atque ornamentum. Eadem venustate Athen. VII. p. 291. de Dionysio Heracleote, qui a Stoa in Epicuri hortos migrasset: ὃς ἄντικρυς ἀποδὺς τὸν τῆς ἀρετῆς χιτῶνα ἀνθινὰ μετημφιάσατο. Paullo argutius de Ulysse, cum quo ναυαγήσαντι Virtus συνεκνήχεται, Basil. de legendis Graecis p. 91. Grot. τοσούτου δεῖν αἰσχύνην ὀφλῆσαι γυμνὸν ὀφθέντα μόνον, ἐπειδήπερ αὐτὸν ἀρετὴ ἀντὶ ἱματίων κεκοσμημένον ἐποίησε. — 55. Et paupertatem amplector; pro quo suavissima imagine est: Paupertatem, puellam indotatam quidem at probam ac honestam *quaero*; ejus consortium expeto; dum

mea Fortunae discessu vacuefacta. Paupertas *proba, bonae mentis soror*, ut venuste ait Petron. c. LXXXIV. *μήτηρ σωφροσύνης*. Pallad. CXII. (A. Br. II. 430.).

v. 57. Atque in hac paupertate mihi admodum placeo, quippe quae a curis me immunem praestet, quibus divites continuo anguntur. Pro hoc angoris statim causas adnumerat poeta, planeque easdem, quae habet III. 1. 25. sqq. *Non est meum*, *ου τοῦ 'μοῦ τρόπου τοῦτο*, (Aristoph. Σφηκ. 996.) Plautina locutione. Asin. I. 3. 37. *quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas. Ar.* Non meum est. *Ci.* nec meum quidem edepol, *ad te ut mittam gratiis.* Cf. Mil. Gror. IV. 8. 53. Rud. II. 3. 11. — 37. *si malus procellis Africis* Africo fractus *mugiat*, fragorem edat (plane ut I. 14. 5. *Et malus celeri saucius Africo antennaeque gemant*) reboet, pro simplici, incumbente tempestate. — 58. *ad preces mis. decurrere*, descendere (Virg. Aen. V. 782.) *καταβαίνειν εἰς λιτὰς* (Herodot. I. 116.) misere Deos precibus sollicitare. — *votis pacisci*, gravius est, quam vota nuncupare; qui enim vota Diis facit, mutuam eorundem operam redimere cupit. Unde *precem emacem* dixit Pers. II. 3. Ad Nostrum Senec. Nat. Quaest. IV. 7. *Negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur, et tempestates munusculis redimat, quamvis munera etiam Deos vincant.* — 60. 61. Ne merces naufragio pereant. Pro hoc est, *addant divitias*, ditius reddant mare, praedae sint mari; tanquam invideat mari divitias suas, naufragiis partas, suoque damno auctas. — *avaro*, quod insidiatur, inhiat nautarum opibus; praeclare. — m. *Cypriae Tyriaeque*, e Cypro ac Tyro advectae. Cf. I. 1. 13. et III. 26. 9.

v. 62. Tum ego potius, quando alii, deprehensi tempestate, de servandis opibus miserrime laborant, in tali periculo constitutus, aequissimo rerum mearum jacturam ferens animo, nave oneraria, tempestati diripienda, relicta, conscensaque scapha, ei adnexa, nudus in litus evadam, seu, demta allegoria: qualescunque opes meas aequo, si fortuna ita ferat, auferri mihi sinam animo. *Aura me feret*, navigabo, evadam *Aegaeos tumultus*, tempestatem maris Aegaei gravissimam, qualis in mari Aegaeo est; hoc enim procellosissimum vett. habitum. Unde *Aegaeae hiemes* proverbialiter saevissimae dictae, veluti Stat. Silv. V. 2. 5. Claudian. XXXII.. 12. — *tutum praesidio*, tutatum, fretum *scapha* procellis minus obnoxia. — biremi, *δικώπῳ*. — *geminusque Pollux;*

Dioscuri; v. ad l. 3. 2. Adposite ad totum h. l. Paul. Silent. LXXI. 5. (A. Br. III. 93.) ἡ δ' ἀρετὴ σταθερόν τι καὶ ἄτροπον· ἧς ἐπὶ μούνης κύματα θαρσαλέως ποντοπόρει βιότου.

ARGUMENTUM XXX.

Generosissimo spiritu apotheosin suam hoc carmine exsequitur poeta, quum lyram, officio suo cum laude defunctam, Apollini consecratam suspendere, poesinque lyricam missam facere certo apud animum suum constituisset. Hoc ita instituit poeta, ut illud consilium non ab effeta ingenii vena (cujus nostri temporis poetae, ut videri volunt, ne rationem habere quidem videas; profectum esse facile adpareat. Quo illud tamen modo discussum fuerit, vid. in Argum. IV. 1. 1. *Auguratur igitur magnifico sensu immortalibus ingenii operibus innixo, nominis sui immortalitatem, poesi lyrica, quam primus Latio intulerit, partam atque fundatam laurumque a Musa sibi imponi nobilissima cum arrogantia postulat. Regnat in hoc carmine summus ingenii lyrici splendor, excelsissimorum phantasmatum ubertate, ornatusque exquisitissimi copia animum feriens.*

Adnotationes.

v. 1. *Exegi monumentum,* pessime hic et apud Ovid. Metam. XV, 871. *Jamque opus exegi,* interpretantur, finivi, absolvi; quo pedestrius vix quidquam in tam splendido exordio dici potest. Est utique: erexi, in altum eduxi monumentum; quo sensu

ἐλαύνειν, ἐξελαύνειν passim apud Graecos occurrit. Jam carminum suorum monumenta cum iis comparat, quae homines ad propagandum ipsorum ad posteros nomen aere aut congesta saxorum strue educere solent; quibus suum quidem et ad perennitatem famamque durabilius esse atque illustrius generoso spiritu pronuntiat. Comparatio ipsa Pindaro jam frequentata; veluti Nem. IV. 131. *κελεύεις στάλαν θέμεν, Παρίου λίθου λευκοτέραν*, h. *hymnum concinnare*, quem itidem *λίθον Μοισαῖον* vocat Nem. VIII. 80. — *aere perennius*, longius duraturum monumento aereo, statua aerea, titulis, aeri incisis, quibus rerum gestarum memoriam posteris tradere laborant. — 2. Atque ipsis Pyramidibus *altius*; unde adeo majorem consecuturus sum nominis gloriam; nam hanc potius ob causam Pyramides in comparationem adductas putaverim, quam propter stabilitatem ac firmitatem, quamquam et hoc nomine sint famigeratissimae. Nam operis perennitatem v. 1. jam designaverat poeta; tum praeter admirabilem structuram ab altitudine maxime eas celebrari satis constat. Pro Pyramidibus est *regalis situs*, positus P., moles posita, constructa sumtibus vere regiis, sumtuosissime exstructa; unde *Pyramidum sumtus ad sidera ductos* vocat Propert. III. 1. 57. atque ita accipere magis Horatianum est (cf. *regias moles* II. 15. 1.) quam si regum opera eas eductas interpreteris.

v. 3. sqq. Sequitur comparationis exornatio splendidissima, ad Pindari *πρωτότυπον* artificiose concinnata, Pyth. II. 7. seqq. *ἕτοιμος ὕμνων θησαυρὸς — τετείχισται· τὸν οὔτε χειμέροις ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθὼν ἐριβρόμου νεφέλας, στρατὸς ἀμείλιχος, οὔτ' ἄνεμος ἐς μυχοὺς ἁλὸς ἄξοι παμφόρῳ χεράδι τυπτόμενον.* Nec minus splendide Simonidis de occisorum ad Thermopylas perenni fama, XV. 5. (A. Br. I. 124.) *ἐντάφιον δὲ τοιοῦτον οὔτ' εὐρὼς, οὔθ' ὁ πανδαμάτωρ ἀμαυρώσει Χρόνος, ἀνδρῶν ἀγαθῶν.* Conf. omnino Incerti ep. DCXV. (A. Br. III. 281.) Propert. l. l. Ovid. l. l. Martial. VIII. 3. 5. X. 2. et epigr. CCLXI. CCLXXII. in Anthol. Burm. T. I. 447 sqq. — *imber edax*, dissolvens compagem saxeam, arrodens aes, titulos aeri inscriptos illata rubigine exedens. Ad posterius maxime traxerim. Similiter est *tempus, vetustas edax* et sim. — 3. *Aquilo impotens*, immodice furens, vehementissimus. Si ad totam *ῥῆσιν* epitheton trahas, erit, impotentior est, quam ut diruere possit, omnino non diruet; quae ratio non plane quidem damnanda videtur. Verior tamen altera. Martial. I. 50. 19. *Aut cum*

December canus, et brumà impotens Aquilòne raucò mugiet. Senec. Hippol. 276. *Cupido impotens flammis simul et sagittis.* Adde Catull. IV. 18. Boeth. C. S. I. 4. 14. — 4. *aut innumerabilis. . . . fuga temporum,* copiose pro, aetas longissima, ita quidem, ut illud longum seculorum decursum, hoc omne, quod futurum est, tempus designet De *fuga temporum.* vid. ad II. 14.1.

v. 6. 7. *Non omnis,* totus *moriar,* esse desinam, *multa,* eaque meliori *mei parte* superstite. Docte disjunxit ista, novoque alterum membrum instruxit ornatu poeta. Nota autem imagine poetae se et famam, vel suis ipsorum carminibus partam vel aliis inde tributam, ejusdem personae ac conditionis faciunt. Hinc ex parte tantum sese morti obnoxios profitentur, ut h. l. poeta. Ovid. Trist. V. 14. 5. *Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur, nec potes in maestos omnis abire rogos.* Idem in fine Metam. 875. *Parte tamen meliore mei super alta perennis astra ferar.* Martial. V. 25. 5. *Quem chartis famaeque damus populisque loquendum? Quis Stygios non vult totus adire lacus?* — 7. *Vitabit Libitinam,* effugiet mortem, immortalis erit; eadem fere ornatus ratione ac II. 20. 7. III. 3. 16. Adde Tyllii III. (A. Br. II. 103.) de Sappho: μή με θανοῦσαν τὴν Μιτυληναίαν ἔννεπ' ἀοιδοπόλον· — — γνώσεαι ὡς Ἀΐδεω σκότος ἔκφυγον. Ovid. Trist. III. 7. 54. *Effuge venturos, qua potes, usque rogos.* Adde ejusd. ex P. III. 2. 32. Martial. X. 2. 7. Ducta h. l. loquendi ratio a Venere Libitina, cui funerum cura concredita, ob adparatus funebres, in ejus templo repositos. Libitinam igitur *vitat,* nihil rei est cum ea, qui morti haud obnoxius est.

v. 7. *Ego crescam laude postera,* laus, gloria, nomen meum crescet apud posteros, *usque recens,* ita ut nova in dies incrementa capiat, novis usque auctibus apud posteros vigebit, nunquam inveterascet. En vatem vere venturi praescium ac Delphica cortina veraciorem! Imitatus est locum Prop. III. 1. 34. *tui casus memorator Homerus posteritate suum crescere sentit opus.* — *dum* Roma cum Capitolio stabit, h. in aeternum; nam de aeternitate Capitolii atque Urbis suae certissima Romanorum erat opinio. Unde *aeternae Romae Aeternitatis imperii* frequentissima in nummis Romanorum jactantia. Exquisita autem imagine illud extulit poeta: *dum,* donec *Pontifex* M. sacra publica curaturus, *scandet* adscendet *Capitolium,* sacra *Virginum* Vestalium pompa deductus; quod solenne erat in sacris publice faciundis. — *taci-*

ta praeclare augustam religiosae pompae praebet speciem. Nostrum locum imitatus est Martialis IX. 2. 5. *Tarpeia summi saxa dum Patris stabunt : dum voce supplex, dumque ture placabit matrona Divae dulce Juliae nomen, manebit altum Flaviae decus gentis cum sole et astris cumque luce Romana.*

10. *Dicar* ego Apulus, memorabunt posteri, me Venusia, Apuliae oppido, oriundum, *principem deduxisse*; primum fuisse, qui *Aeolia* Alcaei et Sapphus *carmina*, modos, *ad Italos modos deduceret*, traduceret, qui Graeca carmina lyrica ad modos Italos adcommodaret, ita ut Romanis modis fidibus (subjectis nimirum Latinis verbis) resonarent, indeque *ex humili*, quum humili genere ortus esset, *potentem* factum, apud populares suos fama ac gratia floruisse, ingenio nobilitatem consecutum fuisse: omnino pro, me primum Romanorum exstitisse, qui Graecorum exempla secutus, poesin lyricam cum laude tractaret. Doctius idem de elegia sua ad Graecos conformata III. 1. 3. *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Grajos orgia ferre choros.* Ingenui vero animi poetam, qui, quum magnifice admodum de se loquatur, neque quantum ipse Lyricis graecis debeat, neque quam obscuros natales habuerit, non tam reticeat, quam potius jactabundus profiteatur. Illud „ego Apulus" vide quam ornaverit poeta! qua parte, ubi *Aufidus*, Apuliae fluvius *violens obstrepit*, violenter fluit, impetuose atque cum fragore ruit, *καναχηδὰ ῥέει;* e natura istius fluvii, vid. IV. 14. 15. Serm. I. 1. 58. — 11. Disertius Apuliam designat ab antiquo ejus rege (ut II. 6. 11. et III. 29. 27.) *Dauno, qua*, ubi is *regnavit populorum*, *ἦρξε λαῶν*, imperitavit populis, quam regionem ille in ditione habuit *aquae pauperem*, aridam, siccam; perpetuo Apuliae epitheto. Cf. V. 3. 16. Ovid. Met. XIV. 510. *Iapygis arida Dauni arva.* Sed audacter Horatius Daunum ipsum aquae vocat pauperem; quod a lyrica ratione haud alienum putandum. Ceterum alium alii ordinem verborum instituunt, quorum nullum facile adprobabis.

v. 14 — 16. Laurum jam Musam poscit vates ea dignissimus, ipsa hac arrogantia sua placens atque amabilis. Communicat autem poeta superbiam suam cum Melpomene tanquam Musa sua lyrica, quacum principatum inter poetas Romanos lyricos obtinuerit; quo eodem spiritu Propert. III. 1. 9. *Quo me Fama levat terra sublimis, et a me Nata coronatis Musa triumphat equis. Sume superbiam*, haud te jam dedecet superbia, haud

vana illa, sed *quaesita* parta, innixa *meritis.* — 15. et mihi *cinge comam lauro*, impone lauream *Delphicam*, Apollineam, vatibus debitam. — *volens*, propitia, de Diis solenni formula (Pind. Isthm. VI. 63. εἰ —, — ὦ Ζεῦ πάτερ, θυμῷ θέλων ἀρὰν ἀκούσας cet. Hesiod. Theog. 446. Hecate ποίμνας — θυμῷ γε θέλουσα ἐξ ὀλίγων βριάει) maxime in precationibus adhibita; v. c. in sacris lustralibus apud Catonem c. 142. *Mars pater te precor quaesoque, uti sies volens propitius mihi, domo, familiae* cet. Alia vid. apud. Pric. ad Apul. IV. p. 237.



Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER QUARTUS.

I.

AD VENEREM.

Intermissa, Venus, diu
  Rursus bella moves. Parce, precor, precor!
Non sum, qualis eram bonae
  Sub regno Cinarae. Desine, dulcium

Mater saeva Cupidinum,
  Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis. Abi,
  Quo blandae juvenum te revocant preces.

Tempestivius in domum
  Paulli, purpureis ales oloribus,
Commissabere Maximi,
  Si torrere jecur quaeris idoneum.

Namque et nobilis, et decens,
  Et pro sollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
  Late signa feret militiae tuae:

Et quandoque potentior
  Largis muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
  Ponet marmoream, sub trabe citrea.

Illic plurima naribus
  Duces tura, lyraeque et Berecyntiae
Delectabere tibiae
  Mixtis carminibus, non sine fistula,

Illic bis pueri die
  Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
  In morem Salium ter quatient humum.

Me nec femina, nec puer
  Jam, nec spes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero,
  Nec vincire novis tempora floribus. —

Sed cur, heu, Ligurine, cur
  Manat rara meas lacryma per genas?
Cur facunda parum decoro
  Inter verba cadit lingua silentio?

Nocturnis ego somniis
  Jam captum teneo, jam volucrem sequor
Te per gramina Martii
  Campi, te per aquas, dure, volubilis.



II.

AD IULUM ANTONIUM.



Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
      Nomina ponto.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
    Pindarus ore:

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audacis nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
    Lege solutis:

Seu Deos, regesve canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere justa
Morte Centauri, cecidit tremendae
    Flamma Chimaerae:

Sive, quos Elea domum reducit
Palma coelestis, pugilemve equumve
Dicit, et centum potiore signis,
    Munere donat:

Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos educit in astra, nigroque
    Invidet Orco.

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego, apis Matinae
    More modoque,

Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
    Carmina fingo.

Concines majore poëta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces

Per sacrum clivum, merita decorus
Fronde, Sygambros:

Quo nihil majus meliusve terris
Fata donavere, bonique Divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.

Concines laetosque dies, et Urbis
Publicum ludum, super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.

Tum meae (si quid loquar audiendum)
Vocis accedet bona pars: et, o sol
Pulcher, o laudande, canam, recepto
Caesare felix.

Tuque dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis
Tura benignis.

Te decem tauri, totidemque vaccae,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis juvenescit herbis
In mea vota,

Fronte curvatos imitatus ignis
Tertium lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
Cetera fulvus.



III.

AD MELPOMENEM.



Quem tu, Melpomene, semel
  Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
  Clarabit pugilem, non equus impiger

Curru ducet Achaico
  Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
  Quod regum tumidas contuderit minas,

Ostendet Capitolio:
  Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt,
Et spissae nemorum comae,
  Fingent Aeolio carmine nobilem.

Romae principis urbium
  Dignatur suboles inter amabilis
Vatum ponere me choros:
  Et jam dente minus mordeor invido.

O, testudinis aureae
  Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas:
O, mutis quoque piscibus
  Donatura cycni, si libeat, sonum!

Totum muneris hoc tui est,
  Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
  Quod spiro et placeo, (si placeo) tuum est.



IV.

DRUSI LAUDES.



Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in avis vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo,

Olim juventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium:
Vernique, jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus

Venti paventem: mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus:
Nunc in reluctantis dracones
Egit amor dapis atque pugnae:

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta, fulvae matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:

Videre Rhaetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici: quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi

Dextras obarmet, quaerere distuli;
Nec scire fas est omnia: sed diu
Lateque victrices catervae,
Consiliis juvenis revictae,

Sensere, quid mens rite, quid indoles,
Nutrita faustis sub penetralibus,

Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Fortes creantur fortibus et bonis:
Est in juvencis, est in equis, patrum
Virtus: neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcumque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbis Afer ut Italas,
Ceu flamma per taedas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana Deos habuere rectos:

Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.

Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Jactata Tuscis aequoribus sacra,
Natosque maturosque patres,
Pertulit Ausonias ad urbis,

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedís, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem:
Monstrumve submisere Colchi
Majus, Echioniaeve Thebae.

Merses profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Proelia conjugibus loquenda.

Carthagini jam non ego nuntios
Mittam superbos: occídit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis, Hasdrubale interemto.

Nil Claudiae non perficient manus:
Quas et benigno numine Jupiter
Defendit, et curae sagaces
Expediunt per acuta belli.



V.

AD AUGUSTUM.



Divis orte bonis; optime Romulae
Custos gentis, abes jam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio, redi.

Lucem redde tuae, Dux bone, patriae:
Instar Veris enim voltus ubi tuus
Adfulsit, populo gratior it dies,
Et soles melius nitent.

Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,

Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore demovet:
Sic desideriis icta fidelibus
Quaerit patria Caesarem.

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas:
Pacatum volitant per mare navitae:
Culpari metuit Fides:

Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos et lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperae:
Culpam Poena premit comes.

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fetus, incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Iberiae?

Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina redit laetus, et alteris
Te mensis adhibet Deum:

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris: et Laribus tuum

Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

Longas o utinam, Dux bone, ferias
Praestes Hesperiae! — dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Quum Sol Oceano subest.



VI.

AD APOLLINEM.



Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae, Tityosque raptor
Sensit, et Trojae prope victor altae
Phthius Achilles,

Ceteris major, tibi miles impar:
Filius quamquam Thetidos marinae
Dardanas turris quateret tremenda
Cuspide pugnax.

Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.

Ille non, inclusus equo, Minervae
Sacra mentito, male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
Falleret aulam:

Sed palam captis gravis, heu nefas! heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo:

Ni, tuis victus Venerisque gratae
Vocibus, Divom Pater adnuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.

Doctor Argivae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lavis amne crinis:
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.

Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis, nomenque dedit poëtae.
Virginum primae, puerique claris
Patribus orti,

Deliae tutela Deae, fugacis
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum,

Rite Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere mensis.

Nupta jam dices: ego Dis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati.



VII.

AD TORQUATUM.



Diffugere nives: redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae:
Mutat terra vices: et decrescentia ripas
Flumina praetereunt:

Gratia cum Nymphis geminisque Sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet Annus, et almum
Quae rapit Hora diem.

Frigora mitescunt Zephyris: Ver proterit Aestas,
Interitura, simul
Pomifer Auctumnus fruges effuderit: et mox
Bruma recurrit iners.

Damna tamen celeres reparant coelestia lunae:
Nos, ubi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.

Quis scit, an adjiciant hodiernae crastina summae
Tempora Dî superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.

Quum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria:
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:

Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
  Vincula Pirithoo.



VIII.

AD CENSORINUM.



Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus;
Donarem tripodas, praemia fortium
Grajorum: neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non haec mihi vis: nec tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneri.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus; non celeres fugae
Rejectaeque retrorsum Hannibalis minae,
Non incendia Carthaginis impiae,
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides: neque,
Si chartae sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum

Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori:
Coelo Musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus ratis:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.



IX.

AD LOLLIUM.



Ne forte credas interitura, quae,
Longe sonantem natus ad Aufidum,
Non ante volgatas per artis
Verba loquor socianda chordis.

Non, si priores Maeonius tenet
Sedis Homerus, Pindaricae latent,
Ceaeque, et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae:

Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas: spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

Non sola comtos arsit adulteri
Crinis, et aurum vestibus illitum

Mirata, regalisque cultus
Et comites, Helene Lacaena:

Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus

Dicenda Musis proelia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus gravis
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores

Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens, et secundis
Temporibus dubiisque rectus:

Vindex avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae:
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus

Judex honestum praetulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium
Voltu, et per obstantis catervas
Explicuit sua victor arma.

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
  Nomen beati, qui Deorum
    Muneribus sapienter uti,

Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque leto flagitium timet,
  Non ille pro caris amicis
    Aut patria timidus perire.



X.

AD LIGURINUM.



O crudelis adhuc, et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae quum veniet pluma superbiae,
Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam:
Dices, heu! quoties te in speculo videris alterum,
Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?



XI.

AD PHYLLIDEM.



Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus: est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis:
Est cederae vis

Multa, qua, crinis religata, fulges.
Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Cuncta festinat manus: huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae:
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.

Ut tamen noris, quibus advoceris
Gaudiis: idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem:

Jure solennis mihi, sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus adfluentis
Ordinat annos.

Telephum, quem tu petis, occupavit,
Non tuae sortis juvenem, puella
Dives et lasciva, tenetque grata
Compede vinctum.

Terret ambustus Phaëthon avaras
Spes: et exemplum grave praebet ales
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem:

Semper ut te digna sequare, et, ultra
Quam licet sperare nefas putando,
Disparem vites. Age jam, meorum
Finis amorum, —

Non enim posthac alia calebo
Femina, — condisce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atrae
Carmine curae.



XII.

AD VIRGILIUM.



Jam Veris comites, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thraciae:
Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.

Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula,
Delectantque Deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiae placent.

Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis adcubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.

Ad quae si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.

Verum pone moras et studium lucri:
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.



XIII.

AD LYCEN.



Audivere, Lyce, Dì mea vota, Dî
Audivere, Lyce. Fis anus, et tamen
Vis formosa videri,
Ludisque et bibis impudens,

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. Ille virentis et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.

Importunus enim transvolat aridas
Quercus, et refugit te, quia luridi
Dentes te, quia rugae
Turpant et capitis nives.

Nec Coae referunt jam tibi purpurae,
Nec clari lapides tempora, quae semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris Dies.

Quo fugit Venus? heu! quove color? decens
Quo motus? Quid habes illius, illius,
Quae spirabat Amores,
Quae me surpuerat mihi.

Felix post Cinaram notaque et artium
Gratarum facies? Sed Cinarae brevis
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem

Cornicis vetulae temporibus Lycen:
Possent ut juvenes visere fervidi,
Multo non sine risu,
Dilapsam in cineres facem.



XIV.

AD AUGUSTUM.



Quae cura Patrum, quaeve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastus

Aeternet? o, qua sol habitabilis
Illustrat oras, maxime principum:
Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,

Quid Marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque velocis, et arcis
Alpibus impositas tremendis,

Dejecit acer plus vice simplici.
Major Neronum mox grave proelium
Commisit, immanisque Rhaetos
Auspiciis pepulit secundis:

Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas prope qualis undas

Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindente nubis: impiger hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignis.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Appuli,
Quum saevit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris:

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor:

Te copias, te consilium et tuos
Praebente Divos. Nam, tibi quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,

Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus.
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus adrogavit.

Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae:

Te, fontium qui celat origines,
Nilusque, et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis:

Te non paventis funera Galliae
Duraeque tellus audit Iberiae:
Te caede gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.



XV.

AUGUSTI LAUDES.



Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbis, increpuit lyra,
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas

Fruges et agris retulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis

Janum Quirinum clusit, et ordinem
Rectum evaganti frena Licentiae
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artīs:

Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires, famaque et imperì
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubilí.

Custode rerum Caesare, non furor
Civilis aut vis exiget otium,
Non ira, quae procudit ensīs,
Et miseras inimicat urbīs.

Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia: non Getae,
Non Seres, infidive Persae,
Non Tanain prope flumen orti.

Nosque et profestis lucibus et sacris,
Inter jocosi munera Liberi,
Cum prole matronisque nostris,
Rite Deos prius adprecati,

Virtute functos, more patrum, duces,
Lydis remixto carmine tibiis,
Trojamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.



Argumenta Carminum

et

Adnotationes.

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM
LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

ARGUMENTUM.

Quartum hocce carminum lyricorum volumen ex longo intervallo ab Horatio, idque Augusti potissimum hortatu, qui ita cavere studeret, quo minus, quae in Nerones, privignos suos, ipsius jussu ab eo composita essent, intercideren carmina ἐπινίκια, prioribus tribus fuisse additum, a Suetonio (in vita ejus) proditum est. Ex quo tamen loco temere eos agere arbitror, qui non pleraque, quod quidem verissimum videtur, sed omnia prorsus, quae in hoc libro continentur, nova, h. post tres demum libros emissos, a poeta conscripta esse opinentur carmina, quum in his nonnulla deprehendantur, quae ad anteriora, id quod abunde ipsorum arguit indoles, referri debeant tempora. Dicendum igitur potius poetam partim ea, quae dudum parata neque dum tamen in vulgus edita (certe non in fascem col-

lecta) servaret, partim, quae tunc temporis primum composuisset, in unum volumen conjecta, tum primum una cum Neronianis (c. IV. et XVI.) edidisse carmina, atque hoc adeo sensu, quae a Suetonio tradantur, accipienda esse adparet. — Jam ad primum carmen quod attinet, ad lusus illud Poeticos, tractationi lyricae aptissimos, eosdemque ab aetatis istius hominibus cupide expetitos lectitatosque (qua ipsa de causa hunc ipsi hujus libri fronti praefixum esse suspicor) unice referendum esse, argumenti ejus abunde adstruere videtur levitas. In quo quamquam amoris naturam atque ingenium ad amussim plane descripserit; illud tamen tantum abest, ut paullo iniquius de moribus poetae, quod quidem invenustos homines quosdam facere videas, ferre nos cogat judicium, ut in repraesentando cum tanta colorum veritate amoris, a quo tamen immunis esset, adfecta summum eum potius admirari deceat artificem. Deprecatur autem amorem sibi quinquagenario a Venere injectum, eumque ad Paullum Maximum, juvenem nobilem, pulchrum ac divitem, qui ei ideo aptior sit, eleganter amandat; dumque se jam plane nuntium amori misisse significat, ecce iterum gravissimo sese amoris aestu pertentari animadvertit, quem invitus quidem, sed venuste admodum explicat. Omnino magnum sese poetam ostendit hoc carmine Horatius, sive argumenti ejus tractationem, sive eloquutionis doctrinam spectes atque comtam venustatem: in quo tamen a graecis eum subinde profecisse, vix dubitari potest. Ceterum quamquam pro explorato, quisnam ille Paullus Maximus fuerit, vix statui posse existimem; satis tamen probabilis eorum

videtur opinio, qui Paullum Fabium Maximum, qui, quamquam multo serius, quam hoc carmen scriptum est, cum Q. Aelio Tuberone (a. DCCXLIII.) consul fuit, intelligunt.

Adnotationes.

v. 1. Ecce iterum ad amorem, cui dudum finem imposuisse mihi videbar, compelli me sentio! Pro quo nobilius phantasma est, quod a Venere sese denuo ad amorem instigari dicat; quo et vehementiam ejus, et quod invitus, quippe fere quinquagenarius, ei succubuerit, praeclare declarat. Cf. omnino I. 19. 9 sqq. Aestum poetae vivida statim prodit orationis ad Venerem conversio. — *bella moves*, ad amoris militiam me excitas; nota imagine. Vid. ad III. 26. 2. — *rursus*, post militiam hanc diu intermissam, qui diu amori haud vacaverim. — *Parce*, cogita Venerem instantem poetae reluctanti, tantoque gravius urgentem; inest adeo vehementissimi amoris notio, etiam repetito *precor* luculenter prodita. In hoc ducem forte habuit poeta Alcaeum, cujus fragm. servarunt Haphaest. p. 16. et Schol. Aristoph. Plut. 302. δέξαι με κωμάζοντα, δέξαι, λίσσομαί σε, λίσσομαι.

v. 3. *Non* jam amplius vigor aetatis superest, amoribus aptissimus. Florem aetatis suae pulchre poeta a Cinarae amoribus designat, quos ejus primos jucundissimosque fuisse recte inde colligas. *Cinaram* immatura morte obiisse ex IV. 13. 21. constat. Tenerrimi igitur adfectus plena est ejus injecta h. l. mentio. — *bonae*, moribus probis, minime meretriciis. Tibull. II. 4. 45. *At bona quae, nec avara fuit* cet. *Immunem* se *Cinarae placuisse* scribit Epp. I. 14. 33. — *Regnum* proprium amicarum, cui *servitus* amatorum opponitur; pervulgata ratione. Vid. ad II. 8. 18. Vulgare utique erat, quum Cinarae addictus eram, eam unice amabam.

v. 4 — 7. Pulchre exornatur amplificaturque antecedentium vv. sententia. Pro vulgari: ne me, nimis aetate provectum, amare cogas, doctius erat, ne me tuo imperio iterum subjicias (juxta pervulgatam Graecis loquendi rationem, δμηθῆναι ὑπ' Ἔρωτος, et sim. Speciali hanc exornavit idea, a domandis fingendisque equis petita. Quae eadem jam adhibita est ab Hermesian. el. v.

85. Οὐδ' οἱ δεινὸν Ἔρωτος ἀπεστρέψαντο κυδοιμὸν φαινόμενον, δεινὸν δ' ἦλθον ὑφ' ἡνίοχον. Sed explicatius Noster. *Flectit imperiis* (quamquam proprie jungendum τῷ *durum* tertio casu), ad sui arbitrium imperiose fingere tentat Venus poetam *circa lustra decem*, annos jam L excedentem, adeoque *jam durum* isti imperio, minus tractabilem, docilem. Mirum acumen in antithesi *durum* et *mollibus*; nam *mollia* sunt Veneris *imperia*, quae blanda vi sua animum impellunt, quibus lubenter se submittunt homines, dum amori per aetatem sunt habiles. Similiter est γλυκεῖα ἀνάγκη, *lene tormentum*, de quo vid. ad III. 21. 13. Amoris igitur naturam exprimi puta hoc epitheto; uti pervulgatius amor dicitur *blandus*, *lenis flexanimus*, θελξίφρων et sim. Ad aetatem *mollem aptamque regi* (Ovid. A. A. I. 10.) referunt nonnulli; ut *imperia mollia* sint, aetati molli, juvenili adhibenda, nescio quam bene. *Durum* s. duri oris equum refractarium dici, notum. Venus *mater Cupidinum* dicta ut I. 19. 1. — *saeva*, quae senem amare cogat, vel simpliciter τὸ πικρὸν aut vehementiam amoris delineat. — *dulcium* vel tenerorum (fere ut eadem Ovid. Am. III. 15. *tenerorum mater Amorum* audit) perpetuo juventae epitheto; vel solenni Amoris attributo, Ἔρως γλυκύς, ἀγανὸς cet. Cf. I. 9. 15. Ita acceptum suaviter vides opponi τῷ *saevo* — 7. 8. *Abi* ad juvenes, quibus desideratissima es. Praeclare ita transitum parat ad seqq. poeta. Vulgarius erat, quo juvenes te precibus vocant, s. ad juvenes, qui te precibus expetunt. — *blandae* auget desiderii vim. Cf. III. 23. 18. In *revocant* non argutandum, quasi Venus antea jam adfuisset juvenibus; sed est pro simplici, vocant. Ceterum inversa sententia rem ad Somnum traduxit Stat. Silv. II. 4. 14.

v. 9 *sqq. Tempestivius*, opportunius adibis, conferes te in domum Paulli Fabii *Maximi*; gratior ibi sedes tibi erit, majorem inde gloriam feres, Maximo, forma, aetate ceterisque virtutibus, quae paratam ei victoriam spondeant, conspicuo. Exquisitum artificium, quo laudes Maximi tanquam aliud agens intexuerit poeta, observarunt jam alii. Jam Veneris migrationem in domum Maximi vide quam splendide instruxerit poeta! — *ales*, πτερόεσσα, πτηνή, volans h. celerrime per aërem vecta *oloribus*, ope cycnorum alitum, quod docte est pro, curru ab oloribus ducto *commissabere in domum M.* vehere, intrabis Maximi aedes. *Comissari*, comissatum ire, *in domum*, plane ut Graeci, κωμά-

ζειν πρός τινα (Theocr. III. 1. Κωμάσδω ποτὶ τὰν 'Αμαρυλλίδα) κῶμον ἄγειν πρός τινα (Bion XI. 4. ἐμὶν ποτὶ ποιμένα κῶμον ἄγοντι — — τὺ δίδοι φάος) κωμάζειν εἴς τινα (ut in Proverb. apud Suid. ἄκλητοι κωμάζουσιν εἰς φίλους φίλοι apud Schott. Adag. p. 346. qui ex eodem p. 413. laudat; εἰς μελίττας γ' ἐκώμασας) quum proprie sit, amicorum domos adire diei festi agendi aut hilarioris compotationis gratia, facile perspicitur, quam delectum hoc verbum sit pro vulgari, concedere in domum M. Innuit enim Maximi domum Veneri aptissimam, utpote hilarioribus juvenum compotationibus frequentatam, adeoque risui, jocis lasciviaeque vacivam. Hinc Anacr. VI. 12. ὁ δ' Ἔρως ὁ χρυσοχαίτης μετὰ τοῦ καλοῦ Λυαίου, μετὰ τῆς καλῆς Κυθήρης — κῶμον μέτεισι χαίρων. Cf. III. 18. 6. — Olores *purpurei*, nitidi, ob pennarum laevitatem atque candorem. Nam splendor in purpura laudatissimus. Πτερὰ πορφυρέα forte eodem sensu Boreae tribuit Pind. Pyth. IV. 326. Res passim notata VV. DD, Vid. Gesn. ad Claudian. XXIX. 7. et. Wernsd. Poet. min. III. p. 308. Ineptias plurimorum intpp. adponere nihil attinet. — 11. *Si quaeris*, allubescit tibi, *jecur idoneum torrere*, animum cujuspiam, qui amori magis idoneus, amando aptior sit, amore accendere. *Jecur* libibinis sedes, ut in vulgus notum: *torreri* de amoris igne dicitur; notissima ratione. Vid. III. 9. 13.

13. *Namque et nobilis*, quum nobili genere ortus sit, sc. ex illustri Fabia gente, *et decens*, forma insignis. *Decor* juvenili aetati proprius. Supra II. 11. 5. *fugit retro levis juventas et decor.* — 14. Etiam ingenii dotibus instructissimus. Pro hoc speciatim: vir eloquentissimus, magnum eloquentia sua nomen adeptus. Sed novum ad laudem facundiae ejus momentum facit, reis impensa opera, ut II. 1. 13. — *non tacitus*, disertissimus; si quando reorum causam agat. — *sollicitis* ut *moestis* l. l. perpetuo reorum epitheto. Cf. Ovid. A. A. I. 460. Fast. I. 22. ex P. I. 2. 118. Martial. V. 16. 6. — 15. *Puer*, juvenis *centum artium* μυρια εἰδώς, ingenio eximio artibusque exculto. *Centum doctum consilia* similiter Plaut. Pseud. II. 3. 12. *primarum artium principem* Terent. Ad II. 3. 6. Atque ita accipere praestat quam de astutis machinationibus, quibus amatores illaqueare student puellas; quod Maximo minus dignum foret. — 16. Is in tuis castris, tuus miles *late signa* atque arma victricia *feret*, cir-

cumferet, ubique victoria potietur, omnia expugnabis. Solenne istud de victore exercitu.

v. 17. *Et quandoque*, quandocunque, ubi felix in amore fuerit, votis potitus fuerit. Pro eo suaviter poeta, servata militiae imagine, ad rem magis adcommodata: ubi *potentior* factus, praelatus fuerit *aemulo*, rivali; pro quo significanter est, *largis muneribus aemuli*, aemulo amplissimis donis puellae animum expugnante. *Potens*, *potior*, de amatore, *priores partes* (Ter. Eun. I. 2. 71.) dejecto rivali apud amicam *habente*. Plaut. Menaechm. II. 3. 8. *huic ultro fit*, *ut meret potissumus nostrae domi ut sit.* Idem Stich. I. 2. 41. *Quem aequius est nos potiorem habere quam te?* Cf. III. 9. 2. Jam *potentior riserit* graece dictum puta pro, *riserit*, laetatus fuerit, se potentiorem factum aemulo; structura nostro frequentata. — 19. Tum tibi; voti compos factus, splendidum templum statuet. Vota Veneri in amore secundo nuncupata passim poetae memorant; h. l. templum a Maximo Veneri vovendum promittit poeta, pro re istius lautiori. Cf. II. 18. extr. Igitur vix putem, allegoricam v. 16. rationem a poeta continuari, respicique imperatorum, in bellum proficiscentium morem, Diis templa, aras cet. vovendi reque bene gesta dedicandi. — *Te marmoream ponet*, imaginem tuam de marmore factam statuet. Idem orationis color in epigr. Aeneidi praefigi solito (Catal. VI. 9.): *Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis in morem picta stabit Amor pharetra.* Ita passim Demosthenes, χαλκοῦν τινα ἱστάναι pro aeneam alicui statuam erigere. Vid. Wolf. ad ejus orat. Leptin. p. 336. P*onere* pro dedicare, consecrare, proprio hac de re vocabulo. Cf. III. 26. 6. — *sub trabe citrea*, sub tholo (ibi enim Deorum statuae collocari solitae) de materia citrea vel laminis citreis expolito. Docte autem ita declaratur templum Veneri una cum statua ejus consecrandum; cujus magnificentiam ab una ejus parte descriptam exhibet. *Citro* enim, arbori in Atlantis confiniis provenienti, maximum Romae statutum pretium, adeo quidem, ut mensae inde factae latifundiorum pretio pares aestimarentur. Maximus radicis ejus ac tuberum usus fuit in sellis, lectis, (Pers. I. 53. lacunaribus (Apulei. V. init. *summa laquearia citro et ebore curiose cavata*) pavimentis (v. Fest. in *pavimenta poenica*) ceteraque supellectili, segmentis ejus inducenda, propter macularum ac colorum a venis, quibus distincta sunt, provenientium varietatem.

Locus class. apud Plin. XIII. 15. Cf. Salmas. ad Tertull. de Pall. p. 433. Ciacon. de Triclin. p. 20. et intpp. ad Apul. l. l. — *prope lacus*, lacum *Albanum*; qui erat in nemore Albano. De eo Liv. V. 15. Virg. Aen. IX. 387. De monte Albano Noster Epp. II. 1. 27. Villam Maximum in ea regione habuisse, cum Scholl. recte statuas.

v. 21. *Illic* maximo numen tuum honore prosequetur, summa religione colet Maximus. Docte haec specialibus ideis exposita a poeta. — *Duces*, trahes *naribus*, penetrabit nares tuas *plurimus turis* incensi odor, multum turis tibi adolebitur. Elocutionis ratio in his minus quidem augusta, ad totius tamen carminis ingenium ac habitum satis adcommodata. — 22. 28. Ibi choros puerorum ac virginum instituet, hymnos ad lyrae ac tibiae numeros in tuum honorem cantantes. Paullo diductiore ornatu haec poeta. *Delectabere*, audies, *carmina*, sonos, modos (ut III. 11. 7.) *lyrae* ac *tibiae* permixtos, *non sine*, una cum *fistula*. De lyra ac tibia, rei sacrae adhibitis, satis constat; vid. I. 36. 1.; fistulae autem talis usus in monumm. antiquis satis obvius. — 25. Chori puellarum ac puerorum in omnibus fere sacris adhibiti; vid. Argum. Carm. Saec. Hoc loco *bis die laudant*, laudes, hymnos Veneri canunt, ut in sacris Isiacis; de quo vid. Heyn. ad Tibull. I. 3. 31. — 27. Cum saltatione, h. ita ut chorus ad certos carminis numeros moveretur, decantari solitos fuisse hymnos, in vulgus notum. Pro incessu ad numeros composito est *quatere*, pulsare *humum*, ut I. 4. 10. et saepius alibi. *Ter* certos modos h. l. designare videtur. — *candido* docte chorum forma insignem innuit. — *In morem Salium*, ornat, ut I. 36. 12.

v. 29 — 32. Me quidem jam amoris pertaesum est. *Nec spes* cet. ne tum quidem, si sperare s. induci possim, ut credam *animum mutuum* fore, me redamatum iri. *Animus mutuus* eodem amoris adfectu percitus. — *credula*, quae facile istud persuadet amanti, fallax, cum vi; inest enim ratio, cur amoris omnis poetam taedeat. — 31. Nec comissari juvat. Suaviter hoc propter v. 11. et quod comissationes ad juvenilem amoris lasciviam pertinerent. Speciatim autem illud poeta τῷ *certare mero*, bibendo (Vid. ad I. 36. 40.) h. liberiore compotatione et coronis convivalibus (pro quo est, *vincire*, redimire, circumdare tempora *floribus novis*, recentibus) extulit.

v. 33. Vanitatem horum dictorum ecce redarguunt amoris, diu suppressi, nunc subito prorumpentis manifesta indicia, quae poetae invito excidunt. Omnino multam artem ostendit poeta in tractando hoc loco. Exquisita statim apostrophe ad Ligurinum, fundi calamitatem. Tum oratio ambigentis est in re tam manifesta, quasi sibi ipse vix persuadeat; se in luto adhuc haerere. — 34. *lacrima rara*, quae furtim derepit genis ipsi nec advertenti elapsa. Adposite Meleag. LIII. 1. (A. Br. I. 16.) Αἰεί μοὶ δύνει μὲν ἐν οὔασιν ἦχος Ἔρωτος, ὄμμα δὲ σῖγα πόθοις τὸ γλυκὺ δάκρυ φέρει. Cf. I. 13. 6. Adde Lucian. DD. VI. p. 271. — 35. Alterum amoris indicium *silentium*, haesitatio *inter verba* in media oratione. Virg. Aen. IV. 76. de Didone amore saucia: *incipit effari, mediaque in voce resistit*, qui locus ductus ex Appollon. III. 685. πολλάκι δ' ἱμερόεν μὲν ἀνὰ στόμα θῦεν ἐνισπεῖν. φθογγὴ δ' οὐ προύβαινε περαιτέρω. A Nostro Sapphica magis expressa: ἀλλὰ κάμμεν γλῶσσ' ἔαγε. *Lingua cadit*, vox concidit, intercipitur *silentio*, obmutescit plane. — *parum decoro*, parum decenter.

v. 37. Cum variatis imaginibus vides orationem quoque docte variari a poeta. Somnia Ligurinum eo statu referunt, quo poetae interdiu curam sui injecisset. Praeclare adeo exornatur ita vulgaris sententia, etiam per somnos tua mihi obversatur imago; quod et ipsum invite succumbentem amori poetam ostendit. — *jam captum teneo*, nunc tenere mihi videor, nunc sequor *volucrem*, volantem, celerrimum *per gr. campi M.* in campo M. — 40. Te, finitis exercitationibus, natantem in Tiberi. *Volubiles* vel perpetuo epitheto, vel a natatu ejus; quod malim. Vim quaesivit poeta a repetito *te*, quod facile animadvertas. *Durum* ac superbum Ligurinum ostendit c. X. hujus libri.

ARGUMENTUM II.

Quum Augustus perdomitis, qui rem Romanam, adflixissent, Germaniae populis, ma-

xime Sygambris, quibus, acceptis obsidibus, pacis leges imposuisset, in maxima Romae exspectatione esset (quamquam eam tum frustrarentur curae ipsius ad Galliam atque Hispaniam componendam conversae), omnesque intentius id agitarent, ut redeuntem eum summo cum adparatu ac splendore exciperent, poeta vel sponte, ut et ipse in publicae laetitiae communionem veniret, vel a Iulo Antonio excitatus, ad Augusti reditum ac triumphum carmine celebrandum, ita se componit, ut, quum Pindarici spiritus artisque argumentum professus esset, ingenii sui modulum atque imbecillitatem excuset, Antoniumque vicissim, quippe tanto conatui unice parem, ad illud in se recipiendum, sedulo exhortetur. Quae conversio dici vix potest, quam exquisitam poetae artem in Augusti magnitudine repraesentanda augendaque ostendat, maxime, si eum vi ac spiritu plane Pindarico ista profiteri videas. Ita enim hoc carmen instruxit poeta, ut Pindarici ingenii gravitatem, magnificentiam, adde etiam redundantiam (inde a v. 5.) adsequi voluisse videri debeat, etsi omnino inde, quod fere intpp. volunt, ab Antonio ei Pindaricum, quo Augusti triumphum extolleret, carmen injunctum fuisse, statuere vix necesse arbitror. Dum autem munus istud Antonio demandat, singulare poetae artificium vide, quo ipse illud, per partes eundo ac praecipiendo, quae in isto carmine describi cupiat, explere conatus sit. In quo etiam illud animadversione dignum est, quod, quo magis vigerent omnia, rem ad pompam triumphalem transtulerit, carmenque epinicium cum formulis triumphatori adclamari solitis plane commiscuerit. Quod ipsum quam

a Pindarica ratione haud alienum sit, tum confusum laetitia poetae animum in Augusti reditu mirifice ostendit. Scriptum autem hoc carmen esse jam exeunte a. DCCXXXVIII. quo Augustum post devictos Sygambros Romam statim triumphantis habitu rediturum fama ferret, vel inde suspicari licet, quod nulla dum Rhaetorum ac Vindelicorum, proximis demum annis victorum, in eo occurrit mentio. Ceterum de Iulo Antonio, Marci e Fulvia filio, vid. Dio LIV. 26. *Vellei. II.* 100. *et ad v.* 33.

Adnotationes.

v. 1. Nobilissimum ac vere Pindaricum exordium! Vulgaris vv. 1—32. sententia erat: Augusti victoriis celebrandis impar sum; Pindari ingenium exprimas necesse est, si cum laude in tam gravi argumento versari cupias. Quod quam arduum ac difficile sit, facile perspicitur. Adeo ille supra omnes eminet in quovis poeseos genere. Iam intelligis, opinor, exquisitum artificium poetae in convertenda tractandaque hac vulgari sententia, ad Pindaricam rationem plane conformatum. Quo illud statim pertinet; quod primariam sententiam, qua Augusti laudibus canendis se sufficere negat, ita convertit, ut simpliciter se Pindarum exprimere velle sibi non arrogare profiteatur, hocque generatim eloquatur, *quisquis* cet. Qui Pindarum sibi aemulandum proponit, ad ejus majestatem adsurgere conatur, sane quam periculosam rem ille adgreditur. Παροιμιῶδες; quid posterioris sententiae habet enuntiatio, qoud et ipsum amat Pindarus, tantoque adpositius h. l. ob volatum, poetis tribui solitum. — *nititur pennis*, sustinetur, librat se in aëre (ut Virg. Aen. IV. 252. *paribus nitens Cyllenius alis*) alis *ceratis*, cera connexis; quod conatus temeritatem magis oculis subjicit, quam generalius, factis, formatis, *ope Daedalea*, Daedali artificio. Est adeo pro, volatus ejus altior haud tutior est, quam Icari; volat ita, ut Icari sortem experturus sit, ex alto decidat. Hoc per consequens poeta: *daturus nomina ponto.* Res nota vel ex Ovidio. Cf. Senec. Herc. Oet. 685 et 690. — *vitreo*,

viridis coloris, caeruleo. Vid. ad I. 17. 20. Ceterum spectat huc Quintiliani locus, Inst. Or. X. 1. 61. etiam propter sqq. hic adponendus: *Novem Lyricorum longe Pindarus princeps, spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, et velut quodam eloquentiae flumine; propter quae Horatius eum merito credidit nemini imitabilem.* De Iulo Antonio vid. Argum.

v. 5. Pindarum poetarum longe principem, neminique adeo imitabilem dum ostendere vult poeta, ecce magnitudine ejus perculsus transversimque raptus in laudes ejus, tanquam solam hanc exornandam carmine sumsisset materiem, copiosus exundat, hocque ipso felicissimum sese Pindari imitatorem probat. Praeclare autem Pindaricas virtutes, spiritus ejus magnificentiam, beatissimamque rerum verborumque copiam una imagine poetica, et ipsa Pindarica, et masculo vigore expressa repraesentat poeta. Scilicet solenne Pindaro aliisque poetis, phantasmatum ubertatem, copiosum verborum ornatum, sonoram numerosamque orationis volubilitatem *flumini* comparare. Ita ῥοὰς Μουσῶν habes Nem. VII. 17. et ἐπέων ῥοὰς Isthm. VII. 26. Magis splendide Ol. X. 13. Νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν ὁπᾶ κῦμα κατακλύσσει ῥέον; denique Ὁμηρικὸν ῥεῦμα est in epigr. incert. n. DXIX. 3. Anal. Br. III. 260. Jam, quo concitatiorem Lyrici istius spiritum referret, auctiorem exhibuit istam imaginem poeta, comparando eum *amni* de monte praeceps ruenti, quem *imbres aluere*, auxere *super ripas*, docta brevitate pro, ita ut ripas evagetur *notas*, quibus contineri solitus erat; Homerica exornatione, Il. XI. 492. ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισι χειμάῤῥους κατ' ὄρεσφιν ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ cet. Talem εὔροιαν, ut similiter Plato in Phaedro T. III. p. 238. adpellat, Demostheni ac Ciceroni tribuit Iuven. X. 119. *utrumque largus et exundans leto dedit ingenii fons.* — Eodem impetu, eadem immensa copia praecipitatur exundatque Pindari spiritus atque ubertas. Sed praeclare continuatur a torrente desumta imago, sicque plane commisceri comparans cum comparato videas; quae ipsa Pindaro admodum frequentatur ratio, veluti Pyth. IV. 515. et saepius alibi. — *fervet*, καχλάζει, ζέει, ἀναζέει, aestuat, concitato spiritu fertur, et *immensus ruit*, πολὺς ῥεῖ (quod Demosthenes de Pythone Byzantio ait) *torrente dicendi copia* (Juven. X. 9.) exuberat *Pindarus ore profundo* h. os profundum, βαθὺ στόμα, Pindari. Potest etiam jungi *immensus ore profundo*,

quod copiose dictum esset pro alterutro, immenso s. profundo ore ruit Pindarus. Εὔροα στόματα similiter Eurip. in Hippol. Καλυπτ. fr. IX. 3. p. 448. Lips. et orationem Aeschyli χειμάῤῥῳ οἷα καταῤῥομένην Dioscor. XVII. 4. (Anal. Br. I. 497.) dicit. Omnino *os* proprium poetis ob vim atque copiam dicendi; unde μέγα στόμα Homerus Antip. Sid. LXIX. 1. (A. B. II. 24.) στόμα δεξιὸν πάντων ἀρχαίων Aeschylus Dioscor. l. l. atque vel Vellejo I. 18. 3. *os Pindari* dicitur. Optime autem *os profundum* Pindari illustrat Cratini fragm. apud Suid. v. Δωδεκάκρουνον στόμα. Ἄναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων! καναχοῦσι πηγαί, δωδεκάκρουνον στόμα, Ἰλισσὸς ἐν φάρυγγι. Idem phantasma est in Callim. H. Apoll. 106. οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος, ἀείδει et in Stat. Silv. V. 3. 103. *effreno nimbos aequare profatu*, quod tamen, proprius ad verba Ulyssis νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσι Homeri Il. III. 222. accedit; qui locus omnino pro fundo haberi debet. *Magno nobis ore sonandus eris* Ovid. A. A. I. 206. *Magni nunc erat oris opus* Propert. II. 10. 12. Contra βραχὺ στόμα exuberante argumenti materie, Pind. Nem. X. 35.

v. 9. Poeta, in quovis poeseos genere principatum obtinens, excellens, *seu*, *seu*. — *Donandus laurea*, coronari dignus, tanquam victor, in agone poetico; palmam aufert, praestantissimus est. *Apollinari*, inusitata forma pro, Apollinea, ornante epitheto, ut *lauru Delphica* III. 30. 14. — 10. Concitatiorem atque plane effrenem Dithyrambici carminis impetum, summam mentis perturbationem ac σχῆμα Βακχικὸν prae se ferentem, vide quam vivide ac signate descripserit poeta! Jam pro vulgari: Dithyrambos scribere, doctius et ad enthusiasmi, qui Dithyrambis cum maxime proprius est, declarandam indolem adcommodatius est, *verba devolvere*, orationem torrentis instar praecipitare *per Dithyrambos*, servata exundantis fluvii imagine. — *nova verba*, haud vulgaria, compositione; (τῶν γὰρ ὀνομάτων τὰ μὲν διπλᾶ (imo *sesquipedalia*) μάλιστα ἁρμόττει τοῖς Διθυράμβοις Aristot. Poet. c. 22.) junctura, significatu denique innovata, cum novo orationis habitu, atque structura. Unde *audaces*; quod et ad sqq. referendum. — 11. *numeros lege solutos* intellige effrenes, liberiores, concitatiores, quos amat atque requirit adeo efferatior enthusiasmi aestus. Est adeo: *fertur numeris, lege solutis*, praecipitatur, exundat *numeris*: allegoria iterum a fluvio deducta. Is enim *legem* servat, aquis intra alveum defluentibus; qua *sol-*

vitur, dum exundat. Ita si explices, rei et ornatui poetico sane quam adcommodatum erit. Referendum adeo ad incessum Dithyrambici carminis vegetum, atque incitatum, sententiarum flumine per plures versus atque strophas adeo exuberante. Alii lege solutos numeros dici volunt, quibus nulla certa versuum harmonia subest, ubi non ejusdem metri vv. certis intervallis sese excipiunt, sed promiscua metri ratio est. Quod etiamsi pro explorato statuatur, minus tamen poeticum videtur.

v. 13. Sequuntur Παιᾶνες, Ὕμνοι et Ἐγκώμια Pindari; illud quidem carminis genus cum Hymnis *Deorum*, hoc *regum* s. heroum laudes complectens. Ad Paeanas spectat Servii nota ad Virg. Aen. X. 737. „*Pindarus opus suum*; *quod et hominum et deorum continet laudes*, *Paeanas vocavit*" quae quam adcurata eorum descriptio sit, quum hodie, iis plane deperditis, dictu admodum difficile sit, tum rei ulterius explorandae hic locus non est. Servianam tamen rationem optime tuearis si *Hymnos*, et *Encomia* generali *Paeanum* vocabulo a Pindaro designata fuisse statuas; quam ipsam ob causam utraque hic forte conjunxerit Horatius. — *Deorum sanguinem*, filios; nam omnes heroes genus suum ad deos referebant, ut in vulgus notum. Heroes autem *reges* dicti, graeca ἀνάκτων adpellatione, in Homero, Pindaro, et aliis; de Diis heroibusque passim obvia. Βασιλεῖς διογενεῖς male huc vocant nonnulli intpp. quod vel seqq. evincunt. — 14. Encomia ornatius exponit poeta, adlatis eorum argumentis, a Pindaro tractatis. Primum, quod designatur a poeta, extollebat Herculis, Thesei ac Pirithoi virtutem in Centaurorum ὕβρει, ipsorum caede vindicanda ostensam; ad quod haud dubie fragmentum spectat, quod ad ἄδηλα rejectum est, n. LX. p. 111. De ipsa fabula vid. ad I. 18. 8. — *justa morte ceciderunt*, jure caesi sunt, ob vim Hippodamiae intentatam. 15. 16. Alterum Bellerophon Chimaeram occidens Cf. ad I. 27. 23. et quae de fabula ista acute disputat, Boettig. in Descript. Vas. P. I. p. 101. — *flamma Chimaerae*, Chimaera πυρίπνοος, ut II. 17. 13. Hinc *tremenda* ἀμαχον τέρας.

v. 17 — 20. Carmina ἐπινίκια in Hieronicas, quae sola nobis haud invidit fortuna. *Sive dicit*, canit, celebrat eos, *quos palma* cet. victores in ludis Olympicis. Hos pro universis Graeciae ludis memorat poeta, tanquam illustriores ceteris, quod vel e splendido Pind. Ol. I. 1. exordio intelligitur. *Palma Elea*, in ludis Olym-

picis, juxta Elidem habitis, parta *coelestes domum reducit*, non est, quod fere volunt, inversio vulgaris sententiae; victoriam domum reportant, eoque coelestes sunt; quae Horatio parum digna est; sed potius, *coelesti*, splendido, plane eximio ipsos in civitates suas redeuntes honore beat, gloriosissimum ipsis reditum munit, speciali, qui victoribus a civibus suis haberetur, honore memorato pro generali, quos Diis exaequat, victoria, ad summum felicitatis fastigium evehit, uti passim de iis Pindarus loquitur Vid. ad I. 1. 6. unde Vitruvii locum, L. IX. praef. qui nostrum mire illustrat, hic transferre operae pretium erit; *Graecorum majores* hieronicis *ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam quum revertantur in suas civitates cum victoria triumphantes, quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* — 18. E certaminum generibus posuit poeta pugilatum, πυγμὴν et certamen equestre; in quo possis et *equum* κέλητα, solum victorem intelligere, quandoquidem is ipse victoriae insignibus atque honoribus, nummis, inscriptionibus et statuis condecorari solebat; de quo adeo poeta rectissime dicere poterat, palmam eum *coelestem*, h. eximie honoratum *domum reducere*, quamquam haec *pugilis* magis respectu dicta a poeta, uti et seqq. — 19. 20. quod *munus*, carmen epinicium *potius* est, praeferri meretur *centum signis*, statuis, in victoris honorem erigi solitis; quod adeo maximum victoriae ornamentum est, propter ejus diuturnitatem. In exornanda hac sententia poetam sese ad exordium Pind. Nem. V. οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμ' ὥστ' ἐλινύσοντα μ' ἐργάζεσθαι ἀγάλματ' ἐπ' αὐτᾶς βαθμίδος ἑσταότα, composuisse, facile fidem facit narratio, quam ibi Schol. adfert super initii istius adornatione.

v. 21 — 24. Θρῆνοι, de quibus vide judicium Dionysii Halic. T. II, p. 128. Cf. Schneider. ad fragm. Pind. p. 30 sqq. Jam vulgare, seu carmine epicedio mortuos laudat, delecte poeta speciali istius generis argumento, inde delibato, tenerrimique adfectus pleno, exposuit. *Juvenemve*, sive juvenem *plorat*, θρηνεῖ (proprio vocabulo) carmine ἐπικηδείῳ prosequitur, *raptum*, praematura morte ereptum *sponsae flebili*, contristatae, maerore inde oppletae; ornat. — 22. *educit in astra*, extollit, celebrat cum carmine aetatem laturo) ut Catull. VI. 16. *Volo te ac tuos amores ad coelum lepidò vocare versu*) propter eximias ejus animi

corporisque dotes. *Vires animumque*, ἀνδρείαν, ἀρετὴν, Pindarico sensu. — *mores aureos*, ἦθος χρυσοῦν, optimos, Vid. ad I. 8. 9. — et morti eripit, mori istas virtutes non sinit; exquisite, ex *invidiae*, quae alteri, quidquid boni habet, eripere gestit, natura. Cf. IV. 8. 25. Contra Ἀΐδης βάσκανος dictus Leonid. Tar. LXXXI. 4. (A. Br. I. 241.) quatenus homines virtute quapiam conspicuos immatura aetate rapit.

v. 25. Excelsus ingenii Pindarici nisus, qui in istis carminibus, a Nostro percensitis, deprehenditur, praeclare cycni, altissime volantis, specie jam repraesentatur atque sensibus plane subjicitur a poeta. Poetis quum propter τὸ ἐνθουσιῶν, quo incalescunt et efferuntur, volatus tribuatur (v. ad II. 20. 1. Adde Pind. Pyth. V. 152. ἐν Μοίσαισι ποτανός), exquisita est hujus phantasmatis exornatio, quae eos cycnis, et altius enitentibus, et, ut poetarum saltem credi vult persuasio (Callim. II. Apoll. 5. ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει), inter volandum suavissimum cantum edentibus, adsimulat. Jam vulgaris sententiae; Pindarus, cycni instar, effertur, in altum evolat; enuntiatio est prorsus Pindarica, commixtis comparantis et comparati coloribus, a Nostro passim ad partes vocata. — *Dircaeus cycnus*, Pindarus Thebanus a Dirce, fonte Boeotiae, fabulis famigeratissimo. Similiter Alcaeus, κύκνος Λέσβιος, si Codd. lectionem sequaris, dictus Incert. ep. DXX. p. 6. T. III. p. 260. cf. Anthol. Brod. p. 135. et Anacreon κύκνος Τήϊος Antip. Sid. LXXVI. (A. B. II. 27.) ὁ Τήϊος ἐνθάδε κύκνος εὕδει. Cf. I. 6. 2. — *Aura levat*, graphice de volatu, ut I. 2. 48. — *multa aura*, πνεῦμα μέγα, δεινὴ ἀέλλα, qua cycni *penna haud tenuis* (II. 20. 1.) ad enitendum opus habet, quaque altissime elevatur. Alii expediunt, *multum* eum aura levat, eodem quidem sensu; quod tamen nescio an poeticus sermo ferat. Certe in Virgilii locis, quae adferunt (Ge. I. 187. II. 166.) parum praesidii videtur esse huic explicationi. — 26. *Quoties*, quando exsurgit, sublimem volatum molitur. *Nubium tractus*, regiones, nubes *altae* pro summo aëre. Proprie autem poetae dicendum fuerat: multa aura in altas nubes elevat cycnum, quoties volatum parat, evolat. — 27. Ego vero humilia sector, vix supra terram attollor. *Repentes per humum sermones* suos similiter designat Noster Epp. II. 1. 250. Quo suavior autem ad cycnum illustriorque exsisteret oppositio; dulcissima illam eademque aptissima apis flores humi pervagantis atque mella legentis exornat imagine, cum

eaque studium suum confert mellitus poeta. Celebratissimae sunt poetis graecis, maxime Pindaro, κῆποι Χαρίτων, λειμῶνες Μουσῶν, quorum flores poetae vel decerpere, iisque, quem celebraturi sunt, coronare, vel, apum instar, depascere profitentur. De priore phantasmate exposuimus ad I. 26. 8. Allatis ibi locis adde Pind. fr. p. 53. Heyn. ὑφαίνω δ' Ἀμυθαονίδαις ποικίλον ἄνδημα. Posterius mirifice illustrat Platonis locus, a Boettig. jam laudatus, in Io. T. IV. p. 187. Bip. λέγουσι γὰρ πρὸς ἡμᾶς οἱ ποιηταί, ὅτι ἀπὸ κρηνῶν μελιῤῥύτων, ἐν Μουσῶν κήπων τινῶν καὶ νάπων δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσιν, ὥσπερ αἱ μέλιτται, καὶ αὐτοὶ οὕτω πετόμενοι. Unde provenit solennis poetarum cum apibus comparatio. Ἀτθίδα μέλισσαν inde Sophoclem perhibet antiquitas, juxta Schol. ad ejus Tragg. atque hac adpellatione indigitat eum Hermesianax apud Athen. XIII. p. 598. Sappho quoque Πιερικὴ μέλισσα λιγύθροος dicta in epigr. apud Ursin. p. 5. et Erinna νεαοιδὸς μέλισσα, Μουσῶν ἄνθεα δρεπτομένη Leonid. Tar. LXXXI. 1. (A. Br. I. 241.) Inde Claudian. XXIX. 6. *flores aeterno — veris honore rubentes fons Aganippea Permessius educat unda; unde piae pascuntur apes et prata legentes transmittunt seclis Heliconia mella futuris.* Hinc carmina simpliciter, *mel*, *favi Musarum* dicti, νέκταρ χυτὸν Pind. Ol. VII. 12. Incert. ep. DXXIII. (A. Br. III. 261.) Λέσβιον Ἠρίννης τόδε κηρίον ἁδύ τι· μικρὸν, ἀλλ' ὅλον ἐκ Μουσέων κιρνάμενον μέλιτι, et poetarum *labia nectarea*, *melita*, quae ulterius persequi nihil attinet. Magnam autem venustatem imagini conciliat oratio ad anthologiam et mellificium adcommodata. *Matina*, Matini, Apuliae montis, Venusiae, poetae patriae, vicini incola. Iam hoc epitheto lectorem ad se revocare putandus poeta. — 28. *More* circa flores vagandi et *modo* mellis inde conficiendi, si omnino diversa notione posuit poeta. — 29. *thyma carpentis*, θρεπομένης, depascentis succos mellis inde delibantis. — *grata*, dulcia, quibus lubentissime immorantur. — *per laborem plurimum*, laboriose, multo cum labore, sedulitate, ipsis insita. — 30. Volitans *circa nemus et ripas*, floribus abundantes, *Tiburis*; suaviter pro, in secessu Tiburtino. Eodem colore, ab apibus ducto, Antiphanes κρηναῖα καὶ ἀνθεσιπότητα μέλεα vocat apud Grot. Excerpt Trag. p. 631. — *uvidi* perpetuo epitheto. Vid. ad III. 29. 6. — 31. *carmina operosa*, operose, instar apis (nam huic πόνος proprius in melle faciendo. Phocyl. 159. κάμνει ἠεροφοῖτις ἀριστοπόνος τε μέλισσα cet.) *fingo*,

πλάττω, vocabulo de mellificio proprio: v. c. Antip. Sid. XLVIII. 3. (A. Br. II. 19.) *ξουθὸς περὶ χείλεσιν ἑσμὸς ἔπλασε κηρίδετον, Πίνδαρε, σεῖο, μέλι.* Spectat autem *τὸ operosum* ad poetarum *μελέτην*, et ipsam ideo pro carminibus poni solitam. Τῷ *parvus* quod imaginem ab ape petitam suaviter continuat, se tenui facultate poetica praeditum profitetur modestus poeta.

v. 33. *Tu* vero (pro quo signate est *poeta*) multo dignius victoriam Augusti de Sygambris reportatam *concines*, carmine celebrabis. Antonium horoico metro Diomedeas (f. Diomedeida. Ad rem conf. Heyn. Exc. ad Virg. Aen. XI. 243.) scripsisse XII. libris et nonnulla alia oratione soluta tradit Schol. Cruq. Graviore lyrae sono opus est, in argumenti gravioris tractatione; lyra adeo impellenda *majore plectro*, cui *levius* opponitur, in levi materia. Utrumque conjunxit Ovid. Met. X. 150. *Cecini* plectro graviore *Gigantas, sparsaque Phlegraeis victricia fulmina campis: nunc opus est* leviore lyra. Vid. omnino ad II. 1. 40. Docte ita designavit Antonium grandioris spiritus poetam, qui epicam gravitatem lyra sustineret. *Concines*, canes ad lyram, s. lyra, ut saepius Ovidius; veluti Amor. III. 9. 24. Fast. IV. 110. Poeta enim et lyra accinunt invicem. Cf. I. 32. 2. Male Scholl. concines *mecum*, quo totius carminis vis perimitur. Mirum autem, de verborum junctura *mai. pl. concines*, dubitari potuisse. — 34 — 36. Graphica Augusti triumphantis descriptio! — *quandoque*, pro quando, ut et alibi Noster. — *trahet*, verbum usitatum poetis de captivis. Vid. ad II. 4. 5. Cum vi h. l. pro, in triumpho ducet, *Sygambros*, adjecta vinculorum notione, quibus traherentur. Similiter II. 12. 11. *ductaque per vias regum colla minacium*. De re vid. Dio LIV. 20. Flor. IV. 12. — *feroces*, auget Augusti gloriam; *caede gaudentes* iidem populi dicti IV. 14. 51. — 35 *per clivum* Capitolii, per quem pompa triumphalis in Capitolium ducebatur; res nota. — *sacer*, propter Capitolium, deorum sedem, vel si linguae ratio ferat, propter sacram triumphi pompam, clivum adscendentem. Male Porphyr. de via *sacra*, qua triumphus in Capitolium ibat, accepit. — *decorus fronde*, radimitus lauro, laureatus. — *merita*, devictis Sygambris. Justum triumphum a poeta ita declarari volunt intpp. sine causa.

v. 37 — 40. *Caesarem*, maximum et optimum Principem. *Nihil majus*, neque major unquam quisquam, *meliusve*, neque me-

lior eo exstitit. Eadem forma I. 12. 17. adde Ovid. ex P. I. 2. 100. *Alma* nihil majus Caesare *terra ferat*. Pro „exstitit" delecte poeta, *fata* et *Divi donavere terris*, gigni voluere, concessere mortalibus, propter adjunctam summi boni, quo universus terrarum orbis recreatur, notionem. — *boni*, θεοὶ ἀγαθοὶ (uti etiam in nummis occurrunt. Vid. Spanhem. de praest. et usu Num T. II. p. 336.) benevoli; adposito epitheto. Cf. IV. 5. 1. — 39. 40. *Nec dabunt*, donare possunt, *quamvis tempora in priscum aurum redeant*, iterum mutentur, si vel maxime aurea aetas reditura sit; quia in ista omnes probi. — *priscum*, in qua primi homines vixerunt. Ad sententiam Noster Epp. II. 1. 17. de Augusto: *nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes*.

v. 41. Praeclarum poetae artificium est, quo Augusti triumphum, dum Antonio canendum injungit, ipse vere celebrat, praeformando ei suggerendoque ad illud carmen materiam, quae ab eo digeratur. — *publicum ludum Urbi*, ludos a Senatu pro felici Augusti reditu diis votos, nunc edendos, *impetrato* isto a diis, reduce Augusto facto. Vota pro incolumi Augusti reditu publice privatimque fuisse facta iisque sese exsolvisse populum diserte tradit Dio LIV. 19. et 27. — *fortis*, Gallia, Germania et Hispania perdomita. — *forum litibus orbum*, in quo nullae causae aguntur; declarantur *dies laeti* s. festi, per quos ab consuetis negotiis vacabant Romani. Alias solenne hoc justitium in publica calamitate.

v. 45. Varias ab intpp. rationes iniri videas ad difficillimam, mea quidem sententia, vv. 45 — 52. sententiam ejusque cum antecedentibus nexum expediendum ac declarandum; quamquam sunt, quibus de difficultate loci parum exploratum videatur. Equidem mea ita tenebo, ut probabilioribus, si quae adlata videro, primus omnium adplaudam. Designatam proximis vv. 41 — 44. dierum festorum, quibus populus Romanus laetitiam suam de recepto Augusto testificaturus sit, solennitatem, quam ab Antonio cani velit, poeta ipse vividissimis coloribus adumbratum subjicit, partes istas ab Antonio sibi demandatas, etsi iis explendis se plane imparem profiteatur; in se recipit, egregieque tuetur. Deseruit igitur vulgarem sententiarum seriem, ita fere instituendam: Concines tu laetitiam universi populi, faustis adclamationibus eam prodentis, ipsam hanc statim subjiciendo, atque ita describendo, ut suos laetitiae sensus primarios faciat, quamquam eos,

intentiore voce ostensos, in effreniori omnium gaudio atque exsultatione vix perceptum iri sperare audeat. Occupatur igitur jam poeta describenda revertentis Augusti pompa, animoque praecipit, quantis eum plausibus populus Romanus excepturus sit, sicque munus capessit, cui se subtrahere videri vult. Haec si animo teneas, rectius de singulis statuere licebit. *Tum*, ubi Augustus Urbem intraverit, *accedet* adclamantium turbae (minime vero, ad magnificos cantus tuos sc. Antonii, ut volunt) adjungetur *bona*, magna *pars meae vocis*, adclamabo ei altissima, qua potero, voce; inter adclamantium voces mea imprimis exaudietur. *si quid loquar audiendum*, si tamen quid efficere potero, si vox mea, quantumvis intenta, exaudiri poterit; exquisite prorsus ita Augustus declaratur universo populo desideratissimus, cui ardentissima studia sua ita adprobare adnititur, ut de praerogativa cum quovis contendat. Importuni igitur sunt, qui Horatium Antonio succinentem (quo quid sibi velint, ne adsequaris quidem) faciunt, et verbis *si quid loquar aud.* verecundiae sensum subjiciunt; quo vix alienius quidquam adferri poterat. — 46. Sequuntur adclamationum formulae, *o Sol pulcher*, *o laudande*, o lucem pulcherrimam, o diem praeclarum, qui te nobis restituit. Pro hoc ex sua persona poeta: *canam*, accinam, adclamabo ego *felix*, felicissimum me mortalium existimans, adeoque laetus, exsultans ob *receptum*, redditum *Caesarem*.

v. 49. Si satis constaret, quod quidem admodum probabile videtur, illos quoque, qui triumphatorem in pompa praecederent ac sequerentur, suum *io triumphe* victori adclamasse, versus hos ita expediendos censuerim: *Dum tu* in ista pompa *precedis* et exclamas (quod Pindarica ἐνεργεία omittitur) *io triumphe*; nos turba spectatrix, (pro quo est, *civitas omnis*) *non semel*, iterum iterumque *dicemus*, respondebimus, vicissim adclamabimus, *io triumphe*, sensu sane quam commodo, reique dignitate conveniente. Atque ita etiam ratio adparet, cur poeta non Augustum sed Antonium e pompa triumphali posuerit. Si tamen paullo durior haec videatur explicatio, dicendum universam pompam triumphalem Antonio, parte ejus, designari, idque non aliam ob causam, quam quod carmen hoc ad eum scriptum sit: quae sane quam levis sit, in promtu est videre. Aliorum argutias, quas bene multas adfudere huic loco, excutere nihil attinet. — 51. *tura dabimus*, adolebimus *Diis benignis*, reditum Cae-

taris benigne praestantibus. Incendi ista solebant in aris, per plateas, quas pompa ista attingeret, erectis.

v. 53. Ab incenso ture naturali ordine defertur poeta ad describenda sacrificia, publice privatimque isto die diis offerenda. Sed revocat iterum generalem sententiam ad se et Antonium, et utriusque sacrum cujusque facultatibus adcommodat. Simillimus exitus est II. 17. Jam pro vulgari: tu exsolveris voto, immolandis decem tauris, immolabis X tauros, quos diis vovisti; ego vitulum: nobilius est, *te solvent* X *tauri.* Trita satis loquendi ratione, qua vota nuncupantes *obligari* diis, reque, quam propter facta sunt, exitum habente, iisdem *debere* (Virg. Aen. XI. 52.) dicuntur: *solvuntur* adeo, nomen expungunt, qui, quae voverant, diis offerunt. — 54. *tener v. relicta matre*, vixdum a matre depulsus, *quem jam pudet ubera matris ducere*, ut in eadem re Juven. XII. 8. — 55. qui *juvenescit*, adolescit, *in mea vota*, destinatus est huic sacro votivo. Cf. ad III. 23. 11. — 57. 58. *imitatus fronte*, cornua gerens fronte similia *curvatis ignibus*, cornibus *Lunae*, *tertium ortum referentis*, die tertio a novilunio orientis. Mosch. II. 87. ἶσα τ' ἐπ' ἀλλήλοισι κέρα ἀνέτελλε καρήνου ἄντυγος ἡμιτόμου κεραῆς ἅτε κύκλα σελήνης. Pessime alii ad seqq. trahunt, et notam μηνοειδῆ designari contendunt. — 59. 60. *niveus videri* λευκὸς ἰδέσθαι (v. c. Theocr. XI. 20.) candidus ea parte, *qua notam duxit*, habet, alba nota insignis; nihil amplius. *ducere*, *trahere*, de nota s. macula, quae diverso colore distinguitur, sollenne. — *cetera* τάδ' ἄλλα, reliquis corporis partibus. Eadem rei species in θεοταύρῳ apud Mosch. II. 84. Τοῦ δ' ἤτοι τὸ μὲν ἄλλο δέμας ξανθόχροον ἔσκε, κύκλος δ' ἀργύφεος μέσσῳ μάρμαιρε μετώπῳ.



ARGUMENTUM III.



Felicissimum mortalium facultate sua poetica quaesitaque inde carminibus inter populares suos fama ita se hoc carmine jactat Ho-

ratius, ut in summa arrogantia arrogantiae prorsus expers videri cupiat, hocque insigni artificio omnem a se invidiam amoliatur. Quo quidem lenocinio ita te deliniri sentias, ut Horatium, ita de se loquentem, non tantum suspicias, sed te amoris etiam quodam erga eum adfectu perfundi animadvertas. Atque hanc potissimum causam subesse arbitror, quod hocce carmen in venustissimis Horatiani ingenii monumentis unamime omnium aetatum habuerit judicium. Nimirum Musis dum se acceptum ferre profitetur, quod vi ingenii poetica polleat, studiisque poeticis ita deditus sit, ut unice inde, vel splendidissimis laudum titulis posthabitis, gloriae sibi quaerendam existimet materiem; tantum abest, ut hanc sibi ipse vindicet gloriam, gloriabundique personam induat, ut potius ad Musas eam totam referat, iisque, quae illud in se munus contulerint, gratum suum testari gestiat animum. Facile ex his intelligitur, quam feliciter in tractando hoc argumento poeta versatus sit, sicque, quam a natura tributam haberet, satis luculenter comprobaverit venam ingenii poeticam. Exquisitae ac doctae argumenti tractationi docta accedit ac nitida eloquutio, numerorumque admirabilis suavitas; ut omnino hoc carmen in consummatissimis antiquitatis operibus habere fas sit. Quamquam autem magna inter hoc et L. I. c. 1. intercedat similitudo; obvia tamen animadversio est, utrique suum esse habitum, suam tractationem: quum in altero studium suum poeticum, in hoc maxime partam inde aeternam nominis jactet gloriam.

Adnotationes.

v. 1—12. Qui facultate poetica pollet, ad poesin natura factus est, is unice ejus studio delectatur, unice inde laudem quaerit. Minus arrogantiae atque invidiae habet sententia generatim proposita, quam si initio statim hac se felicitate poeta extulisset; quo etiam facit illud, quod Musarum propitio numini hanc facultatem partamque inde laudem acceptam fert. (Vide Callim. locum, mox ad partes vocandum.) Jam quibus Musae propitiae sunt, quos amant; in hos munera sua liberaliter conferunt, hi poetae evadunt; vid. ad I. 26. 1. Pro illo Horatius: quem *nascentem*, vix dum in luminis auras editum Musae (e quibus *Melpomenem* ponit, forte poeseos lyricae respectu; quo adeo sententiam ad se tacite convertit) *placido lumine viderint*, placidis oculis, placido vultu, εὐμενῶς, adspexerint; suavissima imagine post Hesiodum (Hesiod. Theog. 82. ὅντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο, γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι — — τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἀοιδὴν cet.) a graecis poetis passim adhibita varieque exornata. Callim. XXII. 4. ὁδ' ἤεισεν κρείσσονα βασκανίης· Οὐ νέμεσις. Μοῦσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας μὴ λοξῷ (ut recte praefert Ruhnk. ep. cr. II. p. 146.) πολιοὺς οὐκ ἀπέθεντο φίλους. Theoc. IX. 35. ἐμὶν Μῶσαι φίλαι· οὓς γὰρ ὁρεῦντι γαθεῦσαι, τὼς δ' οὔ τι ποτῷ δαλήσατο Κίρκη, h. ii nullis aliis illecebris capiuntur. Stat. Silv. V. 3. 121. *Protinus exorto dextrum risere Sorores Aonides, pueroque chelyn submisit et ora imbuit amne sacro jam tum tibi blandus Apollo.* Omnino Dii bona sua cum hominibus communicant solo adspectu, suavi figmento. Ita fortuna respicit (Aristaen. I. 19. init. Μελισσάριον εὐμενέσιν ὀφθαλμοῖς, εἴπερ ποτε καὶ νῦν εἶδεν ἡ Τύχη) quem felicem; Libertas (Virg. Ecl. I. 28.), quem liberum praestat. De Gratiis pulchritudinem ita donantibus vide Meleagri XXIII. 1. (A. Br. I. 9.) et Aristaeneti I. 11. Haud minus suave phantasma est, quo adflatu solo Dii in homines agunt. Sed ista non hujus loci. Quod autem a partu statim illud contingit, huic forte notio subest, poetam nasci, non arte fingi. — *semel* spectat ad totam sententiam, qui semel Musarum sacris initiatus est, is numquam inde abstrahetur. Mire tricantur in hoc voc. nonnulli.

v. 3. Is illud studium suum poeticum potius habebit ceteris, quibus mortales ad summum felicitatis fastigium enituntur, glo-

riam adeo poeticam vel victoriae in ludis sacris Graecorum ac triumpho splendidissimo praeferet. Magnifice hoc tractatum atque exornatum a poeta. — *Illum non labor Isthmius* cet. is non id aget, ut in ludis Isthmiis victor evadat Pro ludis Graeciae universis poeta *laborem Isthmium* posuit, h. certamina in ludis I. κάματον (Pind. Pyth. V. 62.) τετραορίαν πόνους (Isthm. III. 28. et IV. 79. coll. Hesiod. Scut. 305 sq) et inde *Eleos labores* Stat. Silv. IV. 4. 31.; e certaminibus autem *pugilatum*, πυγμὴν, et *quadrigarum cursum* τετραορίαν. — *clarabit*, conspicuum, insignem reddet; antiquo verbi significatu. — *Non*, neque *equus impiger*, impigro cursu suo, *currum victorem ducet*, efficiet, ut currui victor insistat, non victor vehetur curru, non laborabit ille de victoria ἐν τεθρίπποις potiunda. Recte plerique de victoris in patriam reditu accipiunt, de quo vid. ad IV. 2. 17. — *Achaico*, Graeco, Romana designatione unde cum Boettig. haud male de Olympico certamine curali, quod ceteris insignitius erat, h. l. intelligas. Vid ad I. 1. 3.

v. 7. Vide, quam exquisita copia victoriae notionem ejusque splendorem variaverit poeta! Vulgare, is non curabit bellica laude inclarescere, non adspirabit ad summam bellicae virtutis gloriam, Romani triumphi specie egregie repraesentatur. — Res *bellica*, res bello strenue gesta, *Ducem ornatum Del. foliis ostendent Capitolio*, docte pro, ornabunt eum triumphali lauru, efficient, ut triumphans Capitolium adscendat; de quo v. ad IV. 2. 35. Rem bellicam illustrant, *quod regum tumidas minas*, insolentiam, superbiam, qua tumidi imperio Rom. interitum minati fuerant, fortius quam, reges feroces *contuderit*, fregerit, perdomuerit. *Tumere* exquisitum verbum, tam jactantiae (ut Phaedri *graculus inani tumens superbia* I. 3. 3.) quam irae proprium; quae utraque notio τῷ *minae* subest. — *folia Delia*, laurus, Apollini Delio sacra. Ceterum exornavit triumphi speciem *regum* devictorum commemoratione poeta, cum quod ante currum triumphalem agerentur, tum quod ipsum regium nomen Romanis invisissimum esset. Cf. II. 12. 12.

v. 10 *sqq.* Sed is Musis unice vacabit, inde nomen sibi quaeret. Poeticum studium venuste declaratur secessu poetarum atque otio in amoenissima regione, cujus adspectu sensus ipsorum excitati inflammatique ingenium εὐφαντασίωτον reddunt. Vid. ad I. 1. 30. Iam pro amoenissima regione in genere Tiburtinam me-

morat, eamque suavissimis coloribus depingit; tum pro poesi universa *carmen Aeolium*, lyricum (v. ad III. 30. 12.) ponit; utrumque sui studii habita ratione. Pro Tibure sunt *aquae*, Anio, Albula cet. *quae T. praefluunt*, praeterfluunt (ut IV. 14. 26.) agrum Tiburtinum, inde *fertilem* et *spissae nemorum comae*, spissa, densa nemora, *Tiburni lucus* I. 7. 13. — 12. *fingent nobilem c. Aeol.* docta brevitate pro fingent, eum poetam lyricum efficient, ut magnam a poesi lyrica famam trahat, consequatur.

v. 13 — 16. Jam apertius loquitur poeta sibique hanc ingenii poetici laudem ac famam Musarum beneficio inter populares suos contigisse profitetur. *Romae suboles*, noto usu loquendi, pro Romani; ut *proles Ausonia* Virg. Aen IV. 236. *proles Arcadiae* Id. Aen. X. 429. et saepius alibi. —*princeps urbium*, imperii Romani, quod per totum terrarum orbem porrigitur, sedes, *domina* IV. 14. 44. Martial. XII. 8. *Terrarum Dea gentiumque, Roma, cui par est nihil et nihil secundum.* — 14. *dignatur me ponere*, modestius quam, ponit, inserit me *datum choro*, poetis lyricis (ut I. 1. 35.) aequiparat me Graecis lyricis: Nam *chori* lyricae poesi proprii. — *amabiles*, vel perpetuo chori epitheto χορὸς ἐρόεις (Hom. Od. XV. 193.) ἱμερόεις, (Il. XV. 603.) χαρίεις, Musae. 35. vel habita sententiae ratione, inter insignes. praecipuos poetas me ponit. Prius tamen, si quid judico, magis poeticum videtur, etsi alterum Horatio honorificentius. Et jam *invidia major* sum (ut de se II. 20. 4.); minus jam invidis ac malevolis hominum obtrectationibus mea obnoxia sunt carmina. Pro invidia est *dens invidus*, quatenus detrahit alterius laudi, deterit ejus merita. Ovid. Trist. IV. 10. 123. *Nec, qui detrectat praesentia, Livor iniquo ullum de nostris dente momordit opus.* Idem ex P. III. 4. 74. *laedere vivos Livor et injusto carpere dente solet.* Unde eidem *edax* Amor. I. 15. 1. Martial. V. 28. 7. *Rubignosis cuncta dentibus rodit.*

v. 17. *sqq. Totum hoc*, quidquid arte poetica valeo, quantumcunque mihi laudis inde obtigit, *tui*, *o Pieri*, Melpomene, *muneris* est, tibi soli acceptum fero. Amolitur ita a se gloriae invidiam; quamquam de se vel sic, quod se Musis amicum fert, generosum sensum prodit. Vv. 17 — 20. egregie Musam lyricam repraesentant. *Quae temperas*, regis, *moderaris* (ut I. 24. 14.) *strepidum testudinis*; docte pulsas citharam, ut *dulcis strepitus*, suavissima exsistat modulatio, *potens lyrae*, I. 6. 10. Male *tem-*

perare strepitum de fidium intendendi arte accipiunt, uti ad concentum opus sit; imo exquisite est pro, tractare citharam, sonos elicere. Propert. II. 25. 80. *Tale facis carmen docta testudine, quale Cynthius impositis temperat articulis. Strepitus testudinis*, παμφωνοι όμοκλαί, Pind. Isthm. V. 35. κέλαδος επτατόνους λύρας, Eurip Iphig. T. 1129. ad concentum nervorum refer. Minus recte alii. — 19. 20. Hymni speciem habet breviter at ἐναργῶς satis adumbrata Deae potentia. *Donatura*, quae largiri potes vel *piscibus mutis* ἀφώνοις (ἄφωνα γὰρ δὴ τάγε καθ᾽ ὕδατος διαιτώμενα, Lucian. Halc. p. 176. unde ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων, tritissimo proverbio; de quo vid. Erasm. Ad. p. 165.) *sonum* θρῆνον *cycni*, κυκνεῖον στόμα, (uti est in An. Br. III. p. 261. c. DXXIV. 2.) h. vocem jucundissimam; vid. ad IV. 2. 25. — Proverbialiter inde Κύκνου ἀοιδότερον, veluti Dioscorid. XX. 6. in Anal. Br. I. 498. — 22. *Quod* summam in poesi lyrica laudem consequutus sum, quod in omnium ore versor. Publicam hanc famam atque admirationem pulchre ita designat, ut se jam a populo praetereunte digitis demonstrari dicat. Vulgaris demonstrationis formula erat, *hic est*, οὗτος ἐκεῖνος. Nota Persii, *pulchrum est monstrari, et dicier: Hic est.* Martial V. 13. 3. *toto legor orbe frequens, et dicitur: Hic est.* Idem IX. 98. 3. *quod turba semper in omni monstramur digito, rumpitur invidia.* Lucian. in Somn. p. 16. τοιαῦτά σοι περιθήσω τὰ γνωρίσματα, ὥστε τῶν ὁρώντων ἕκαστος τὸν πλησίον κινήσας δείξει σε τῷ δακτύλῳ, Οὗτος ἐκεῖνος, λέγων. Idem Harmon. p. 851. in ejusdem artis musicae excellentia: ἡ δόξα, τῶν πολλῶν, καὶ τὸ ἐπίσημον εἶναι ἐν πλήθεσι, καὶ δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ καὶ ἤν που φανῶ, εὐθὺς ἐπιστρέφεσθαι πάντας εἰς ἐμὲ, καὶ λέγειν τοὔνομα, Οὗτος ἐκεῖνος Ἁρμονίδης ἐστίν, ὁ ἄριστος αὐλητής. Ita Horatius se digito monstrari adpellarique audit *Romanae fidicinem lyrae*, principem gentis suae poetam lyricum. Similiter Rufus Ovidio *Pindaricae lyrae fidicen* dicitur ex P. IV. 16. 28. Cf. Nostr. Epp. I. 19. 32 — 24. *Quod spiro*, quodcunque poetici spiritus mihi est; ne dubita. Ita IV. 6. 29. *Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem carminis nomenque dedit poetae.* Scilicet *spirare spiritus* de sublimiori poeseos genere, maxime epico, admodum frequentatum. Alcaeus Mes. V. 3. (A. Br. I. 487.) ἔπνεε δ᾽ ἵππου ἔργματ᾽, ἀειζώων ἀψάμενος Χαρίτων. Sic Sappho ἴσα πνέουσα Μούσαις dicitur Dioscorid. XXV. 3. (Ibid. p. 499.) *Spirare triumphos* Stat. Theb. I. 18. Recte adeo

de poesi lyrica h. l. — *si placeo*, blande admodum interjectum.



ARGUMENTUM. IV.



Consummatissimum sui generis hoc carmen atque omnibus plane numeris absolutum, cui non, vel leviter boni pulchrique sensu contacto, admirationem sui injecit atque expressit? quis quaesitissimis laudibus lyricas ejus virtutes unquam adsequutus est? Et sane quantum ubique sanguinis atque nervorum! qui nisus! quae spiritus magnificentia! quae rerum verborumque majestas! quam divinum tractationis artificium! ut jure mihi contendere posse videar, in illud fastigium hocce eximio opere adductam conspici poesin lyricam, ultra quod non nisi temerario conatu evehere eam quisquam audeat, utque adeo locupletissime inde ostendi possit, quam validus ingenio Horatius fuerit, et quam mascule (ut, quae de Stesichoro Quinctil. X. 1. prodidit, ad Nostrum transferam), maximis bellis et clarissimis canendis ducibus, epici carminis onera, nullis prorsus Graecorum poetarum allevatus adminiculis, lyra sustinuerit. Quam enim splendidam laudum materiem, a sua gente proditam, tractandam suscepisset, eamdem sensu ac spiritu prorsus Romano perfusam animatamque facile quisque, rei intelligens, animadvertit. Sed, quo magis poetae virtus elucescat, age, ipsum carmen propius

intueamur. Est illud ἐπινίκιον, *in Drusi ac Tiberii, Neronum, privignorum Augusti, laudibus bellicis, a devicta Rhaetorum et Vindelicorum gente reportatis, occupatum, ipsiusque Augusti jussu, ut diserte tradit Suetonius (non modo seculare carmen componendum injunxit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique, privignorum suorum) et haud dubie inde Porphyrion (ad hoc c. „haec est ecloga, propter quam totus hic liber compositus s. editus est.) compositum. Rhaeti quidem, gens bellicosissima, atque crudelissima, incolebant Alpium declivia, ab oriente meridiem versus vergentia, (terram adeo Grisonum ac Tirolensium) et ad Veronam usque Comumque pertingebant juxta Strab. IV.* 142. *et alios. Vindelici, Rhaetis contermini,* τὰ ἐκτὸς παρώρεια, *adeoque plagam septemtrionalem, quae maxime per Bavariae fines porrecta Tirolensis agri partem complectitur, tenebant. Uterque hic populus quum partim Galliam togatam partim Italiae finitimas partes adsiduis incursionibus vexaret, missus primum ab Augusto Drusus contra Rhaetos cum exercitu (a. U. DCCXXXIX.) in Tridentinis ad Alpium radices eos obviam sibi factos fudit fugavitque; mox, quum ab Italia repressi Galliam togatam urgerent, cum Tiberio, adjutore operis ei ab Augusto dato, cum divisis copiis Vindelicis eos adgressus, perdomuit. Vid. Dio LIV.* 22. *Jam quum illud in Druso maxime admiratione dignum esset, quod admodum XXIII. annorum juvenis, tantas res confecisset, poeta* τηλαυγέστατον *carmini suo positurus* πρόσωπον *juvenilem ejus ferociam cum aquila ac leone comparat, qui, quam primum adoleve-*

rint, generosam ipsorum indolem, editis statim patriae virtutis documentis, luculenter exserant; unde adeo generosa Drusi, clarissimis majoribus orti, indoles optime perspiciatur. Neque tamen vel sic Drusus illud effectum dare potuisset, nisi in Augusti domo cum Tiberio fratre coelestium praeceptorum disciplinis innutritus conformatusque fuisset. Ita enim demum, si bono ingenio bona accesserit institutio, praeclarum ac divinum quiddam exsistere, uti contra, absque hac, optimam quamque indolem degenerare. Quantum hoc ad Augustum extollendum, in eumque Neronum laudes derivandas momenti habeat, facile intelligitur. Tum a Drusi juvenis generosa virtute ad majores ejus, a quibus eam quasi hereditate accepisset, poetae impetus provehitur, et in illustrando C. Claudii Neronis splendidissimo et ad conservandam rem Romanam efficacissimo facinore, in Hasdrubale opprimendo designato, omnem vim suam exserit atque deponit. Atque hunc locum tanta gravitate atque sublimitate sensuum, tanta adfectus ἐνεργείᾳ, tanto imaginum splendore, orationisque masculo vigore, tanta denique arte illuminavit atque persequutus est rei magnitudine incensus poeta, ut dignitatem ac majestatem lyricae poeseos insigni aliquo exemplo repraesentare voluisse videatur. Quo enim illustriores Claudii Neronis laudes essent, magnifica ipsius Hannibalis oratione, infensissimi Romanorum hostis, eas persequutus est, atque ita campum sibi aperuit, in quo simul invictam Romanorum vim Punico isto bello ostensam, explicare posset: quae haud dubie magnificentissima est pars carminis.

Adnotationes.

v. 1. **Magna statim virtus in exordio.** Poeta rei a Druso juvene tam splendide administratae magnitudine tumens ac percitus, ejusdemque, ut fert animi commotioris impetus, subito evolvendae planeque repraesentandae cupidus, comparationibus orationem involvit, quarum delectus pariter atque exornatio magnificentissima summum facile prodit artificem. Jam quum Drusus primae militiae rudimenta tanta cum laude in debellandis Vindelicis posuisset, facile exspectari poterat, fore, ut, quod ei gloriosissimum esset, maxima luce a poeta collustraretur. In utraque igitur comparatione juventutem maxime spectari oportere, facile perspicitur. Jam sententiarum hunc ordinem statue: Sicuti aquila, vixdum volandi facto periculo, vires suas in ovibus mox, audacior facta, in draconibus experitur; vel ut caprea leonis catulum ad se accedentem videt; talem Drusum videre Vindelici. — *Qualem alitem,* notissima forma, pro, qualiter, veluti alitem cet. — *ministrum fulminis*, Jovi fulmina ministrantem, *Jovis armigerum* ut Stat. Theb. III. 532. *vectorem fulminis* idem ib. 507. Causam figmenti inde repetunt, quod aquila fulmine haud tangatur. Plin. X. 3. *Negant unquam solam hanc alitem exanimatam fulmine: ideo armigeram Jovis consuetudo indicavit*, laudante jam Boettig. — 2. *regem avium*, ἀρχὸν οἰωνῶν (Pind. Pyth. I. 13.) βασιλέα οἰωνῶν (Id. Ol. XIII. 29.). Sed explicatius poeta adjecta imperii accepti causa, more Pindarico. — *rex Deorum* quaesita Jovis designatione, in regnis distribuendis; quod ipsa verborum collocatio (*rex D. regnum* in a.) ostendit. — *aves vagas*, ἠεροφοίτους, ornat; ut III. 27. 16. — 3. *permisit*, tribuit, concessit; sed alterum majestate Jovis dignius. — *expertus fidelem* cet. quod operam suam Jovi in Ganymede rapto adprobasset. Scilicet *fidelis* is est, qui, quod in se recepit, praestat alteri. Plaut. Pers. I. 1. 49. *Obsecro te, resecro: operam da hanc mihi fidelem.* Sequitur autem vulgarem narrationem poeta, qua aquilae ministerio Jovem in rapiendo Ganymede usum tradunt. Vid. Apollod. III. 12. 2. ad quem locum vide, quae de fundo fabulae acute monet Heyn. Alii ipsum Jovem aquilae specie sumta Ganymedem rapuisse perhibent; quos sequitur Lucian. DD. IV. p. 208. θέσπιν ἀέλλην, h. aura sublatum Ganym. simpliciter memorat Hom. H. in Ven. 208. — *flavo*, ξανθῷ (ut Hom.

H. I. 202.), pulchro, docte causam raptus innuit; Γανυμήδεα μητίετα Ζεὺς ἥρπασ' ἑὸν διὰ κάλλος, Hom. l. l. Ceterum male ingeniosi sunt, ac parum commode poetam ab illorum injuria defendunt, qui a re alienos hos tres vv. dicunt, nova comparationis momenta in iis anxie rimando, et quidem ministrum fulminis et regem avium in Druso agnoscendo, qui nunc primum exercitum ducat, Augustique (qui cum Jove alias comparetur) quasi fulmen gerat. Imo aquilam ab imperio ejus in aves fulminisque ministerio poeta designavit, quo augustior comparationis exsisteret species; nihil amplius.

v. 5. Vulgare erat: ut ales juventa ac patrio vigore compulsus nido evolat. Pro hoc multo fortius est, *juventas*, juvenilis ferocia et *patrius vigor*, ingenita animi indoles μένος ἐγγενὲς *nido* eum *propulit*, ἀορίστως, expellit, exigit. *Olim*, primum, ex oppos. τοῦ *mox* v. 9. et *nunc* v. 11. quod est pro vulgari, primum, deinde, denique. Alias *olim* comparationi inservit simpliciter, absque ulla vi, ut ὥς ποτε, οἷα τε πολλὰ — *laborum inscium*, exornat et exponit τὸ *olim*, volandi adhuc rudem; sed alterum quam exquisite de aquila, *quae contra solis exorientis radios* contendit *volare* (ut Hygin. Poet. XVI.), quae altissime evolat, enititur. Facile vides opponi *laborum inscium* τοῖς *insolitos docuere nisus*. Mirum itaque, *labores* omnes intpp. accipere potuisse de aquilae certaminibus cum aliis animantibus; quae sententia ab h. l. plane aliena est, tum multo ποιητικώτερον, illustrandaeque rei, quae depingitur, multo adcomodatius alterum. — 7. 8. et in altum enititur. Graphice et ornate haec expressit poeta. Aura tollitur, levatur (ut IV. 2. 25. *Multa Dircaeum levat aura cycnum*) eaque sustinetur avis, altum petens; hinc praeclare venti *docent* aquilam *nisus insolitos*, prima volandi conamina, dum ope ventorum, iis sustentatus, in altum primum enititur, volatum experitur. *Nisus*, ut paulo ante *labor*, operosa aquilae molimina innuit, quae adeo in *primam* ejus juventutem (quam etiam v. *paventem* venuste designat) cadunt, quam docte poeta v. 7. ulterius declarat. Ventos autem *vernos* cogita veris adultioris, primam aestatem, unde passim poeta colores in veris descriptionem infert (vid. v. c. IV. 7. 4. et ei. libri 12. 4.), quod tum demum annum formosissimum Italiae regio habet. Igitur haud plane a naturae ordine ac lege aberrasse dicendus est poeta, qui prima pullorum aquilae volandi tentamina sub aestatis initium retulerit, ma-

xime, si sub clementiore Italiae coelo citius editos citiusque adultos cogites. Nam poetam plane in ordinem cogere velle, Scaligeranae hoc morositatis est. Vide, si vis, hypercriticum hunc virum in Poet. VI. c. 7. adversus quem monuere alia alii, quae, quum ad poetam parum fructuosa sint, excutere non est animus. Modo teneas hoc, poetam h. l. non de aquilae aetatis incrementis disquirere, sed ponere ea, quae augendae rei momentum aliquod faciant, naturae haud plane contraria. — *jam nimbis remotis*, exornant veris notionem Nam ἔαρ κρυερῶν νεφέων ἐλατήρ, Oppian. Cyneg. I. 119.

v. 9. *Mox*, volandi periculo facto, ubi nidum reliquerit. Magna poetae ars cernitur in prodendis aquilae incrementis subitis, ad majora in dies audenda eam exstimulantibus. Praedae intentus primum oves adgreditur. *Vividus*, acer *impetus demittit* aquilam, ornate pro, cum impetu defertur, (ὑψιπέτης, Hom. Il. μ. 201.) deorsum ruit; e natura accipitrum. Male *impetum* explicari fere videas instinctum, *patrium vigorem* v. 5. — *ovilia* vel simpliciter oves pascentes, vel septis eas inclusas intellige. Ad rem Epicrates apud Athen. XIII. p. 570. οὗτοι γὰρ (αἰετοὶ) ὅταν ὦσι νέοι, ἐκ τῶν ὀρῶν πρόβατ' ἐσθίουσι καὶ λαγὼς μετέωρ' ἀναρπάζοντες ἀπὸ τῆς ἰσχύος. — *hostem*, cum vi, pro tenui, eum. — 11. *Nunc amor*, cupido *dapis* delectius quam, praedae, *et pugnae egit*, agit, impellit eum, praedae pugnaeque cupidus adgreditur *dracones*, magnos serpentes. Imago aquilarum cum serpentibus depugnantium passim frequentata poetis. Vid. Cerda ad Virg. Aen. XI. 751. Quum pugna ista luctae quandam speciem habeat propter serpentium *nexus multiplices, quibus aquilarum alae ligantur* (Plin. X. 4.) et utriusque inde casum, hinc docte poeta *dr. reluctantes* dixit, pro, repugnantes. Eodem ornatu Virgil. l. c. 754. *sibilat ore arduus adsurgens*: *illa haud minus urget adunco luctantem rostro.* Antipat. Thess. XLIV. 4. (A. Br. II. 120.) τοὔνεκα καὶ μιν αἰετὸς ἐκ νεφέων ὀξὺς ἔμαρψεν ἰδὼν πλοχμοῖς δ' εἰλιχθεὶς πέσεν.

v. 13. Cumulat comparationes poeta, veritus scilicet, ut tam praeclare gestae rei mensuram satis impleturus sit verbis; quod omnino a poetis fit, ubi in re aliqua memorabili vivide oculis subjicienda laborant. Tum multum jucunditatis habet ista phantasmatum ubertas ac varietas. Praeclare autem poeta imaginem ita elocutus est, ut aptissimus inde exsisteret transitus. Vide enim

quam concinne sese excipiant, *vidit*; *videre* cet. Singula comparationis vivide satis adumbrata. *Capreae* metum atque horrorem mirifice augent adj. *laetis pascuis intenta*, unice pastu opimo (cum vi igitur *laetis*, pinguibus, quae omnes ejus in se cogitationes converterant) detenta, nulli metui vacans; igitur tanto magis percellitur, leonem subito conspicata. — 14. Leo juvenis designatur ornatu a domesticis animalibus petito. Nam iis proprium est, *lacte depelli* in ablactatione. De leone adeo erit, qui primum praedatum exit, cibum petiturus. Jam duae fere rationes iniri possunt, quibus verba inter se concilies. Vulgarior haec: *ab ubere lacte fulvae m. depuls.* in qua ubertas lactis aliquam ad leonem viribus jam satis validum declarandum vim habere videri possit: doctior tamen et exquisitior altera, qua copiose adjici putanda, *ab ubere fulvae matris*; quae ratio in Pindaro frequens admodum, lyricumque poetam haud dedecens. Scilicet has negligentiore structura cumulatas ideas inter se cognatas fere animadvertas, ita ut altera alteri lucem adfundat, sicque utraque rei vivide declarandae inserviat. — *dente novo peritura*, a quo sibi certam necem paratam intelligit; docte inversa oratione pro, *vidit*, videt leonem, potiundi ejus cupiditate, adpropinquare. — dente *novo*, ferae sanguine necdum rubefacto, tincto.

v. 17. Talem, tam praevalida vi *Drusum* annorum XXIII. Iuvenem *videre* cet. De *Rhaetis* et *Vindelicis* vide Argum. Primam autem poeta pugnam innuit, qua Drusus Rhaetos apud Alpes Tridentinas obviam sibi factos celeriter profligavit διὰ ταχέων ἐτρέψατο, Dio Cass. LIV. 22.) Igitur *Vindelici*, Rhaetis finitimi, *videre* Drusum *bella gerentem*, maxima virtutis bellicae specimina edentem *sub Rhaetis*, Rhaeticis *Alpibus*, fusis ad Alpium radices Rhaetis. Docte igitur *hi* Alpibus *Rhaetis* a poeta designari putandi; quamquam ad Tridentinas A. proelio cum iis Drusus congressus esset. Sed recte ita efferri poterat propter continua Alpium Rhaeticarum et Trident. juga. De Vindelicis autem nondum his vv. agi puta; nam hi serius una cum Rhaetis, qui ab Italia repressi, Galliae togatae imminerent, a Druso Tiberioque, adjutore operis ab Augusto dato, eorumque legatis, divisis copiis, diversisque locis fusi atque perdomiti, Dione teste l. l. Igitur adcurate poeta h. l. loquitur, dum Vindelicos Drusi virtutem primum in Rhaetis *vidisse*, mox semet ipsos *sensisse* ait. — 18. Jam armorum, quae in pompa triumphali praeferri solerent,

quaeque, quum in Germanis populis maximam haud dubie apud Romanos mirationem facerent, genus notandum paulisper deflectit poeta, ita tamen, ut istam ingenii phantasmatum copia exuberantis atque ita confusi, ut, quod Pindaro quoque haud raro accidisse videmus, a rei se summa abduci pateretur, culpam fastidiosa, qua rem istam, sibi objectam, statim missum faceret, superbia, ut ita dicam, redimeret, atque corrigeret. Cf. Obss. — *quaerere distuli*, inquirere supersedeo, non lubet, *unde mos deductus . . . . dextras obarmet*, docte pro, unde mos deductus sit (*magnanimis mos ductus avis* Valer. Fl. XI. 125.) unde morem Vindelici traxerint, ut *dextras securi obarment*, securi pro gladio utantur, *Amazonia*, quali fere Amazonas instructas fuisse constat. *Per omne tempus*, est vel, inde ab antiquissimis temporibus, vel, quod omnino de Germanis tradit Tacitus, quod non belli tantum tempore securi armati sint, sed omnia omnino negotia dextra securigera obire soliti sint. — 22. *Nec fas est*, consentaneum est, disquirendae huic rei immorari, non vacat ad has disquisitiones descendere. Quo quidem ipso Horatium judicii sui subtilitatem, a re aliena cum indignatione repudiantis, egregie ostendere, quis non sentit? Generatim autem expressit sententiam poeta, Pindàrica gravitate. Forte cum hoc Nostri loco haud inepte conferas Pind. Isthm. I. 85. sqq. *Sed* h. l. corrigentis est, et ad propositum revertentis, consueta vel pedestri orationi ratione.

v. 25. *Sensere*, cum vi (ut IV. 6. 3.), gravissima clade accepta, cum malo suo intellexere, quanta vis esset bonae indolis si bona institutio accesserit. Exquisitam artem poetae vide, qua magnam Drusi laudum partem haud ambitiose quaesita ratione cum Augusto communicat! — *quid posset*, quantum efficere valeret, *mens* et *indoles*, ingenita animo virtus, animi generosa indoles, ab Augusto exculta; pro quo splendide est, orationi divinitatis ejus specie inducta: *rite nutrita*, bona institutione exculta, *sub faustis penetralibus*, in Augusti domo, tanquam Dei domicilio formata, propitium Augusti numen experta. Nam *rite* ad religiones pertinet, et *fausta penetralia* de templo propitii numinis docte adhibitum a poeta. *Innutritum coelestium praeceptorum disciplinis* Tiberium in domo Augusti educatum similiter fert Vellei. II. 94. 2. tralatitia adulatione; et de Druso Ovid. Consol. ad Liv. 38. *Caesaris illud opus, voti pars altera vestri,*

occidit, satis docte ac magnifice. — *vv.* 27. 28. declarative subjecti. Nunc demum enim Augusti numen cognoscitur, quod Neronum puerorum curam ac tutelam gerat. — *animus paternus*, adfectu paterno (ut II. 2. 6.), institutione atque praeceptis ostenso.

v. 29. *sqq.* Haeret poeta in amplificanda proximorum vv. sententia, quo magis intelligeretur, Nerones, quamquam ingenii dotibus instructissimos (id quod ab ipsorum generis nobilitate facile exspectari poterat), Augusto potissimum debere, quod tales evaserint. Hoc generatim, Pindarico more, poeta extulit: adesse quidem in generosae stirpis hominibus virtutis materiam, sed doctrina atque institutione opus esse, quibus illa fingatur, et ad summum perducatur; aliter enim corrumpi atque degenerare. Hoc, quod omnem contactum poeticum refugere videtur, vide quibus poeta illuminaverit coloribus! Sed in singulis graecos habuit, quos duces Horatius sequeretur. *Fortes et boni* procreant similes ex se, propagant virtutis semina. Eurip. in Alcmae. apud Stob. Grot. p. 363. *ὡς ἀληθὲς — ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθαι τέκνα, κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τῇ τοῦ πατρός.* Idem in Archel. apud eundem p. 359. *ἐν τοῖς τέκνοις γὰρ ἡ 'ρετὴ τῶν εὐγενῶν ἐνέλαμψε* ex emendatiore lectione Valken. Diatr. ad Eurip. p. 162: Pindarus Pyth. VIII. 62. *φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα,* — 30. Quod idem observatur in generosorum animalium fetu. Pro hoc in specie statim, *patrum virtus*, generosa indoles taurorum et equorum adparet in pullis ipsorum. Latius idem persequutus est Senec. Troad. 536 sqq. *Generosa in ortus semina exsurgunt suos. Sic ille magni parvus armenti comes* cet. Martial. VI. 38. 7. *Acris equi suboles magno sic pulvere gaudet; sic vitulus molli praelia fronte cupit.* Similiter Eupolis ἐν Δήμοις apud Grot. Excerpt. tr. p. 499. *οὐ δεινὸν οὖν κρείσσους με μὲν γεννᾷν τέκνα, ὄρνεις δ' ὁμοίους τοὺς νεοττοὺς τῷ πατρί;* Contra Ecdorus apud Stob. Grot. p. 365. *ἐκ τοῦ κακοῦ γὰρ ἡ φύσις τίκτει κακόν· ὡς ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίγνεται.* — *imbellem feroces* magna vis horum epith. ad universam sententiam, ipsa eorum collocatione adjuta.

v. 33. *sqq.* *Sed doctrina*, ἡ παίδευσις, bona institutio, praeceptio *promovet*, auget, perficitque *vim insitam*, generosam animi indolem, τὸ ἐγγενές. Quintil. I. O. XII. 2. *Virtus, etiamsi quosdam impetus a natura sumit, tamen perficienda doctrina est.* Boettig. laudat Cic. pro Arch. 15. *Quum ad naturam eximiam et illustrem accesserit ratio quaedam, confirmatioque do-*

itrinae, *tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solet exsistere.* In eandem sententiam Eurip. Hec. 600. ἔχει γε μέντοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς δίδαξιν ἐσθλοῦ, et Iphin. in A. 561. τροφαὶ δ' αἱ παιδευόμεναι μέγα φέρουσ' εἰς ἀρετάν. — 34. *Cultus recti* recta disciplina, quatenus animus ea excolitur, ad recta et honesta perducitur. — *roborant*, confirmant *pectora*, perficiunt naturalem indolem. Cic. Quaest. Tusc. II. 4. *Fortes — multo magis adjuvat ratio*, *quae quibusdam quasi praeceptis confirmat vim fortidudinis.* Et paullo post: *ut ager quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus. Ita est utraque res sine altera debilis.* — 35. 36. Inversa sententia cum αὐξήσει, *utcumque*, quandocunque *mores*, morum disciplina *deficit*, destituit indolem, ubi abest bona educatio; sed docte effecta ejus posuit poeta, *mores.* — *culpae*, vitia, *indecorant*, nitorem detrahunt, maculam adspergunt, deformant *bene nata*, τὸ εὐφυές, εὐγενὲς, bonam indolem; degenerat illa, in vitia prona. Fortius adeo est, quam, perit virtus animi, non exculta. Dedecus quidem, τὸ αἰσχρὸν proprium de vitiis, cum vi tamen h. l., quatenus in homine bene nato, ut ita dicam, deprehenduntur, quibus adeo natalium splendor offuscatur. Jam comtemplare divitias poetae in declaranda εὐγενείᾳ (*fortis* et *boni*, *vis insita*, *pectora*, *bene nata*) et παιδείᾳ (*doctrina recti cultus*, *mores*) expositas!

v. 37. Celebrata Neronum generosa indole, a majoribus accepta, satis proclivis poetae ad celebrandas horum virtutes via erat, unde ampla satis de futura juvenum istorum magnitudine judicandi daretur copia. Satis autem habuit, unum at splendidissimum avitae virtutis exemplum in C. Claudio Nerone proponere. Qui bello Punico II. a. U. DXLVI. quum Hasdrubalem cum nova belli mole Italiae faucibus imminere intellexisset, relictis clam cum delecto milite, quae in Lucania adversus Hannibalem teneret, castris in Umbriam profectus Hasdrubalis exercitum praevalidum collatis cum M. Livio Salinatore signis ad Metaurum fluvium adgressus maxima clade penitus contrivit. Vid. Liv. XXVII. 43. sqq. Atque hujus plane eximiae virtutis imagine incenditur poetae animus, adeo quidem, ut generoso ad persequendum tam splendidum argumentum, quod a carminis consilio neutiquam alienum videretur, impetu abreptus in rei hujus magnitudine vividissime oculis subjicienda haereat, uniceque occupetur. Vid Argum. Vi-

vida statim initio orationis conversio, *quid debeas, o Roma*, pro, quantam resp. Romana Neronum familiae *debeat*, quam insignia ejus sint merita, testatur victoria de Hasdrubale a Claudio Nerone reportata. Posterius pluribus ideis eloquutus est poeta, ita ut generalem (*Hasdrubal devictus*) et speciales, quae rem exornarent amplificarentque, promiscue adponeret; frequentata Nostro ratione. Solenne autem poetis, fluviis et locis virtutum testimonia denuntiare. Jam Eurip. Herc. fur. 368. de Centauris ab Hercule caesis: *ξύνοιδε Πηνειὸς ὁ καλλιδίνας, μακραί τ' ἄρουραι πεδίων ἄκαρποι.* Catull LXIV. 358. *Testis erit magnis* (Achillis) *virtutibus unda Scamandri.* — *Metaurum* (adjective) *flumen*, Metaurus, Umbriae fl. pugna ista, ad eum commissa, famigeratissimus. Sil. VII. 486. *Multaque Hasdrubalis fulgebit* (innotescet) *strage Metaurus.* Hinc Sidon. Epp. I. 5. *illic Metaurus, cujus ita in longum felicitas uno die parta porrigitur ac si etiam nunc Dalmatico salo cadavera sanguinolenta decoloratis gurgitibus inferret.*

v. 39. *sqq.* Victoria, quae primum Italiam post multorum annorum calamitates, ab Hannibale inflictas, recreavit, ab interitu servavit. Offusa erat Italiae densissima caligo, dum calamitatibus conflictaretur; unde emersit, pristinaque iterum luce effulsit, incolumitate ejus per Neronem praestita ac stabilita; quas imagines nec pedestris oratio reformidat. Cic. pro Rosc. Am. 32. de bello civili, *tanquam si offussa reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant*, Valer. Max. V. 2. *funus et tenebras imperio minitari.* De *luce* v. ad IV. 5. 5. — *pulcher dies*, lucidus, faustus, ut IV. 2. 47. — *fugatis Latio* a Latio, ab Italia *tenebris*, luctuosis calamitatibus finem imponens — 41. qui primus *risit*, effulsit, resplenduit (v. ad IV. 11. 6.) salutifer fuit Italiae, *adorea*, gloria bellica, victoria, isto die parta; ornatius quam, quo die prima salutis adfulsit spes populo Romano, victoria parta. *Ador*, *adoreum far*, *adorea*, praemium militibus victoribus distributum, mox pro ipsa gloria bellica atque adeo victoria dici coeptum. Conf. Claudian. XXI. 284. Plin. XVIII. 3. *Gloriam a farris honore adoream adpellabant.* — *alma*, prospera, salutari populo Romano; ornat.

v. 42. Primus, *ut*, ex quo Hannibal Italiam infestavit, insedit. Summam *ἐνάργειαν*, qua hoc expressit poeta, vel hebetior perspiciat. Maxime vero admirabilis delectus verbi *equitare* de

hoste, qui continuis victoriis insolentior factus terram hostilem populabundus pervagatur, ipsi regioni, urbibus ferociter, insultat. Vid. ad V. 16. 12. et 17. 74 Eadem notione Graecis usu venit, καθιππεύειν καθιππάζεσθαι χώραν et sim. Habes igitur hoc uno verbo adumbratam imaginem Hannibalis, ab Alpibus in Bruttios usque per totam paene Italiam impune grassantis, ferroque atque incendiis omnia vastantis, qualem historiae fides abunde adstruit. Hinc δεινὸς *dirus Afer* simpliciter Hannibal dictus; cf. III. 6. 36. Etiam *urbes Italae* significanter pro Italia positae, in vastitate ejus delineanda. Jam hostilem vim atque impetum Hannibalis poeta, quo justa ejus objiceretur animo species, duabus comparationibus illustrat, delectu pariter atque exornatione, tum enuntiationis brevitate insignibus. Summam enim rapiditatem ac violentiam, adjuncta noxae idea, designat *flamma*, ignis, silvae, eique piniferae (*taedis*), immissus, et procella mari incumbens, pro qua speciatim est *Eurus*, *undis Siculis* infestissimus, maximas in mari Siculo turbas ciens. Utriusque impetum designavit poeta verbo, quod proprie ad Hannibalem spectat; unde adeo illa notio adsumenda, nota figura; quamquam et Ventis bigas a poetis tribui (Ita Βορέαν ἅμιππον dixit Sophocl. Antig. 997. Ζέφυρον ἐν οὐρανῷ ἱππεύσαντα Eurip. Phoen. 220.) et ἱππεύειν, διφρεύειν omnino de citatiore motu adhiberi videas veluti Eurip. Suppl. 993. κατ' αἰθέρα, ἵν ὠκυθόαι Νύμφαι ἱππεύουσι δι' ὀρφναίας. Nonn. Dionys. XXXIII. 339. 'Αστερίην — ἄστατον ἱππεύουσαν ἀμοιβάδι σύνδρομον αὔρῃ ------ ἐνεῤῥίζωσεν 'Απόλλων. Ceterum quantum momentum ista ad augendam Neronis gloriam habeant, in promtu est videre. Eodem spectant sequentia, omnia, quae postea Romani prospere gesserint, a Neronis victoria, tanquam fonte, derivantia.

v. 45. *Post hoc*, ἐπὶ τούτῳ, victis semel hostibus, nova in dies res Romana incrementa cepit, prospere omnia cessere Romanis. *Pubes Romana*, exercitus Romanus (ut *juvenum recens examen* I. 35. 30. *pubes Latia* Avien. D. O. 310. et saepius alibi) *crevit usque*, esse potest, crevit animo, magis magisque animo obfirmatus est, continuis antea cladibus ad desperationem adactus, *secundis laboribus*, prospera belli fortuna usus; vel, gloria ejus bellica in dies aucta est secundis praeliis; quod simplicius et magis adpositum videtur. *Labores* μόθος, de *gravi Martis opere* (Virg. Aen. VIII. 516.) solenne; Sil. III. 89. *discede*

periclis incerti Martis durosque relinque labroes, h. πόνον αἰπύν, Homer Il. XI. 600. Ita πόνος δορίσσοος ἀνδρῶν Theogn. 965. Sed pervulgata talia. — 46. sqq. Et Italia respiravit aliquando, Hannibalis furorem non amplius pertimescens. Quo quidem sensu Romanos statim post Hasdrubalis cladem animatos fuisse, adeo quidem, ut Hannibalem perinde haberent, ac si excessisset Italia, diserte tradit Polyb. XI. 3. Jam restitutam securitatem publicam docte poeta ab effectu, idque ab instauratis per Italiam religionibus designat; in quo augusta admodum species est, aucta insuper adposite Poenorum, istas conculcantium, impietate. *Tumultus* signate de Poenis, variis per Italiam discursibus subitum continuo pavorem incutientibus.. — *impius*, qui nec fanis deorum pepercisset; adposito epitheto, quod ad Poenos proprie spectare, vix opus est monere. — *Fana deos hab. rectos*, ristituta sunt templa deorum, viguit iterum ipsorum cultus, ἀνωρθώθη τὰ ἱερά· Scilicet ὀρθὰ graecis dicta, sarta tectaque; et ὀρθῶσαι, *in integrum restituere*, pristinae incolumitati reddere. veluti ὀρθῶσαι πόλιν, ἐπὶ χώραν ἱστάναι, urbem civilibus turbis concussam erigere, incolumem praestare. Pind. Pyth. IV. 485. Vide Boettig. ad h. l. Adde Eurip. Iph. A. 24. Igitur *Dii recti*, ὀρθὰ τὰ τῶν θεῶν, instauratis sacris, cultu Deorum.

v. 49. Praeclaro et ad Neronis laudem efficacissimo artificio poeta victoriae istius magnitudinem ita extollit, ut ipsorum hostium in summam inde rerum desperationem adactorum, confessione bellum istud Punicum vere ea profligatum fuisse pronuntiet, hocque imminentis Carthagini fati praesagium Hannibalis, quo major rei esset gravitas, oratione explicet. Stamina ejus deprehendas fere in effato Hannibalis, audita Hasdrubalis clade, *agnosco fortunam Carthaginis*, juxta Liv. XXVII. 51. et inde Flor. II. 6. unde optime de poetae arte, in tractando eo exornandoque prodita, statuere licebit. Oratio vivida ac concitata, imagines fortissimae, lineisque magis ostensae, quam coloribus adumbratae; summaque ἐνάργεια in antithesibus. Summa autem orationis, *virtus* Romanorum tantum abest ut cladibus infringatur, ut adversis potius enitescat, verbo, *invicta*, ex ipsa Romanorum fortuna, quam isto bello experti fuerant, ducta; *Marte* quippe in eo ita *ancipite*, *ut propius periculum fuerint*, *qui vicerunt*, Liv. XXI. 1. Cf. Junonis oratio Virg. Aen. VII. 293. — *tandem*, maximis demum cladibus ad hanc confessionem coactus, victa de-

mnm indomita ejus ferocia; praeclaro e persona Hannibalis. — *perfidus*, qui, excisa Sagunto, foedus ruperat, bellum nefarie inceperat. Sic Martial. VI. 19. *perjuria Punici furoris* istud bellum et Stat. Silv. IV. 6. 77. ipsum Hannibalem *perjuro ense superbum* vocat. Vel omnino animum ejus *perfidia plus quam Punica* (Liv. XXI. 4.) infamem notare voluit poeta. Certe generalius de Punica fide acceptum paullo languidius in tali loco videtur. — 50. Vide quanta brevitatis virtus sit enuntiatae sententiae: insanos nos, qui ultro adgrediamur, bello petamus, quos effugere satius erat. Insaniam istam vivide declarat poeta comparatione, cum ipsa sententia mira arte contexta. Cf. III. 2. 10. Nos *Poeni* Romanos *sectamur*, cervi lupos. (Hos enim oppositionis vis postulabat. De Romuli lupa poetam cogitasse, nemini facile Baxterus persuaserit.) Proprie igitur erat, *cervi sectamur* lupos, *quos . . . triumphus*, *praedae* quippe certissimae iis futuri. Sed docte hoc inseruit poeta (*praeda rapac. lup.*) et in altero (*sectamur*, *quos* cet.) comparati magis ratio habita. — 52. *fallere et effugere* eos, λαθεῖν, fuga impetum eorum eludere, sese subducere, *triumphus opimus est*, pulcherrimae instar victoriae habendum, in summa felicitate ponendum. Nota opima spolia; unde docte triumphus opimus dictus.

v. 53. Plane insitam Romanae genti esse invictam vim atque fortitudinem, adeo quidem ut ab ipsis cladibus calamitatibusque nova incrementa capiat, poeta ut ostenderet, ad ipsa populi sui primordia recurrere necesse habet, luculenter istud comprobantia; de quibus Hannibali, in Italia senescenti (uti ipse ait apud Liv. XXIX. 3.) utique constare poterat. *Gens*, stirps gentis Romanae Aeneadae, qui ne patriae quidem interitu (docte hoc epith. *cremato* involvit poeta) animo conciderunt, sed novis sedibus quaerendis intenti *fortes*, fortiter, aerumnosis viae laboribus ac periculis haud deterriti, petiere Italiam. Hoc augustiore specie poeta; tanquam sola erga Deos atque infirmam aetatem pietate ducti tantos labores toleraverint. — 54. *Sacra*, θεοὺς πατρῴους, Vestam, ceterosque deos patrios, maxime Penates. Virg. Aen. II. 293. *Sacra suosque tibi commendat Troja Penates*; *hos cape fatorum comites.* Res curate tractata ab Heyn. in Exc. IX. L. II. Aen. p. 304. — *jactata*; quatenus ipsi Trojani gravissimam tempestatem in *Tusco*, Tyrrheno mari experti; docte. Virgil. Aen. I. 71. *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor*, *Ilium in*

Italiam portans victosque Penates; ubi vide quae sequuntur. —55. *Pii* Aeneae maxime respectu, *natum* Iulum et *maturum* aetate Anchisen secum asportantis, haec commemorari existima. In *pertulit* summae constantiae notio; et *Ausoniae urbes* docte Italia dicta, ab Ausonibus, antiquis Italiae incolis. Vide omnino Heynii Exc. IV. ad Aen. VII. 37. p. 129.

v. 57 *sqq.* Gens ista, quum cladibus attritam ac paene confectam putes, tum *velut ab stirpibus laetius feraciusque* (ut de eadem Liv. VI. 1.) *renascitur*, exsurgit; *major semper frequentiorque pro tot caesis exercitibus subolescit*, quod de eadem iidem Carthaginienses praedicant apud Liv. XXIX. 3. Igitur quam adposita istius gentis cum ilice, post amputationem laetius efflorescente, novumque, quo sese extollat, robur adepta, comparatio sit, in promtu est videre. Ilex *tonsa*, attonsa, accisa; ramis amputatis. *Brachia* arborum *tonde*, Virg. Ge. II. 368. — bip. *duris*, στιβαροῖς, dure impactis; vel simpliciter e duro ferro πέλεκυς χαλκήλατος. v. 58. suaviter exornat comparationem. De *Algido* v. ad I. 21. 6. —*feraci nigrae frondis*. saltuoso, silvis consito; ut frondes nigrae sint umbrosae, ut I. 4. 11. et I. 21. 7. Forte tamen in specie Algidum quercubus atque ilicibus feracem designare voluit poeta epith. *nigrae*, istis proprio (uti et μελάνδρυα Graecis), etiam propter densam umbram istarum arborum. Ad rem v. III. 23. 9. — 59. 60. Docte iterum (ut vv. 50. sqq. comparationem commiscuit cum sententia poeta, utriusque aequali fere ratione habita. Nam etiam *damna* et *caedes* ilicis tonsae dici possunt. Suave autem oxymoron, *damnis* Roma *opulentior* facta, quod imitatus est Rutil. Itin. I. 120. *Adversis solenne tuis sperare secunda*: *exemplo coeli* (lunae) ditia damna *subis*. Similiter *crescere malis* de Hercule Senec. Herc. fur. 33. *damnis dives ab ipsa suis* de hydra Ovid. Heroid. IX. 96. Adde eund. Met. IX. 193. — 60. *ducit opes animumque*, novas vires, novum robur acquirit, animosior facta, *ab ipso ferro*, securi amputata; h. graviter adflicta, maximas clades experta, de Romana gente.

v. 61. Novas comparationes ejusdem illustrandae sententiae subnectit poeta, oratione tam scite variatas, ut comparationis speciem in iis vix agnoscas. De Hydra Lernaea, e cujus uno reciso capite innumera alia succrescerent, narrationem pete ab Ovid. Met. IX. 69 sqq. Cf. Intpp. ad Hygin. f. 30. et ad Appollod. II. 5. 2. Simile effatum Pyrrhi apud Flor. I. 18. *Video me*

plane Herculis sidere procreatum, cui, quasi ab angue Lernaeo, tot caesa hostium capita de sanguine suo renascuntur. Sed frequentatum omnino vett. enatum inde proverbium ὕδραν τέμνειν, ubi ex uno malo, quod sustuleris, nova copiose emergere animadvertas; de quo vid. Torrent. h. l. et Erasm. Adag. p. 319 — *Hydra non firmior*, firmius *crevit in Herculem*, docta brevitate pro, non magis *secto corpore*, resecto uno capite novo succrescente capitum numero, virium incrementa cepit, quibus obniteretur Herculi. Nova adversus Herculem *subrecta* capita docte τῷ *crevit* designat poeta. — *vinci dolentem*, omnibus viribus adnitentem, ne vinceretur, graviter colluctantem cum hydra aegerrimeque vincentem; immense auctas hydrae vires docte ita declarari puta. Iolai demum ope Herculem id effecisse, in vulgus notum. — 63. Neque draco caede sua ferocior ac terribilior fuit. E satis ejus dentibus provenisse γηγενεῖς idque armatos, notum vel ex Ovid. Met. III. 101 sqq. Prodigiosum hunc terrae partum docte *monstrum* poeta adpellat, quod *Colchi et Thebae*, terra Colchica ac Thebana *submisere*, protulere; Iasone Colchis, Thebis Cadmo dentes istos serentibus. Elegans est usus verbi *submittere ἀναπέμπειν*, de rebus, quas terra gignit, passim notatus VV. DD. veluti Burm. ad Val. Fl. III. 528. et ad Propert. I. 2. 9. — *Echioniae*, Boeotiae, ab Echione, uno terrigenarum, e reliquis mutuis ictibus pereuntibus, cum quatuor aliis superstite.

v. 65 sqq. Similiter qua verba qua sententiam Hannibal apud Liv. XXII. 14. init. *Cum eo nimirum hoste res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest; seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.* Idem apud Justin. XXXI. 5. *Aliis bellis plurimum momenti habere, priorem aliquam cepisse occasionem loci temporisque, agros diripuisse, urbes expugnasse; cum Romano, seu occupaveris prior aliqua, seu viceris, tum etiam cum victo et jacente luctandum esse.* Sidon. Apoll. c. VII. 6. *Adversis sic Roma micat cui fixus ab ortu ordo fuit crevisse malis.* In Nostro mire animum percellit nervosa brevitas, quae antithesibus vigorem addit. *Merses profundo*, si mari eam penitus immergas, immersam putes h. calamitatibus oppressam, cladibus confectam, ecce *pulchrior*, gloriosior *evenit*, emergit, in malis major exsistit. Quanto fortior Noster imitatore suo Rutil. Itin. I. 129. *Flevit successus Hannibal ipse suos. Quae mergi nequeunt, nisu majore r.*

surgunt, exsiliuntque imis altius icta vadis. Mergi, ut βαπτίζεσθαι, de malis, quibus opprimimur, uti contra ἐκνεῦσαι, iis liberati, nota poetica loquendi ratione. — 66. Cogita par luctatorum compositum; illum, adversario statu delecto ac labante victoriae jam imminentem, hunc collectis viribus insurgentem, alterumque *integrum* adhuc, h. ne loco quidem motum, uno impetu prosternentem. *Cum laude* igitur *proruit*, majori laudi ei cedit, quod exhaustus paene viribus adversarium *integrum*, integris viribus ac *victorem*, victoriae jam certum *proruit*, terrae adfligit. Forte dicta haec respectu Hasdrubalis, cum exercitu integro atque Hispaniarum victore in Italiae faucibus a Romanis toties ab Hannibale fusis ad internecionem caesi. — 68. *conjugibus loquenda*, cum vi, de quibus conjuges querantur, quorum tristissimam memoriam servaturae sint, maritis ipsorum in iis caesis, adeoque atrocissima, funestissima. Catull. LXIV. 349. 50. *Illius egregias virtutes claraque facta saepe fatebuntur gnatorum in funere matres*. Altera ratio, *conjugibus* (tertio casu) *loqu.* quae victores conjugibus enarrent, ut in Ovidiano: *narrantis conjux pendet ab ore viri*, a Schol. Cruqu. jam allata, minus gravitatis habet pro adfectu loquentis.

v. 69. Pulchre subjicitur Romanis post cladem animosioribus Hannibal, eadem accepta, de summis rebus desperans! quo victoriae istius magnitudinem mirifice extolli, in aprico est videre. *Jam non*, non amplius *mittam*, mittere licebit *Carthagini*, Carthaginiensibus, *nuntios superbos*, qui victoriam *superbam*, magnificam, gloriosam (ut *triumphus superbus* I. 35. 4.) annuntient. Sed docte ipsi *superbi* dicti; partem istius gloriae sibi vindicantes, elati gentis suae gloria. Quam acerba autem haec pristinae felicitatis, cum praesente fortuna collatae, recordatio! Missi autem saepius Carthaginem victoriae nuntii, quos Livius diserte memorat, veluti post cladem Cannensem, XXIII. 11. — 70. Magna δεινότης in repetito *occidit* — *fortuna nostri nominis*, rerum nostrarum, nostrae gentis, nostra. Ita acceptum convenit fere iis, quae idem apud Liv. XXVII. 51. dicit, *agnosco fortunam Carthaginis*; hocque ad Neronis laudes satis splendidum foret, quod ejus victoria Carthaginiensium regni ruinam traxisset. Vel sic tamen praestare arbitror, *fortunam nostri nominis*, de Hannibalis fortuna bellica cum Hasdrubalis exercitu exstincta accipere. Atque hoc jubent anteced. v. 69. et *spes omnis*. Etiam Li-

vius XXVIII. 12. *Post Hasdrubalis vero exercitum cum duce, in quibus spes omnis reposita victoriae fuerat, deletum, cedendoque in angulum Bruttium cetera Italia concessum* cet. valde adposite.

v. 73. Tam insigni edito opere maxima quaevis posterum ab ipso hoc Claudio, ejusque posteris, virtutum suarum heredibus (juxta illa, *fortes creari fortibus*) perpetratum iri recte ominari licet. Exquisitum poetae artificium est, quo ipsum Hannibalem futurae gentis Claudiae magnitudinis vatem fert, sicque orationem ad privignos Augusti, primarium hujus carminis argumentum, inflectit. Male nonnulli poetam iterum loqui autumant; quo totius tetrastichi vis plane infringitur. *Nil non*, omnia perficient *manus Claudiae*, gens Claudia, manu strenua, fortis; omnia prospere ab ista gerentur. Docta reique apta periphrasis est *manus Cl.* in declaranda istius gentis fortitudine bellica; ut *manus Herculea* II. 12. 6. — 74. *Quas*, quandoquidem gentem istam *Jupiter benigno numine*, Deorum favor *defendit*, tutatur. *Sanctos* inde *acceptosque numinibus Claudios* dixit Tacit. Ann. IV. 64. Designatur felicissimus rerum, strenue ac prudenter inceptarum perfectarumque, eventus. Adoptavit etiam Florus II. 6. *Nihil actum erat tanta virtute, tanto favore etiam Deorum.* — 75. *curae sagaces*, consilia sagacia, ingenii sagacitas, prudentia in administrando bello spectata. Supra *consilia* simpliciter dicta v. 24. — 76. *Expediunt per acuta belli*, docte et breviter pro, transmittunt incolumes per maxima belli discrimina, *ex* iisque adeo expediunt. *Acuta belli, pugna acuta*, ὀξὺς Ἄρης, ὀξὺς ἀγὼν θοαὶ μάχαι (Pind. Pyth. VIII. 37.) de pugna ancipiti, atrocissima. Similiter δι' ὀξείας δραμεῖν, ἐπὶ τῶν διακινδυνευόντων, quod proverbium est apud Zenob. Cent. III. et ἐπὶ ξυροῦ εἶναι Theocr. XXII. 6.

ARGUMENTUM V.

Magnum facile agnoscas poetam in exquisita ac plane perfecta Augusti laudum, quas

hujus carminis argumentum fecit, pertractatione. Tantam enim Augusti laudationi, adlatis idoneis rerum argumentis, conciliavit veritatis speciem, ut nihil plane adulationis aut vanae ostentationis ei adspersum, vereque pectus poetam, quum ista scriberet, disertum fecisse, dicere liceat. Tum artificium poetae in quaesite laudando Augusto haud unum animadvertas. Primum, quantis Augustum meritis insignem tibi fingas necesse est, quem, diutius absentem, universus populus Romanus impatientissime desideret, ac paene suspiret? quo sane tenerrimi amoris ac pietatis, a felicitatis ei debitae sensu profectae, vix liquidius adfectus ostendi poterat. Deinde, ne in turpem adulationem prolapsus ac simulate loquutus videri posset, causas quidem, quibus civium animos sibi conciliasset, non ambitiose adtexit, sed docte ab effectis, suavissima felicitatis istorum temporum pictura declaratis, colligendas dat. Tandem, quo rectius de immortalibus ejus in patriam meritis statuatur, magnitudine eorum universum populum ita attonitum atque adfectum ait, ut, quum humana sorte paene altiora sint, Augustum, publicae istius privataeque felicitatis auctorem, non possit, quin summa veneratione ac pietate, tanquam numen tutelare, prosequatur, utque diutissime inter se moretur, quotidie voveat. Ad libationes tam publicas quam privatas, quae jam a. U. DCCXXIV. Senatus Augusto decrevisset, ultima haec spectare, in proclivi est animadvertere. Atque ex his a me dictis, quae hujus carminis summa, quamque artificiosa argumenti sit tractatio, satis expeditum esse arbitror. Ceterum quantum suavitatis atque hilaritatis vel ipsis hujus car-

minis insit numeris, vix admonitione egere arbitror.

Adnotationes.

v. 1. *Divis orte bonis* explicant, nate *Diis bonis*, absolute, *θεῶν ἀγαθῶν*, *εὐμενῶν* sc. *ὄντων θεῶν ἕκητι*, Diis propitiis, Deorum beneficio terris date! fere ut IV. 2. 37. de eodem: *quo nihil majus meliusve terris fata donavere bonique Divi*, haud indocte quidem, neque indigna h. l. rei specie. Augustior tamen h. l. Augusti *Dei* compellatio, quatenus in gentem Iuliam adscitus ad deos genus suum referret, ac meritorum magnitudine, dum adhuc in terris degeret, ita dici adpellarique mereretur. Cf. III. 5. 2. Epp. II. 1. 15. Atque haec per totum fere carmen regnat idea. Thall. Miles. I. 2. (A. B. II. 164.) Καῖσαρ ἀνικάτων ἔκγονε Ρομυλίδων! *αἰθερίην γένεσιν σέο μέλπομεν.* Praestat adeo multo simplicior ratio, oriunde a Divis; *bonis*, qui tantum famque beneficum Romanis numen ex se nasci voluerint. — 2. *Custos gentis Romulae*, Romuleae, itidem tanquam Deus *ἐγχώριος*, tutelaris, ut Neptunus *custos Tarenti* I. 28. 29. Infra idem Augustus *tutela praesens Italiae* IV. 14. 43. et *rerum custos*, adjuncta divinitatis notione, audit. *Romulus*, adjective ut *Dardanus* et plurima alia vocabula. — *abes* a gente tua, *jam nimium diu*; quo admodum molliter desiderii impatientiam prodit. — 3. *pollicitus maturum reditum*, te multo maturius, brevi rediturum, *sancto*, augusto, *Patrum concilio*, ordini, Senatui. Similiter *sanctissimum gravissimumque orbis terrae consilium* Senatum adpellat Cic Cat. I. 9. *sanctum Senatum* Virg. Aen. I. 426. — *redi*, en votorum summam, uno verbo expositam!

v. 5. Exhilara iterum adventu tuo patriam, per longam absentiam moerore prostratam. Suavissima haec imagine extulit poeta. Obnubila omnia sunt (quae solennis tristitiae imago est; expressa quoque a Virg. Aen. II. *vitam in tenebris luctuque trahebam.* Cf. IV. 4. 40.) absente te; igitur *redde lucem patriae*, dispelle ista nubila *luce tua*, te reddito, quo se tanquam Solis luce recreatam patria sentit. Aeschyl. Pers. 298. ubi Atossa, postquam Xerxem cladi superstitem audisset: *ἐμοῖς μὲν εἶπας δόμασιν φάος μέγα, καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου.* Homer. Od. XVI.

25. in summi gaudii testificatione; ἦλθες, Τηλέμαχε, γλυκερὸν φάος. In aliis Homeri locis salutis primariam notionem habet, quae huc non faciunt. *Ducis* minus ambitiosa Augusti adpellatio, etiam sub Impp. frequentata, quod regium nomen Romani exosi essent. Exempla acervatim constipavit Markl. ad Stat. Silv. IV. 1. 46. Nonnulla quoque habet Burm. ad Propert. II. 13. 20. In *patriae* cave arguteris, dictum uti *pater patriae* et sim. — *tuae*, tibi penitus addictae, tantoque desideratius reditum tuum efflagitanti.

v. 6. Vide quam splendide *lucis* notionem exornaverit poeta; in quo iterum divinitatis Augusti subest idea. Scilicet benevoli numinis praesentia insolito fulgore (vid. ad III. 16. 1.) aut candida nube (uti irati caliginosa), qua amictum est (v. ad. I. 2. 31.) prodi credita; unde adeo tota natura refulget, laetioremque faciem induit. Notissimus Lucretii (I. 6. sqq.) locus de Venere: *Te, Dea, te fugiunt venti; te nubila coeli adventumque tuum: — — tibi rident aequora ponti, placatumque nitet diffuso lumine coelum;* quod phantasma varie exornatum est a poetis. Igitur Augusti *vultus instar Veris affulget*, resplendet, per naturam fulgor ejus diffunditur, Veris (personam cogita, uti in splendidissima pompa apud Lucret. V. 736. Cf. IV. 7. 9.) adventantis instar, quod dispulsis nubibus serenitatem reducit. Dictum inde Ἔαρ χρύσειον, κρυερῶν νεφέων ἐλατήρ Oppian. Cyneg. I. 119. Hinc suaviter Theocr. VIII. 41. 43. πάντα ἔαρ — — ἔνθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται, laudante Boettig.; et venustas, veris instar affulgens, Χαρίτων ἔαρ Iulian. LVII. 1. (A. Br. II. 506.) et Alexand. Aetol. V. 7. (A. Br. 497.) πρωθήβης, ἔαρος θαλερώτερος; secuti Theocr. XIII. 45. cui Νυχεία ἔαρ ὁρόωσα dicta. — 7. dies, menses, anni *eunt*, procedunt, obvia ratione, poetis admodum frequentata. Vide ad IV. 7. 12. — 8. *Soles*, φάεα, quatenus cuique diei suum solem adsignant. *Memini me condere Soles* similiter Virg. Ecl. IX. 82. — *melius*, purius *nitent*, servata imagine pro, recreatur patria te praesente.

v. 9. Mollisssimum desiderii adfectum, quo Patrem suum patria pie prosequitur, egregie poeta cum materna sollicitudine comparat, quae per longiorem unici filii absentiam vigorem atque incrementa cepit maxima. Comparationem per se dulcissimam et ad movendos animos aptissimam vide quam ἐναργῶς exposuerit, animaveritque poeta. Augetur desiderii adfectus itineris sus-

cepti difficultate atque periculo, vivideque ad coelum expansis in litore matris, vota metu duplicantis, manibus ostenditur. Acuant talibus locis humanitatis sensum homines invenusti frigidiorisque sanguinis. Profecit autem poeta ex Homeri Od. XVI. 17. comparatione, quamquam paullo aliter adornata: *ὡς δὲ πατὴρ ὃν παῖδα φίλα φρονέων ἀγαπάζει ἐλθόντ' ἐξ ἀπίης γαίης δεκάτῳ ἐνιαυτῷ, μοῦνον, τηλύγετον, τῷ ἐπ' ἄλγεα πολλὰ μογήσῃ· ὡς τότε* cet. Cum Nostro certamen instituit Oppian. Hal. IV. 335. sqq. *ὡς δ' ὅτε τηλύγετον μήτηρ γόνον, ἢ καὶ ἀκοίτην εὐνέτις ἀλλοδαπὴν τῆλε χθόνα γαῖαν ἰόντα ἀχνυμένη στέλλησι· νόος δέ οἱ ἔνδον ἀλύει, ὅσση οἱ μεσσηγὺς ἁλὸς χύσις, ὅσσα τε κύκλα μηνῶν· ἀκροτάτοισι δ' ἐπεμβαίνουσα θαλάσσης κύμασι δακρυόεσσαν ἐπὶ στόμα γῆρυν ἵησι, σπεύδειν λισσομένη· καί μιν πόδες οὐκ ἔτ' ὀπίσσω ἱεμένην φορέουσιν, ἔχει δ' ἐπὶ πόντον ὀπωπάς.* Intellige autem juvenem, adversis ventis, quo minus e Bithynia, quo mercaturae causa profectus fuerat, reditum parare posset, prohibitum ac detentum. Docte hoc Carpathii maris, quod ei transeundum erat, et *Noti*, redeunti Italiam adversi mentione facta innuit poeta. — *Notus invido flatu*, flatus Noti invidi, Notus invidus, adversus, matri filii reditum invidens; ornate. — *Carpathii maris aequora*. solenni copia poetica pro, Carpathium mare, de quo vid. ad I. 35. 8. — *distinet*, sejunctum eum tenet *a domo dulci*, desiderata, ultra annum. Pro quo ornatius est, *cunctantem*, ita ut ei desidendum sit, a domo abesse cogatur *longius*, diutius *annuo spatio*, anno. Magis autem poeticum erit, si jungas *distinet trans aequora*, qua *cunctantem trans aequora*.

v. 13. Praeclare omnia cumulat poeta, quibus sollicitudinem matris, salvum filii reditum a diis impetrandi ob oculos ponat. *Votis*, diis pro incolumi filio nuncupatis, *vocat juvenem* deos exorare studet, ut reddant sibi filium. *Precibus vocare imbrem* similiter Virg. Ge. I. 157. *Ominibus* faustis captandis, aut, si sinistra adpareant, iis averruncandis. Utrumque conjungi solenne. Liv. praef. in fin. *Cum bonis potius ominibus, votisque ac precationibus deorum libentius inciperemus* cet. — 14. *non demovet faciem*, fixis in mare oculis prospicit, unde eum venturum sperat. — 15. Eodem tui desiderio flagrat universus populus. — *desideriis icta*, *πόθῳ βληθεῖσα*, *ἱμέρῳ πεπληγμένη*, ut Aeschyl. Agam. 555. et 1215. *Desiderio perfixa juvenci*, Lucret. II. 360. Omnino de quovis vehementiore animi adfectu poetis ad-

hiberi, in vulgus notum est. *fidelibus*, fidem, amorem pop. Rom. in te testantibus, pio animo profectis; significanter. — 16. *quaerit*, suaviter desiderii notionem exponit, Cf. III. 24. 32. Alia vide apud Markl. ad Stat. Silv. III. Omnino *desid. icta quaerit*, delecta copia est pro, vulgari, desiderat *Caesarem suum*, quod ipsum quam anguste pro tenui, te.

v. 17 *sqq.* Ut omnem simulatae pietatis suspicionem excludat poeta, causas subjicit, a quibus ardentissimum illud desiderium proficiscatur; insignia ipsius in remp. merita; quae docte ab effectis declarata statim subjiciuntur. Declarat autem ea ab summa omnium rerum abundantia, securitate, innocentia, morumque integritate; quibus quum auream aetatem fere designari constet, in promtu est artem poetae perspicere, qua Augusteum saeculum cum aureo composuerit. Bos *tutus*, tuto, secure *rura perambulat*, otiose in pratis pascitur. *Perambulare*, quod alias est errare, palare, vagari, de pastu gregum. Bovem aratorem intelligunt nonnulli, nescio quam commode propter sqq. et omnino suavior securitatis imago; grex libere per prata vagans, dum pascitur. — Venusta eximiae ubertatis imago: *Ceres* et *Faustitas*, quae alibi Abundantia, Copia (C. Saec. v. 60.) *nutriunt rura*, fecundant segetes, unde largus proventus exsistit. Consimilis imago apud Tib. VI. 1. 163. *Non illic* colit arva *deus Bacchusve Ceresve.* Nostrum ante oculos habuit Sil. XII. 375. *Arva coquit nimium — — cetera propensae Cereris nutrita favore.* — *alma*, benevola, in largiendis frugibus. Ad sententiam IV. 15. 5. *tua, Caesar, aetas fruges et agris retulit uberes.* — 19, *Navitae*, speciatim mercatores, *volitant per mare*, secure maria trajiciunt, quippe *pacata*, non amplius infestata, compositis bellis civilibus. Adposite laudant, quae nautae Augusto sinum Puteolanum praetervehenti adclamarunt, *per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui*, apud Sueton. Aug. 98. *Volitare* praeclare lasciviam et audaciam nautarum in summa securitate depingit. Vide vel Ernesti Clav. Cic. h. v. — 20. *Fides metuit culpari*, cavet, ne culpetur, omnino non culpatur, sincera, incorrupta, integra est ab omni fraude; nota loquendi ratione.

v. 21. Per te restituta disciplina publica, reducti mores majorum. Effectum maxime hoc Augustus voluit latis legg. Juliis de adulteriis, quae omnis morum corruptelae fontem haberet.

Cf. III. 6. 17. — *Nullis polluitur* cet. Matrimonia casta sunt, nullis sturpis *polluta*, contaminata. Notae graecorum loquendi formulae, μιαίνειν, αἰσχύνειν λέχος, hac de re. — 22. More pristino restituto, latisque, quae adulteria compescerent, legibus. Sed nova sententia ornate exposuit poeta. — *edomuit*, coërcuit, exstirpavit *nefas*, flagitia, h. adulteria, quaesito verbo. Nam *Licentia evagatur*, cui lex *frenum injicit*, illam compescens, ut IV. 15. 10. ubi vid. Not. — *maculosum*, foedum, turpe, communi flagitiorum epitheto, quatenus νόμον μιαίνουσι (ut Incert. apud Stob. Grot. p. 119.) vel homini notam inurunt; tum solenne poetis, *labes adulterii* (ut Ovid. Am. III. 5. 44.) *libidine foedus et maculosus* Tacit. Hist. I. 7. et similia. Respondet igitur τῷ *polluitur*. — 23. Castitatis fideique uxoris in maritum maximum apud antiquos argumentum *proles* marito *similis*. Laudatis jam ab aliis poetarum locis, Hesiod. Ἔργ. 233 sqq. Theocr. XVII. 44. Catull. LVIII. 225. et Martial. VI. 27. 3. adde Athen. V. p. 190. Nossidis ep. VII. 4. (A. Br. I. 195.) ἦ καλὸν ὅκκα τέλει τέκνα γονεῦσιν ἴσα. Ovid. Trist. IV. 5. 31. Alia habet Abresch. ad Aristaen. Lectt. p. 120. — 24. *Culpam premit* pede, statim sequitur, instat ei *Poena*, flagitia statim vindicantur; ne dilatione robur acquirant, latiusque serpant impunitatis illectamento.

v. 25 sqq. Securitatem externam civitati Romanae ab Augusto effectam vivide delineat poeta, commemoratis speciatim, qui imperium Rom. antea infestassent, atrocissimis hostibus, nunc partim edomitis, partim repressis. Vividum securitatis sensum vivida pulchre prodit oratio. De *Parthis* domitis vid. ad III. 5. de *Scythis*, ultra Istrum repressis v. II. 9. 23. De *Germanis* v. IV. 4. denique de *Cantabris* v. II. 6. 2. et III. 14. init. — *gelidum Scythen, gelidae orae*, (I. 26. 4.) Septentrionis incolam. — 26. Quis *fetus Germaniae horridae*, docta epithetorum permutatione, pro *fetus Grem. horridos*, Germanos adspectu truces, immani virium robore quantumvis feroces; ita enim accipi debere, docet oppositionis (τῷ *paveat*) elegantia, Atque hoc sensu *feram Germaniam* dixit Ovid. Trist. IV. 2. 1. et ex P. II. 8. 39. (ubi eadem oppositio: *Sic fera quam primum pavido Germania vultu* cet.) *Germaniam atrocem* Prisciam. Perieg. 275. *Germanos truces* idem 294. Infra V. 16. 7. *fera caerulea Germania pube.* Ad horridam, qua Taciti adhuc squalebat aetate, Ger-

maniae faciem vix bene referas; quamquam *horrere* proprium hac de re verbum. Eadem virtute Valer. Fl. II. 645. *licet hinc saevas tellus alat horrida gentes*, ubi *saevus* τῷ *horrida* lucem suam adfundit. Ceterum incolas telluris, in qua nati educatique sunt, *fetus* subolem, atque alumnos dici, notum vel e Catull. LXIII. 50 *Patria o mea creatrix, patria o mea genetrix.* Avien. Descr. O. 311. de hac ipsa re: *Italidum vi moesta paludivagos Germania flevit alumnos.* Delecta autem h. l. in Germanorum atrocium descriptione imago, quasi γηγενῶν naturam ii referant, terra sati. *Fetus* autem adhibuit poeta, non quod instar catulorum ferarum essent, sed propter Germaniam matrem; cujus fetus est, quidquid intra eam gignitur. Ceterum orationis colorem e Nostro duxit Sil. I. 230. *atros chalybis fetus humus horrida nutrit*, satis feliciter. — 27. In *incolumi Caesare* magna δεινότης est, et ad totam ῥῆσιν spectat; hoc vivente, hujus nominis terrore contremiscunt gentes! — *Iberia fera*, propter Cantabros feros, bellicosos.

v. 29. Succedunt suavissimae tranquillae atque inter jucundissimos labores actae vitae picturae, quibus animum post horridarum gentium enumerationem mirifice deliniri sentias. Ex opere autem rustico gratam tantum ejus speciem repraesentat, vini culturam, atque ex hac ipsa genus quoddam, quod nec taedii nec defatigationis offensionem habet. Tum ipsam hanc impendi vides operam ad vitam genialiter agendam; quam statim exquisita ratione ad Augustum, felicitatis istius auctorem, relatam subjicit. — *Condimus diem*, dum inter opus, quo per totum diem occupati eramus, conditur, elabitur, occidit; quod de sole magis proprie dici, in promtu est videre. Atque ita jam Callim. ep. II. 3. ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν, et inde Virg. Ecl. IX. 52. Paullo argutius Claudian. LII. 13. *Idem condit ager soles, idemque reducit*, pro, in eodem agro semper versatur. Saepissime autem solem cum temporis spatio, quod cursu suo efficit, h. die permutari, in vulgus notum. — *in collibus* vitiferis, vinetis. — *suis*, quorum nunc tuta possessio est: quae bellis civilibus admodum incerta erat. — 30. Et maritat arbores vitibus, alligat vites arboribus; nota loquendi ratione. Vid ad V. 2. 10. — *viduas*, antequam iis alligarentur vites; ornat. Proprie autem *arbores viduae*, oppos. *vitibus maritis*, ut Juvenal. VIII. 78. *Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.* Catullus tamen

vitem viduam adpellat LXII. 49. — 31. *Hinc*, absoluto diurno opere, *redit* (nam quovis die hoc facit) *ad vina*, compotationem instituit, *laetus conviva curat*, ut de agricolis Virg. Ge. I. 301. — *mensis alteris*, secundis *te adhibet*, tanquam *deum ἐπιτραπέζιον*. Alludit poeta ad Graecorum morem, qui deorum tutelarium parva sigilla mensis suis adponerent, quibus post epulas libarent. Notissimus Alexandri Hercules ἐπιτραπέζιος, *Genius tutelaque mensae*, Lysippi opus unius pedis mensura, quem pulchre describit Stat. Silv. IV. 6. Cf. omnino quos laudat Barth. ibi ad v. 32. Orationis colorem Virgil. quoque inde duxit Aen. V. 62. *adhibete Penates et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.* Non igitur h. l. simpliciter est, tibi, ut deo, libat; nam hoc v. 33. demum subjicitur; quamquam libationes Augusto publice decretas, transferendo huic graeco mori ansam poetae dedisse recte statuas. De iis Dio LI. 19. p. 457. ἐν τοῖς συσσιτίοις, οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις, πάντας αὐτῷ σπένδειν ἐκέλευσαν. Eundem apud Graecos regibus habitum honorem fuisse docet Luciani Catapl. I. p. 633.

v. 33. Te *prosequitur*, colit, honorat multis precibus, et *mero pateris defuso*, libatione facta. Nam preces et libationes τιμαὶ θεῶν, unde *laticum libavit honorem* Virg. Aen. I. 736. et sexcenties alibi. Factas autem fuisse preces inter libandum docet vel I. 32. 2. *quid orat, de patera novum fundens liquorem?* Ad sententiam Ovid. Fast. II. 637. *Bene nos, patriae, bene te, Pater, optime Caesar, dicite suffuso per sacra verba mero.* Thall. Miles. I. 3. (A. Br. II. 164.) de eodem vel Tiberio: ἀμφὶ δὲ βωμοῖς γηθοσύνους (f. γηθόσυνοι) λοιβὰς σπένδομεν ἀθανάτοις (f. ἀθανάτῳ) — *Laribus miscet* inter θεοὺς πατρῴους, gentis conservatores refert *tuum Numen, uti Graecia* heroas suos, Dioscuros et Herculem. Diis σωτῆρσι adnumerat. Hinc passim in nummis Augustus *Parens* et *Conservator P. R.* dictus. Jungi autem oportere: *uti Graecia* Cast. et Herc. Diis suis miscet, vix dubitandum. — *Memor* ornate docteque adjectum pro, propter ingentia ipsorum merita. Plenius ita Cic. Off. III. 5. *Herculem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio Coëlestium collocavit.* Ad rem conf. III. 3. 9 sqq. De libatione Herculi fieri solita diserte Ion. II. 5. (A. Br. I. 162.) σπένδοντες δ' ἁγνῶς Ἡρακλεῖ τ' Ἀλκμήνῃ τε — ἐκ Διὸς ἀρχόμενοι πίνωμεν cet.

v. 37. Diu *praestes*, largiaris, concedas *Hesperiae*, Italiae

tuae has *ferias*, hanc tranquillitatem ac securitatem, utinam hanc felicitatem diuturnam esse velis! quam splendide de Augusto, tanquam deo, pro vulgari, diu vivas! Minus graviter, quamquam eodem divinitatis adsumto colore Thall. ep. l. v. 6. εὐχομένοις ἡμῖν πουλὺ μένοις ἐπ' ἔτος. Ornatum forte Noster repetiit ab ἐπιδημίαις deorum; nam iis praesentibus feriatur tota regio, festis epulis, choreis cet. occupata; qualem vitam otiosam atque jucundam Augusto Romani debeant. — *dicimus*, precamur te mane et vesperi. Utrumque exornavit poeta. *Die integro* nulla dum parte sui demta. — *Sicci* vino necdum irrigati. Vid. I. 18. 3. Cf. Plaut. Asin. V. 2. 7. Pseud. I. 2. 51. H. l. simpliciter ornat, et inservit. oppos. *uvidi*, madidi, βεβρεγμένοι, de quo consule Villois. Animadv. ad Long. p. 141. — 40. *Sol Oc. subest* e poetica ratione; suaviter a compotatione nocturna tempus vespertinum designatur.



ARGUMENTUM VI.



Solenne, quod ludis secularibus, a. U. DCCXXXVII. magna religione celebrandis, in templo Apollinis Palatini a choro puerorum ac puellarum caneretur, carmen ab Augusto scribere jussus Horatius, quo augustiorem muneri isti, sibi admodum honorifico, speciem ac dignitatem conciliaret, Apollinem hoc carmine, quod quidem, respectu secularis carminis, προοιμίου *adpellatione optime indigites, antea invocat, eumque, ut se, carmen illud meditantem, adjuvet, divinoque adflatu dignetur, rogat. Jam, quum maxima jam apud populares suos lyricae poeseos fama vigeret, id quod hujus ipsius muneris injuncti ratio abunde ostendit, satis poeta habet, Apollinem orare, ut, quam ei acceptam*

ferat laudem poeticam, nunc tueatur, integramque conservet. Tum, ut omnia recte peragantur; sumta chorodidascali persona ad chorum convertit se, monetque eum, ut gravissimis, quas in se tuendas receperit, ne desit partibus, proposita, qua studium ejus acuat, jucundissima quondam rei bene gestae recordatione. Jam in tractando hoc argumento quomodo versatus sit poeta, paucis dispiciamus. Magnificum statim prorsus est, quod universo carmini antiquioris hymni habitum induerit. Cujus quum praecipua pars in laudibus exorandi numinis posita sit, delecte admodum poeta eas Apollinis virtutes percenset; quae maximum ad futuram rem Romanam momentum haberent. Igitur exposita Apollinis a Niobe Tityoque sumta vindicta in Achille, ab eodem sagittis confosso, haeret, in exornandaque hujus facti magnitudine sibi maximopere indulget; quod quidem, non tam nisum lyricum sequutus, quam potius summo cum judicii acumine fecisse videri debet, quandoquidem sola Achillis morte effectum est, ut Trojana gens, non plane deleta, laetioribus incrementis revirescere potuerit. Quae quam adposita ad carminis secularis argumentum sint, facile quisque intelligat. Tum religioso, ut ita dicam, incessu gravitateque concinna ubique sententias procedere videas, masculo orationis vigore probe corroboratas.

Adnotationes.

Vv. 1. 15. Occupatur poeta celebrandis Apollinis laudibus, speciali insignium operum ab ipso editorum, quae maximam numinis ejus potentiam arguunt, adtexto recensu; quo quidem priscorum hymnorum faciem plane repraesentari facile intelligas.

De Niobe vid. loc. class. apud Hom. Il. ω. 602. sqq. Cf. intpp. ad Hygin. f. 9. ad Ovid. Metam. VI. 146. et ad Appollod. III. 5. 6. *Proles Niobea*, liberi Niobes; de quorum numero ad h. l. disquirere cum quibusdam parum fructuosum ad poetam foret. — *vindicem*, ultorem *magnae linguae* μεγαληγορίας, jactantiae matris. *Magna lingua*, *magna loqui*, ut μεγάλη γλῶσσα, μέγα μυθεῖσθαι, apud Graecos. Sophocl. Antig. 128. Ζεὺς μεγάλης γλώσσης κόμπους ὑπερεχθαίρει. Theocr. X. 10. μηδὲν μέγα μύθευ. Μιλ. οὐ μέγα μυθεῦμαι. Tibull. II. 6. 11. *Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto excutiunt clausae fortia verba fores*. Ovid. Trist. 3. 29. *Illo nec levius cecidi, quem magna locutum repulit a Thebis Jupiter igne suo.* De Niobe Stat. Theb. III. 192. *magniloquos luit impia flatus Tantalis, innumeris quum circumfusa ruinis corpora tot raperet terra, tot quaereret ignes.* Dicta inde Niobe κακόγλωσσος Callim. H. Del. 96. ἀθυρόγλωσσος Theodoridae VII. 2. (A. Br. II. 42.) λάλος Antipat. Thess LV. 2. (A. B., II. 123.) — *sensit*, cum vi, graviter expertus est, gravem maternae temeritatis poenam luit; ut saepius. Senec. Oedip. 472. *Sensere terrae te Dahum feroces.* Idem Agam. 829. *Te sensit Nemeaeus arcto pressus lacerto fulmineus leo.* — De *Tityo* vid. ad II. 14. 9. III. 4. 77. *Raptor*, qui vim Dianae inferre conaretur; solenne hoc de stupro violento. Vid. v. c. Senec. Hippol. 627. et 726. — 3. 4. Achillem a Paride, tela Phoebo dirigente, confossum iri vaticinatur Hector moribundus apud Hom. Il. XXII. 359. 60. quem sequitur Virg. Aen. VI. 57. Sophocl. Philoct. 333. Τέθνηκεν ἀνδρὸς οὐδενὸς, θεοῦ δ' ὑπὸ τοξευτὸς, ὡς λέγουσιν, ἐκ Φοίβου δαμείς. Vid. Intpp. ad Hygin. f. 107. *Phthius*, Φθιώτης, a Phthiotide, Thessaliae tractu, cui imperabat. — *prope victor Trojae*, sublato, qui Trojae excidium morabatur, Hectore. De eodem II. 4. 10 *Tradidit fessis leviora tolli Pergama Grajis*, ubi vide Not. — *altae*, αἰπεινῆς, Homerico Trojae epitheto.

v. 5. In Achille haeret poeta, Homericis, quibus rem exponeret, invitatus imaginibus. Omnino lyricae rationi satis consentaneum videtur, alia transmittere aut breviter attingere, alia vero copiosius tractare atque omni spiritus poetici ἐναργείᾳ instruere, cujus rei apud Pindarum et Nostrum satis luculenta exstant exempla. Hoc autem loco magnam tractationis artem hac ipsa amplificatione ostendit poeta, quandoquidem mors Achillis

maximum instaurandae in Latio Trojae momentum faciebat. Vid. vv. 21 sqq. Ceterum Achillis virtutem insigniter extollit poeta, quo major inde Apollini gloria accederet. Jam vv. 5 — 8. vulgaris enuntiatio erat; quamquam heroum, qui ad Trojam venissent, fortissimus esset. *Ceteris* Graecis *major* *μείζων* (ut Aeschyl. VII. adv. Theb. 427.) fortior, ἄριστος Ἀχαιῶν (Hom. Il. I. 412.) *tibi* soli *miles* *πολεμιστὴς ὤν*, *impar* pugna, inferior tecum congressus, pugna decernens; haec notio subest τῷ *miles* — 6. *Quamquam* ille summo virium robore polleret. Hoc admodum ἐναργῶς illustri ejus rei documento designatur a poeta. Pro, ille, quanta cum vi, *filius Thetidis marinae*. utpote qui dea natus esset. In hoc plerique totius sententiae vim ponunt, quod vix putem. Tum saltem ita sententia constituenda foret: quamquam se Thetidis filium immenso virium robore probaret, quod ad nostram rationem proxime accedit. — 7. *turres*, proprie pinnae, propugnacula murorum, tum ipsi muri, ut πύργοι, στεφάνα πύργων Eurip. Hec. 910 πύργοι θεότευκτοι Trojae, Simmias Bip. 12. (A. Br. I. 210.) *Quatit* eas, convellit, labefactat Achilles *pugnax tremenda cuspide*, oppugnans adgressus eas, infixa iis fortiter lancea, solo hastae impulsu. Excelsissima imago, qua vastae vires Achillis magnifice repraesentantur. Ad Nostrum, *Achilleis infelix Troja lacertis quassata* dicta in Anthol. Burm. T. I. p. 634. Ad falaricam ornatum verborum transtulit Sil. VI. 215. *suetamque movere excelsas turres immensae cuspidis hastam* et VII. 485. *Punica Romuleos quatient mox spicula muros.*

v. 9 — 12. Achillem πελώριον (Il. φ. 527.), quo totius tetrastichi vis redit, egregie poeta repraesentat ab amplo spatio, quod cadens occupavit, Homerica specie, comparationibusque usus. *Procidit*, procubuit *late* ἐκτετάνυστο s. ut de Achille Hom. Od. ω. 39. 40. σὺ δὲ στροφάλιγγι κονίης κεῖσο μέγας μεγαλωστί. Vastam corporis molem vivide declarant comparationes, et ipsae ex Homero ductae; veluti Il. V. 414. Vid. Cerd. et Heyn. ad Virg. Aen. V. 448. Adde Hesiod. Scut. 421. — *icta*, caesa ferro. — *mordere* poetis res dicuntur invicem nexae (ut *fibula* Virg. Aen. XII. 274. Stat. Theb. VII. 659.) vel mole sua (ut *ancorae uncus morsus* Aen. I. 169.) aut vi fortiter impactae ut h. l. — *impulsa Euro*, dejecta vento. — *posuit collum*, collapsa cervice (ut apud Virg. Aen. IX. 434.) jacuit *in pulvere*, κάππεσεν ἐν κονίῃσι

(unde κατεσκεδημένοι, occisi, apud Aeschyl. Sept. c. Theb. 811.) *Theucro*, ad Trojam.

v. 13. Ille totam Trojanorum gentem, quae insita animo ejus erat truculentia ac feritas, penitus exstirpasset, sicque omnem instaurandae aliquando in Latio Trojae spem intercepisset; *ni* cet. Acute poeta hanc de Achillis saevitia, quae nulli Trojanorum parsura fuisset, conjecturam ducit ab animi ejus ferocia atque immanitate, per totam Iliada conspicua. Cf. Il. *v.* 467. sq. Praeclare autem ad Achillis brutam animi ferociam luce sua collustrandam attemperata ab Horatio omnia, adscitis ab Ilio per fraudem capto coloribus. Ille non *falleret*, sed *ureret*, *ni*, pro fefellisset, ussisset, nisi cet. nota graecitate. *Ille non* fraude Trojanos oppressisset, Trojam cepisset, uti post mortem ejus factum. De *equo* durateo h. l. exponere, nihil attinet; adeant quibus opus est, Virg. Aen. II. sqq. Q. Cal. XII. 66. sqq. — *Minervae sacra mentito*, qui mentiretur, se Minervae sacrum, ἀνάθημα, esse, docte pro, quem Graeci Minervae pro reditu votum (Virg. Aen. II. 17.) vel ad eam propter Palladium surreptum placandam exstructum simularent. — 14. *male* cum maximo infortunio suo, satis intempestive *feriatos*, ob simulatum Graecorum discessum feriantes, otio solutos, diem festum secure atque hilariter agentes. — 15. *laetam choreis*, indulgentem choreis. Suavior hanc ad animum imago, quam si Priami *aulam* s. regiam somno vinoque sepultam exhibuisset poeta.

v. 17 — 20. Sed aperto Marte urbem expugnasset, incendioque absumsisset, omnesque ad unum Trojanos occidisset. Agnosce poetam cum in connectenda artificiose sententia, tum in eadem graviter ac ornate enuntianda. — *palum* ἀμφαδὸν, ut Agath. LXIII. (A. Br. III. 58.) ἁ κλεινὰ Πριάμου πόλις, ἂν ἀλαπάξαι Ἑλλάνων δεκέτης οὐκ ἐπάλαξεν Ἄρης ἀμφαδόν. ἀλλ' ἵπποιο κακὸν ξύλον. Magnifice Capaneus apud Stat. Theb. X. 477. *Nunc nunc mihi vincere pulchrum* teste die; *mecum* clamore et pulvere aperto *ite* palam *juvenes*. — *gravis captis*, βαρὺς ἑαλωκόσι, crudeliter cum captae urbis incolis agens, immaniter in eos saeviens; cujus rei species statim subtexit poeta. Ita βαρὺς Πέρσαις Alexander dictus Theocr. XVII. 19. οἷς σὺ γένοιο βαρὺς Rhian. VII. 4. (A. Br. I. 481.) — 18. *Nescios fari pueros*, νήπια τέκνα infantes, ac vel *latentem* adhuc *in matris alvo*, neque dum natos *ureret flammis*, igni Trojae ardentis injecisset.. Praeclare ita

Trojae incendium involvit poeta. Postrema ex Agamemnonis oratione expressa apud Homer. Il. VI. 57. sqq. τῶν (Τρώων) μήτις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον, χεῖρας θ' ἡμετέρας· μηδ' ὅντινα γαστέρι μήτηρ κοῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὃς φύγοι· ἀλλ' ἅμα πάντες Ἰλίου ἐξαπολοίατ' ἀκήδεστοι καὶ ἄφαντοι.

v. 21. Nisi Achilles occisus fuisset. Pro hoc suavissima ad Romani imperii origines, quae Achillem ante Trojae eversionem tollendum suaderent, conversione facta: nisi *Divum pater*, Jupiter non omnino delendos Teucros statuisset, novam iis in Latio urbem condendam concessisset, quae caput orbis terrarum futura esset. Concesso autem hoc etiam in Achillis letum consensisse Jovem haud necesse erat, ut disertius exponeret poeta. Ceterum antiquum, ut ita dicam, Horatius obtinet, quod a Diis gentis ejus tutelaribus sese Jupiter exorari patitur; quod cum ad majestatem Jovis recte aestimandam fieri necesse erat, tum quod absque ejus nutu, cui populorum fata alligaret antiquitas, ne ceteris Diis quidem in homines quid. quam liceret. Acute hoc jam observavit Luctat. ad Stat. Theb. V. 176. quod epicis poetis, Homeri auspicia secutis, passim frequentatur. Quae species etiam ad Romani imperii dignitatem ac splendorem augustior videri debet. — *victus vocibus*, motus precibus Apollinis et Veneris *gratae*, cujus ideo preces efficacissimae, *adnuit rebus Aeneae*, concessit Aeneae (noto graecismo) ceterisque Danaum reliquiis, *muros*, novam urbem, Romam, *potiore alite*, melioribus, quam quibus Troja condita fuisset, auspiciis, *ductam*, exstruendam, verbo, quae aeterna foret. *Ducere muros* vel omnino est, educere, struere, vel, quod malim, fossa ducta locum exstruendo muro definire, quod ipsum auspicato fiebat. Ita plane respondet gr. ἐλαύνειν, veluti Hom. Il. IX. 349. ἐλαύνειν τάφρον. Atque hac virtute *ducere muros* accipere praestat propter adj. *molirique arcem* et sqq in designandis rerum fundamentis occupata apud Virg. Aen. I. 413. De auspiciis in condenda nova sede captis nota res vel ex Callimacho H. Apoll. 55. Φοίβῳ δ' ἑσπόμενοι πόλιας διεμετρήσαντο ἄνθρωποι, ubi vides διαμετρήσασθαι idem esse, quod specialius Noster, *ducere muros*.

v. 25. Nova Numinis invocatione facta (quod et ipsum ad priscorum hymnorum formam adcommodate fit) poeta ad preces transit. *Fidicen* λυρόεργε (ut Apollo audit in Orphic. Ar-

gon. 7.) qui lyram pulsas, εὐφόρμιγξ, λύρας, ἀοιδάων μεδέων, Callim. H. Del. 5. — *doctor Thaliae* h. l. Musae lyricae, *Argivae*, (ut *Grajae Camenae* II. 16. 38.) qui docuisti Graecos lyrica carmina (λύρας ὤπασε θέσπιν ἀοιδὰν Φοῖβος, ἁγήτωρ μελέων Eurip. Med. 424.) qui lyricos poetas Graecos numine tuo adflasti. Cum delectu hoc; nam ad istos exprimendos Horatium sese composuisse satis constat, et ipse passim prae se fert. — 26. *qui Xantho lavis amne crines*: doctius et quaesitius quam, εὐχαίτα, ἀκερσεκόμα. Supra III. 4. 61. *Qui rore puro Castaliae lavit crines solutos*. — 27. *Defende*, tuere, sustenta *decus Camenae*, Camenam; sed alterum ἐναργῶς, quatenus Horatius magnum carminibus lyricis nomen inter Romanos (cf. III. 3. extr.) adeptus esset. Illud autem splendide pro vulgari, adsis, praesto sis mihi canenti. — *Daunia* opponitur *Argivae Thaliae*, Appula, mea; nihil amplius. Ita *Romanae* sese *fidicinem lyrae* Noster fert III. 3. 23. — 28. *Agyiei* cognomento Apollinis Athenis per vias (ἀγυιάς) religio erat, in quibus arae ipsi erectae erant. Aristoph. Σφηκ. 870. Solennis inde haecce in Graecorum hymnis compellatio. Adi, quos bene multos laudat Valken. ad Eurip. Phoen. 634. — *levis*, λεῖος ὑπήνην; vide, si tanti putes, Ruhnk. ep. crit. I. p. 66. Spectat autem ad *aeternam Phoebi juventam* (Tibull. I. 4. 37.) epitheton. Certatim laudant Callim. H. Apoll. 36. θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.

v. 29. 30. Sensus, quos his vv. explicuit poeta, unice profectos puta a verbis, *def. decus Camenae*. Nam illud *decus* se Apollini acceptum ferre, nunc jactanter subjicit. Atque haec arrogantia multum gravitatis habet in poeta, qui augusta χοροδιδασκάλου persona sumta chorum carminis saecularis modos edocturus est. Ita enim demum muneri poetae, ut ita dicam, saecularis se parem ostentare poterat. Enthusiasmum poetae plerique h. l. agnoscunt, quo se ab Apolline exauditum, canendoque carmini saeculari jam idoneum profitentur; quod quem alienum ab h. l. sit, cum moderatior atque aequabiliter per totum carmen procedens spiritus, tum ipsa enuntiandi ratio (*artem carminis*; *nomen poetae*) satis manifestat. — *Spiritum*, excelsiorem ingenii nisum, vim lyricam, τὸ ἐνθουσιῶδες, εὐφαντασίωτον, ut II. 16. 38. *mihi — spiritum Grajae tenuem Camenae Parca non mendace dedit*. — *artem carminis*, τέχνην μουσικήν, lyram scite pulsandi; modos, numeros carminis intellige. Utroque designat

facultatem suam poeticam Horatius. — *nomen poetae, quod ponar inter vatum choros* IV. 3. 15.

v. 31. Asserta carminum suorum divinitate poeta ad chorum convertitur, ipsa ejus splendida professione ad condiscendos modos jam excitatum atque praeparatum. — *Virginum primae*; natalium splendore, e clarissimis gentibus ortae, *puerique*, juvenes ejusdem prosapiae. Ad rem vid. Argum. carm. Saec. — 33. *tutela*, qui in tutela estis *Deliae deae*, Dianae. Hanc solam tutricem chori adpellat Horatius, quum et Apollini suae partes essent, tanquam poeta. Ad rem Catull. XXXIV. init. *Dianae sumus in fide, puellae et pueri integri.* — 34. *cohibentis arcu*, sistentis fugam, graphice pro, figentis sagitta, ferientis *lyncas* et *cervos*; plane ut apud Callim. H. Dian. 16. ὁππότε μηκέτι λύγκας, μήτ' ἐλάφους βάλλοιμι. — *fugaces* praeclare respondet τῷ *cohibentis*. Ceterum haec Dianae a muneribus ejus designatio et ipsa priscorum hymnorum naturam redolet — 35. *Servate*, observate, attendite ad *pedem*, mensuram, numeros *Lesbios*, metri Sapphici, quo Carmen Saeculare expressum est, cantum et incessum adcommodate ad illud, et ad *ictum pollicis*, ad modos percussa a me lyra editos ad modorum mensuram (*Takt*) in carmine saeculari canendo (arte enim jungendi vv. 37 — 40. antecedentibus). Pro carmine saeculari docte argumentum ejus tanquam in tabula repraesentat poeta. *Rite*, ex antiqua religione, seu ut Tibullus ait, *ritus ut a prisco traditus exstat avo*, II. 1. 2. Male ad carminis leges referunt. — *Latonae puerum*, Λητοῦς παῖδα, angustiore adpellatione, itidem hymnis frequentata. — 38. Dianam πολυώνυμον primo *Noctilucam* adpellat Romana religione; eo enim cognomine in Palatio cultam fuisse constat de Varr. e L. L. IV. 10. Luna *dicta Noctiluca in Palatio*; *nam illi noctu lucet templum.* Eadem ratione Graecis dicta νυκτιφαής, νυκτιλαμπής. Cf. Verheyk ad Anton. Lib. c. XXIX. — *crescens face*, lumine, αὐξομένη (Orphic. H. 8. 4.) ad lunae auctus refer. — 39. *prosperam frugum*; quae fruges prosperas reddit, rore nocturno. Quo eodem nomine Ἠὼς ἀεξίφυτος audit Meleag. CX. 5. Οἱ δ' ἀπαλὴν πίνοντες ἀεξιφύτου δρόσον Ἠοῦς. Dicta inde φερέκαρπος, Orph. H. 8. 5. Catull. c. l. 19. *Rustica agricolae bonis tecta frugibus exples.* — *celerem volvere*, noto graecismo (ut I. 15. 18.) quae celeriter volvit, cursu suo celeri

efficit, ut *menses proni*, prono cursu decurrant; *cursu menstrua metiens iter annuum* Catull. l. l.

v. 41 sqq. Novum incitamentum, quo studia puerorum ac virginum acuat, poeta a rei praeclare gestae jucundissima aliquando recordatione ductum subjungit. Quo quidem ii sese erigant, quibus recte actorum laborum fructus aut plane intercipitur, aut longissime ostenditur. Trivialem cannam poeta prodidisset, si, quod intpp. volunt, simpliciter pueris puellisque praediceret, fore, ut magna cum voluptate aliquando recordentur, se carmen saeculare cecinisse, qui admodum jejunus foret exitus. Vim igitur quantamvis habent illa *reddidi carmen*, et *docilis modorum*, de quibus statim. Puellas solas alloquitur poeta; tanquam poeta; in quo adeo non argutandum, uti nec in *nupta jam*, quo suaviter futurum tempus declaratur. *Carmen* Diis, Apollini et Dianae *amicum*, gratum, in eorum honorem compositum atque ritu religioso decantandum. — 42. Quando *saeculum* exactum *referret*, eo finito redirent *festae luces*, φάεα, festi ludorum saecularium dies. — 43. *reddidi*, cantu gestuque plane expressi; *docilis modorum*, docilem me praebendo ediscendis reddendisque modis Horatii, illud voce, manu, gestu, incessu plane repraesentavi, uti dignum erat tanta solennitate. — *vatis*, auctoris carminis; sed illud multo augustius.

ARGUMENTUM VII.

Qui diligentem hujus carminis cum Nostri I. 4. comparationem instituere volet, facillimo ipsi constabit negotio, proprias utrique, quamquam in eodem argumento occupato, inesse dotes lyricas, fecundumque atque a sententiarum variatarum exornatarumque copia instructissimum jure habebit, quod in poeta suspiciat ingenium. Alterius enim quum incessus paullo laetior sit atque hilarior, a phan-

tasmatum vigore mire adjutus; huic quidem poeta gravitatem quamdum admiscuit, quo penitius sensuum, quos illud explicat, vis ac veritas in legentium animos descenderet. Jam ad fruendas vitae voluptates cohortaturus poeta, quamquam iisdem fere argumentis, a vitae brevitate, communique moriendi necessitate ductis, defungatur; eadem tamen nova plane ratione in nostro adornata tractataque videas. Quumque alterum ipsam veris amoenissimam tempestatem vitae hilariter agendae momentum faciat; ab ejusdem descriptione nostrum diverso plane consilio exordiri poeta putandus est. Scilicet a vere, quo quidem scriberet hoc carmen Horatius, ad reliquas anni partes progressus e continuis ipsarum vicibus velocitatem temporis ita colligit, ut deducta inde vitae humanae brevitate ad praesentis horae fructum capiendum tanto acrius exhortetur, quo in certa hac vitae brevitate incertior dierum summa sit, quam nobis dii admensi sint, ut quibus ne crastino quidem fidere liceat. Tum moriendi conditionem ita mortalibus propositam subjicit poeta, ut ea ipsa, quum omnem spem reditus in vitam plane abscindat, de fruendis vitae voluptatibus graviter admoneamur. Ceterum L. Manlium Torquatum nepotem ejus, quo Cos. Horatius natus fuerit, ad quem etiam est Epp. I. 5. cum Sanadono optime accipias.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Cum initio conf. I. 4. init. — *diffugere*, liquefacta, soluta est, contabuit *nix*. Forte de coelo nivali (ut Colum. III.

1. vocat; cogitavit poeta, quod veris initio, pulsis nubibus nivem defundentibus; purum resplendet. Anacreon XXXVII. 7. ἀφελῶς δ' ἔλαμψε Τιτὰν, νεφελῶν σκιαὶ δονοῦνται. — *gramina redeunt*, iterum proveniunt in *campis*, pratis; praeclare verbum respondet τῷ *diffugiunt*. *Comae*, *crines* de foliis ac frondibus, vulgari poetarum usu. Ceterum Baxterum in *redeunt* mire argutum deprehendas, qui scite illud a poeta adhibitum contendit, quod et barba et crinis redire dicatur; hocque in animo illi fuisse ostendere subjectum voc. *comae*. Sed amat Noster annuas vices, et quae per eas fiunt, verbis cum *re* compositis declarare, quod passim fraudi fuit intpp. Vide v. c. II. 10. 15. III. 8. 9. III. 18. 10. III. 29. 20. C. Saec. 22.

v. 3. *Mutat terra vices*, variat faciem, colorem, novum ex nova anni s. veris vicissitudine (I. 4. 1.) vultum induit, mutatur per novas anni vices; docte. Nam *vices terrae* de colore ejus, per annuas vices adparente, ac pro diversa anni tempestate variante, dictae. Igitur terrae jam facies laeta, hilaris; campis, in quibus unda per hiemem stagnaverat, exsertis ac viridantibus; quod statim subjicit poeta. E Nostro colorem mutuatus est Salei. Bassus ad Pis. (Wernsd. Poet. min. IV. 261.) 133. *Ipsa vices natura subit, variataque cursus ordinat, inversis et frondibus explicat annum.* — *flumina*, quae per hiemem in campos exundassent, jam *decrescunt*, detumuere, ac *ripas* suas *praetereunt*, intra eas, jam altiores factas, sese continent. De adultiore vere intelligi oportere, res ipsa clamat. Senec. Herc. Oet. 588. de Acheloo: *quum jam tumidas vere peracto poneret undas, gracilisque gradu serperet aequo.* Alii de veris ingressu cogitantes, totius loci faciem pervertunt, dum exponunt flumina, exigua antea, nunc nivibus aucta ripas *praetereunt*, evagantur; quo sensu *praeterire* vix bene latinum videtur. Similiter Claudian. XVII. 234. *Acrior ac rapidus tacitas praetermeat ingens Danubius ripas.* Ad rem Noster IV. 12. 3. *nec fluvii strepunt hiberna nive turgidi.*

v. 5. 6. Verni temporis amoenitatem suavissimo Gratiarum cum Nymphis saltantium phantasmate explicat poeta, quo mirifice veris descriptio animatur. Conf. I. 4. 5. sqq. *Gratia cum geminis Sororibus*, Gratiae, *nudae*, recinctae, solutis zonis; vid. ad I. 30. 5. et III. 19. 17. H. l. docte mitem aëris tempe-

irem innuit. Jungendum autem, quo major ei vis accedat, τῷ *audet.* — *ducere choros* h. l. simpliciter pro, saltare.

v. 7. 8. Hae ipsae vices annuae quum graviter admoneant de veloci vitae decursu, age, fruamur praesenti, quod in nostra potestate est, tempore, quum ne crastino quidem confidere liceat. Prius persequitur late poeta in seqq.; posterius vero, de vita in summa ejus brevitate recte fruenda, leviter tantum attingit (v. 19. 20.), et Torquato inde colligendum relinquit, plane ut II. 14. — *Annus* praecipit cursu praeterlabens, celerrima fuga sese proripiens, et, in quo multo magis velocissimam temporis fugam observare licet. *Hora*, dea vicissitudinis temporum, *quae rapit*, aufert, praecipitat quemque *diem*, quam ornate pro, diei cujusque *almi*, cujus fruendi nobis copia data est, fuga pernicissima *monet*, *ne speres immortalia*, satis luculenter ostendit, vitam non aeternum duraturam, vitam citissime praeterlabi. Sed majorem vim habet oratio in gnomes formam redacta. Pind. Isthm. V. 20. *θνατὰ θνατοῖσι πρέπει*: et VII. 60. *τὰ μακρὰ δ' εἴ τις παπταίνει, βραχὺς ἐξικέσθαι χαλκόπεδον θεῶν ἕδραν.* Grot. Excerpt. Trag. p. 923 *θνητὰ χρὴ τὸν θνητὸν, οὐκ ἀθάνατα τὸν θνητὸν φρονεῖν.* Magis adposite Incert. ep. DCLV. (A. Br. III. 290.) *μή σύ γε, θνητὸς ἐών, ὡς ἀθάνατος τι λογίζου· οὐδὲν γὰρ βιότου πιστὸν ἐφημερίοις.*

v. 9 — 12. Quo magis praeceps temporis transitus intelligatur, quatuor anni tempestates, ad quas facilis ab Hora, istarum praeside, transitus erat, poeta percenset, maxime continuae, qua sese invicem urgent s. excipiunt, vicissitudinis habita ratione. Ornatissime autem singula, et in *succedendi* exprimenda notione delectissima varietas. *Frigora*, frigus hiemale *mitescit*, solvitur flatu Zephyri, hiemi succedit ver, fere ut I. 4. 1. *Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni.* *Aestas* contra *proterit*, graviter, et quo caloris vehementia egregie adumbratur, pro, pellit, excipit Ver. Nam tempus, quod praeteriit, cedit sequenti (praeclare Sophocl. Ai. 675. *νιφοστιβεῖς Χειμῶνες ἐκχωροῦσιν εὐκάρπῳ Θέρει.* Juvenal. IV. 56. *jam letifero cedente pruinis Auctumno*); hoc adeo instat; promovet, pellit proxime praeterlapsum. Salei. Bass. ad Pis. 138. *Ver fugit Aestates: Aestatum terga lacessit pomifer Auctumnus, nebulis cessurus et undis.* Ovid. Met. X. 164. *repellit ver Hiemem, Piscique aries succedit aquoso.* — 10. Notetur elegans in brevi-

tate concinnitas. — Ipsa etiam Aestas vicissim *interitura* est, ad occasum vergit, φθίνει; nam anni tempora certis spatiis atque intervallis poetico phantasmate pariter per coelum feruntur, atque annus, menses (hinc *menses coeli* Virg. Ge. I. 335.), dies, coelo *procedere* (Idem Ecl. IV. 12.) *volvi* (Idem Aen. I. 269.) ac deorsum agi dicuntur. Conf. Ovid. Met. II. 25. — 30. Unde etiam Vertumno in coelo locum adsignat Tibull. IV. 2. 13. *Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo mille habet ornatus.* Forte etiam adlusit poeta ad graecam Auctumni adpellationem, φθινόπωρον. — 11. Simulac *Auctumnus* in conspectum prodit. Pro hoc suaviter, *Auctumnus*, e sinu (ut *Pax* apud Tib. I. 10. 68. *praefluat et pomis candidus ante sinus*) vel ex Amaltheae cornu, quod gestat, *fruges effundit*, larga copia omnium generum fructus defundit, praebet. *Pomifer*, pomis incinctus caput, ut Bacchus (vid. III. 23. 8.) Noster V. 2. 17. *Vel cum decorum mitibus pomis caput Auctumnus arvis extulit.* — 12. *Bruma iners*, vel perpetuo frigoris epitheto (v. ad I. 22. 17.) quatenus per hiemen omnis procreandi vis cessat; vel, quod inertes reddit, cessante opere rustico, χεῖμα δύσεργον, Bion. VI. 5. *hiems ignava colono* Virg. Ge. I. 302. Priore significatu posuisse videtur Ovid. ex P. I. 2. 26. — *recurrit*, redordiens cursum suum, quem emensus fuerat. Vid. ad v. 1.

v. 13. Enimvero anni tempora, quae obire videmus, annuis vicibus redeunt; nos, semel peractum vitae cursum non redintegramus. Contrarium, scil. morte intermitti vitam, non eripi, Seneca inde cogit ep. 36. *Observa orbem rerum in se remeantium: videbis in hoc mundo nihil exstingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Aestas abit, sed alter annus illam adducit: hiems cecidit, referent illam sui menses: Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abigit* cet. Jam veris, aestatis, auctumni, hiemisque tempora vicissim recursantia luna in orbem suum redeunte docte atque apte satis (maxime si annos vett. lunares cogites) repraesentat poeta. Nam Sol et luna *ducunt coelo labentem annum*, (Virg. Ge. I. 6. quocum compone Aeschylea Agam. 5. Καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι ἀστέρας. et Theocr. XVI. 71. Οὔπω μῆνας ἄγων ἔκαμ' οὐρανὸς, οὐδ' ἐνιαυτοὺς) in comitatu adeo ipsorum sunt dies, menses, annus (vid. ad v. 10.). In luna autem manifestior anni revertentis observatio est; unde eam ad-

sumsit poeta. *Lunae* igitur, h. menstruus lunae decursus (ut II. 18. 16.) *celer*, celeriter *reparat*, resarcit, restituit *damna* jacturam, interitum anni partium, refert adeo, reducit revoluta in orbem anni tempora, quae perierant. — *coelestia*, quatenus ejus interitus coelo s. siderum cursu efficitur; ornat. Minus apposite alii *damna* decrescentis lunae quae eadem crescendo *reparet*, intelligunt; quamquam utrumque verbum proprie de hac re adhiberi poetis probe sciam. Ovid. Met. I. 11. *Nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe.* Manil. Astron. II. 95. *Et cum damna tuas imitantur Delia vires.* Petron. c. VI. 5. apud Wernsd. P. M. IV. p. 306. *lunaeque senectus, et reparatus honos.* Sidon. XV. 41. *quid menstrua lunae incrementa parent, totidem cur damna sequantur.* Denique in Anthol. Burm. I. p. 137. *reparatum Cynthia format lucis honore jubar.*

v. 14. Sententia Catulliana: *Soles occidere et redire possunt nobis, quum semel occidit brevis lux, nox est perpetua una dormienda.* *Nos ubi* eo *decidimus*, devenimus, descendimus, *quo Aeneas* cet. suavissimo euphemismo pro, ubi semel mortui sumus, adjecta communis moriendi necessitatis, quae nec egregiis hominibus parcat, notione. E gentis suae antiquitate poeta memorat *Aeneam pium* (quod nec ipsi adversus mortem profuerit. Nota Ovidii (Amor. III. 9. 37.) *Vive pius, moriere pius*) *Tullum Hostilium* et *Ancum Marcium*, utrumque (nam utrique τὸ *dives* adcommodandum) *divitiis* ac potentia sua a moriendi necessitate haud immunem. Praeiverat Lucret. III. 1038. *Lumina sic oculis etiam bonus Ancu' reliquit, qui melior multis quam tu, fuit, improbe, rebus: inde alii multi reges, rerumque potentes occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.* Conf. Epp. I. 6. 27. *Divites* autem dicti, temporum istorum, quibus viverent, habita ratione. Nam quod *Ancum pauperem* adpellat Claudian. XV. 109. facit hoc Impp. post Caesarem comparatione, ut bene ibi Gesn. Tum respicitur ipsorum, qua regum, potentia, tum temporis satis valida. Etiam Liv. I. 31. ait, *in magna gloria magnisque opibus regnum Tulli ac totam rem Romanam* fuisse et c. 33. *non urbem tantum hoc rege* (Anco) *crevisse, sed etiam agrum finesque,* Ceterum ad totius loci sententiam ejusque adornationem plane egregie facit fragm. Sotionis apud Athen. VIII. 3. p. 336. πίνωμεν — — χαίρωμεν ἕως ἔνεστι τὴν ψυχὴν τρέφειν (*quae dederis animo*) — — — ἕξεις δ' ὅσ' ἂν φά-

γῆν τε καὶ οἶκος μόνα (*manus avidas fugient heredis*) σποδοὶ δὲ τἄλλα Περικλέης, Κόδροι, Κίμων, quae posteriora plane respondent vv. 15. 16. — 16. *Pulvis et umbra sumus*, fere proverbialiter, in nihilum redacti sumus, unde Orestem adhuc vivum Soph. Electr. 1165. σποδόν τε καὶ σκιὰν ἀνωφελῆ vocat. Anacr. IV. 9. ὀλίγη κόνις κεισόμεσθα. Ad sententiam simul facit incertae trag. fragm. apud Grot. Exc. trag. p. 623. Πᾶσιν δὲ θνητοῖς βούλομαι παραινέσαι τοὐφήμερον ζῆν ἡδέως· ὁ γὰρ θανὼν τὸ μηδέν ἐστι καὶ σκιὰ κατὰ χθονός· μικροῦ δὲ βιότου ζῶντ' ἐπαύρεσθαι χρεών. Similiter epigr. in Muratorii Inscr. T. I. p. 1321. ἡμεῖς δὲ πάντες οἱ κάτω τεθνηκότες ὀστέα τέφρα τε γεγόναμεν, ἄλλα δ' οὐδὲ ἕν.

v. 17. Anacreontea sententiarum progressio (XV. 9. sqq.): τὸ σήμερον μέλει μοι, τὸ δ' αὔριον τίς οἶδεν; ὡς οὖν ἔτ' εὐδί' ἐστὶ, καὶ πῖνε καὶ κύβευε, καὶ σπένδε τῷ Λυαίῳ. Palladas XXIX. 1. (A. Br. II. 413.) πᾶσι θανεῖν μερόπεσσιν ὀφείλεται, οὐδέ τις ἐστὶν, αὔριον εἰ ζήσει θνητὸς ἐπιστάμενος. Τοῦτο σαφῶς, ἄνθρωπε, μαθὼν, εὔφραινε σεαυτόν cet. Cf. Theocr. XVI. 24. Callim. ep. XV. 1. Novum autem hoc ad beate vivendum momentum, ex vitae incertitudine ductum. — *an Dii adjiciant*, adjecturi sint *summae dierum hodiernae*, diebus, quos exegimus (cf. I. 4. 15.), vel *crastina tempora*, diem crastinum. E Nostro profecit Seneca ep. 12. *Sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen et consummet atque expleat vitam.* — Crastinum si adjecerit Deus, *laeti recipiamus.*

v. 19. 20. Quocirca fruere vita, dum licet. Sed novum huic fruendae vitae praecepto, quo altius in Torquati animum penetraret, momentum implicuit, nimirum, omnia ei perire, quibus Genium suum defraudaverit, et pro hoc multo efficacius, omnia heredi avido cedere, quae sibi negaverit. Conf. II. 3. 20. II. 14. 25. — *Cuncta* ea *heredis manus avidas*, avide ad ea, te adhuc vivo, jam exporrectas, *fugient*, elabentur iis, eripies iis; suavi phantasmate. Id igitur tuum scito, *quod animo dederis*, quod tibi impenderis. *Animo dare* graece elegantiae est, ψυχῇ δοῦναι, uti jam plenius Aeschyl. in Pers. 843. 44. ψυχῇ διδόντες ἡδονὴν καθ' ἡμέραν· ὡς τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ. Simonides apud Stob. Grot. p. 407. ταῦτα μαθὼν βιότου ποτὶ τέρμα ψυχῇ τῶν ἀγαθῶν τλῆθι χαριζόμενος. Adde Theocr. XVI. 24. *Sibi et suo Genio praestare* Senec. ep. 65. ubi notat, ganeones ita loqui. —

amico, quod id ipsum, quod ei obsequitur, abunde declarat adposito epitheto.

v. 21. Ubi semel vita defunctus fueris; hoc ulterius exornatur a poeta. — *et* inferorum judicium subieris, pro hoc docte atque honorifica ad Torquatum inflexione, ubi Minos *de te arbitria splendida fecerit*, honorificentissimam vitae laudabiliter actae a te sententiam tulerit, praeclare de te statuerit. Ita *arb. splendida* praestat h. l. accipere; de augusta, quam judicia, maxime infera, habeant, specie cogitant nonnulli; nescio quam bene. Pervulgatum autem, *arbitria* pro judiciis universis poni. De inferis pariter habet Senec. Thyest. 14 Herc. Oet. 1007. et alii. —23. Nihil te in vitam *restituet*, reditum in vitam haudquaquam impetrabis. Adornatum sic a poeta, quasi Torquatus causam suam apud Minoem agat, linguaeque suae facundia, qua excelleret, reditum ex inferis sibi parare conetur, praetento summo *generis* splendore, ac *pietate*, vita probe transacta. Eadem haec alias tanquam avertendae mortis momenta adferuntur a poetis, veluti Prop. III. 16. 11. *Quid genus aut virtus, aut optima profuit illi mater.*

v. 25. Quandoquidem ne ipsi Dii quidem fatorum leges infringere ac resolvere valent. Hoc statim exemplis illustratum attexitur. De Hippolyti fabula adeant, quibus opus est, Euripid. et Senec. ejusdem nominis tragoedias, et Hygin. f. 47. ibique intpp. Noster h. l. antiquiorem fabulae repraesentat faciem, qua frustra Hippolytus a Diana ab inferis repetitus sit. Nam resuscitatum eum ab Aesculapio, aut a Diana ex inferis reductum, et in nemore Aricino absconditum fuisse; haec seriorum, diversis modis fabulam tractantium, commenta sunt, quorum fidem ita elevat poeta. — *Non liberat*, haud exsimere, eripere valet *Hippol. pudicum*, meliori sorte dignum *infernis tenebris*, Ἀΐδου σκότῳ, locis inferis. — 27. 28. De *Pirithoo* v. ad III. extr. Etiam haec fabula diversis modis tractata est. Apud Homer. Od. λ, 630. Pir. et Theseus apud inferos sunt, quem sequitur Virg. Aen. VI. 601 et 617. H. l. ita adornata videtur fabula, ut Theseus tum demum vinculis constrictus fuerit, cum liberandi Pirithoi consilium cepisset. — *vincula abrumpere*, demere, solvere vinculis; omnino pro, in vitam reducere. — *Lethaea*, ornat.



ARGUMENTUM VIII.



Si Alcmanis carmen, cujus fragmentum servavit Eustathius (vid. ad v. 10.), quodque Nostro prima adornandi exordii stamina suppeditasse videtur, aetatem tulisset; rectius utique de pretio, huic carmini ab inventi laude dicendo, statuere liceret. Etenim si omnino argumenti rationem singularumque partium tractationem atque exornationem curatius expendas, haud vane maximam carminis partem e graecis fontibus fluxisse augureris; hocque adnotatione nostra, quo ad ejus fieri potuit, ostendere conati sumus. In quo ipso tamen admirari licet poetae artem, qua colores Graecos cum Romanis ita commiscuit, ut hosce flores plane sub Italo coelo natos, et circa nemus uvidique Tiburis ripas *a poeta fuisse lectos facile tibi persuadeas. Pertinet eo praeter exempla, ex historia Romana adlata (vv. 15 sqq. et 22.) statim exordium, a more, qui Romae vigeret, deductum. Scilicet, ut tandem ipsius carminis argumentum expediam, quum Saturnalibus, aliisque statis diebus dona sibi invicem Romani missitare solerent, Horatius C. Marcio Censorino, quem carminibus delectari nosset, strenae loco hoc carmen mittit, quo ei obstrictum suum ostenderet animum, illudque munus suum verbis ita exornat, ut pretiosissimo cuique facile praeferendum judicet. Ita ad splendididissimum de poeseos efficacia locum deductus poeta poetas solos esse adserit, qui rerum gestarum famam multo certius quam monumenta iis ere-*

cia ad posteritatis memoriam propagent, quid? quod viris immortalibus operibus editis immortalitate dignis coelo adlegant, et in deorum numerum referant, laudatis in hanc rem Romulo, Aeaco, aliis. Ceterum quum duo Romae illustres fuerint Censorini, pater et filius, probabilius est, C. Marcium Censorinum qui a. DCCXLVI. cum C. Asinio Gallo Cos. fuit, quemque. „demerendis hominibus genitum" adpellat Vellei. II. 102. intelligere.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. *Donarem commodus*, commodum, benignum, liberalem me praeberem in eo, quod donarem *sodalibus meis* cet. Ita satis commode expediunt Lambinus, alii. Sed quaesitior et ornatior junctura exsistit, *commodus meis sodalibus*, ἅρμενος τοῖς ἐμοῖς φίλοις (fere ut Plato de Pindaro XXVIII. 1. (A. Br. I. 174.) Ἅρμενος ἦν ξείνοισιν ἀνὴρ ὅδε, καὶ φίλος ἀστοῖς (in animo haud dubie habuit Pind. Nem. VIII. 64.) Πίνδαρος, h. *aptus amicis*, ut Noster II. Serm. 3. 43.) *donarem*, pro, *commodus*, liberalis forem erga sodales, *donando* cet.; eodem quidem sensu. Ex muneribus, die natali, Saturnalibus, aliisque festis diebus a beatioribus mitti solitis, memorat poeta *pateras*, *aera*, *tripodas*. Utrum *pateram* proprie sumserit poeta, ut sit, qua libari solenne; an de poculo capaci amplique orificii (ut apud Virg. Aen. I. 739.) cogitaverit, vix definias. Si seqq. *praemia fortium Grajorum*, etiam τοῖς *pateras* et *aera* adponi dixeris, praeferendum utique erit posterius. Nam in Graecorum certaminibus pocula quoque victoribus proposita fuisse satis e Pindaro constat; v. c. Ol. IX. 137. Nem. X. 81. Isthm. I. 28. — 2. Jungere quidem licet *pateras et aera*, noto loquendi usu, pro, pateras aereas; sed praestat. h. l. copiosa munerum enumeratio, ut *aera* docte vasa aerea dicta, quibus maxima ab arte accedebat commendatio. Cf. v. 5. — *grata*, gratum animum testantia, quibus amicos remunerarer. Ita fere jam Schol. Cruq. multoque exquisitius est, quam intelligere jucunda. expetita.

— 3. *tripodes* quaevis supellex dicta, tribus pedibus fulta, ut mensae, vasaque ampliora, tam *ἄπυρα*, ut crateres, quam quae igni admovebantur; vid. Torrent. ad h. l. Eos *praemia fortium Grajorum*, h. praemia fortitudinis in ludis gymnicis apud Graecos fuisse, satis liquet ex Homero (Il. XIX. 264. et inde Virg. Aen. V. 110.) Hesiodo (Scut. 312.) Pindaro (Isthm. I. 27. *τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον καὶ λεβήτεσσιν φιάλαισί τε χρυσοῦ γευόμενοι στεφάνων νικαφόρων*). et aliis. Hoc loco vel exornationi simpliciter inservit docte hujus rei injecta mentio, vel, quod satis probabile videtur Romae sua tempestate talia subinde pro ipsis antiquis victorum praemiis habita ac venditata fuisse ita indigitat poeta. Nam antiqua omnino declarari artis opera, aperte docent seqq. Ac certamina autem funebria aetatis heroicae quidam ista referre malunt, epith. *fortium* illecti, et majoris dignitatis causa; sed illustriora utique Hieronicarum praemia, et ipsa nonnisi *fortitudine ἀρετῇ* (Pindarico usu) adquisita. — 4. non *pessima munerum*, exquisitum, egregium munus aliquod tu *ferres*, auferres, acciperes; ut *praemia ferre* et sim. — 5. Scilicet si *dives* essem *artium*, possiderem, domi meae haberem talia antiqua artis opera. *Artes* de opere affabre facto passim poetae. Vid. Broukh. ad Prop. III. 7. 39. Noster Epp. I. 6. 17. *marmor vetus, aeraque et artes suspice.* — 6. Pro, artium *antiquarum*, exquisito cum delectu *Parrhasii* et *Scopae*, maximorum artificum, opera ponit. *Parrhasius*, Ephesius, maximum arte pictoria nomen adeptus, ac propter certamen cum Zeuxi initum famigeratissimus, floruit circa Ol. XCV. De eo adi Jun. Catal. p. 141. eundemque de *Scopa*, nobili statuario, p. 195. et Winkelm. Monum. ined. praef. p. 70. — *protulit*, ejus ingenium extudit; exquisitum verbum, tanquam inventor artis fuerit, quam perfecisset. Eodem sensu apud Tib. I. 10. 1. *Quis fuit horrendos primus qui protulit enses* ubi vid. intpp. — 7. 8. quam ornate pro, *hic*, Scopas, arte statuaria *ille*, Parrhasius, pictoria excellens. — *Sollers ponere*, graece, pro, ingeniosus, intelligens, mirus artifex in *ponenda*, efformanda e *saxo nunc Dei nunc hominis* (auget artificis peritiam) statua. *Ponere*, *ἱστάναι*, solenne hac de re vocabulum. Cf. Toup. Em. ad Suid. T. III. p. 92. ed. II, Ad alterum generalius nota zeugmatis figura adsumendum, *sollers* referre *liquidis coloribus*, ad vivum delineandi in tabula Deos hominesque. *Liquidi referunt miranda*

colores Nostrum juxta dixit Valer. Fl. II. 467. Adde Sidon. c. XXIII. 503.

v. 9. *Sed haec* istarum rerum *vis*, copia, mihi haud suppetit. — *nec res tibi*, res tua familiaris talium operum *eget*, domum satis instructam habes istis artis operibus. Haec docte *delicias* adpellat, quia ab elegantiae ac magnificentiae studiosis cupide expetuntur; quo sensu etiam Ciceroni adhibitum videas Verr. IV. 23. Vide Ernesti in Cic. Clave h. v. Hinc Seneca Hippol. 210. *domos delicatas*, talibus refertas vocat. Sed ipsum locum adponere juvat, ut turpem ei maculam detergamus, *non placent suetae dapes, non tecta sani moris, aut vilis cibus. Cur in penates rarius tenues subit haec delicatas eligens pestis domos?* De menda in vv. *aut vilis cibus* latente consentiunt omnes, nemo tamen ulceri manum admovet. Tu lege quantocius; *aut vilis scyphus*, v. c. fagineus, qui memoratur Tib. I. 10. 8. *Faginus adstabat quum scyphus ante dapes*, in simili descriptione. — 10. *neque animus* tibi *egens*, adpetens est talium, qui in summa istarum rerum abundantia novis usque inhiet, numquam satietur. Nam homo cupidus se egere profitetur. Alcman. (apud Eustath. Il. ε. p. 414.) οὐ γὰρ πορφυρᾶς τόσσος κόρος, ὥστ' ἀμύνασθαι. Cf. Valk. ad Eurip. Phoen. Schol. p. 691.

v. 11. Praeclara oppositio: Minus te capiunt istae deliciae, quam carmina; his magis *gaudes*, delectaris. Suaviter autem excipiunt sese *carminibus; carmina*, ut *muneribus*; *munera* III. 16. 15. et passim. — 12. *pretium dicere muneri*, de hoc munere recte statuere, quanti aestimandum sit, pronuntiare; quum res cupiditatis, quae istae sunt deliciae, incertae admodum aestimationis sint, libidine semper modum excedente. Facile perspicitur, quantivis pretii illud suum munus poetam ita designare, longeque istis anteferre; id quod sequentia sole clarius ostendunt.

v. 13. sqq. Declarat jam poeta, quanti hoc muneris genus haberi debeat; scilicet sola carmina immortalitatem nominis praestare, perenniora ea esse rerum gestarum monumenta, quam reliqua, quibus virtutis famam homines ad posteros propagare adnitantur, utpote quae temporis injuriis obnoxia sint et angusta terrarum parte contineantur. Sed rem statim Scipionis Africani majoris, Ennii carminibus aeternum nomen adepti, exemplo illustratam subjecit poeta, quo magis ejus veritas elucesceret.

Omnino locus, qui sequitur, poetam magnae artis atque doctrinae tam in sententiarum conversione quam in singularum partium exquisita exornatione ostensae, prodit; qua ipsa tractatione eum haud vulgare pretium huic suo dono, Censorino mittendo, adjicere voluisse videri debet. Jam vulgarem rationem: Ennii carmina clarius indicant laudes Scipionis, quam monumenta publica, statuae, inscriptiones, in ejus honorem positae, invertit, adpositisque laudum ejus argumentis exornavit Horatius. — *Marmora*, monumenta marmorea, *incisa notis*, insignita, consignata literis, epigraphe, titulo, qui honoris habiti causam, adeoque rei egregie gestae argumentum ostentat, in ipsorum basi inciso. *Marmor inciditur notis*, quae ei insculpuntur; quae minus pervulgata loquendi ratio est, quam, *notas incidere marmori*. *Notae* autem complectuntur omnia, quibus designatur aliquid, h. l. epigraphe in basi subjecta. Cf. III. 24. 28. — *publicis*, venuste *notis* adjicitur; nam hoc ipsum ostendebat nota s. inscriptio, veluti: *Scipionis virtuti posuit* S. P. Q. R. Neque tamen urgendum h. l. epitheton, sed sententia generaliter (quod etiam docet v. seq.) proponi a poeta putanda, quum publice Scipioni positi monumenti nulla exstet memoria. Igitur orationem v. 15. demum ad Scipionem inflecti, sicque specialius cum generali a poeta docte contexi, dicendum. — 14. quam ornate pro, quae clarorum hominum memoriam servant, continent. *Spiritus et vita redit*, reviviscunt *boni duces* ἀγαθοί, qui res bello strenue gessere, in ore hominum versantur virtute ipsorum monumentis publicis condecorata; *post mortem*, quamquam ipsi desiere in vivis esse. Τῷ *ducibus* prona via ad Scipionem deferri poetam facile quisque sentit. — 15. Poetico jam ornatu explicat poeta argumenta notarum s. titulorum monumentis incisorum. Vulgare igitur erat: tituli qui Scipionis facta recensent, *non clarius* cet. Jam e Scipionis praeclaris facinoribus unum tantum, sed illustrius, quod quidem maximum componendo bello momentum faceret pulsum ab eo ex Italia Hannibalem, adponit poeta. — *fugae Hannibalis*, quod trajecto in Africam exercitu Hannibalem Italia submoverit revertique in Africam coëgerit. — *celeres*, propter subitum ejus ex Italia, quam tot annos possedisset, excessum, Ouwens tamen Noct. Hag. III. 1. p. 353. pugnam ad Zamam factam respici existimat, unde Hannibal *biduo et duabus noctibus Adrumetum, quod abest a Zama circiter millia passuum tre-*

centa, *pervenisset*; juxta Nep. in ejus vita c. 6. parum probabiliter. Poetam enim generatim loqui, ostendit vel sequens versus. — 16. *Rejectae retrorsum Hannibalis minae* duobus modis expedire licet. Potest esse; Hannibal minax retro rejectus, repressus, Italia ejectus; ut *Cimbrorum minae* Propert. II. 1. 24. Vel, quod utique praeferendum videtur tanquam significantius; *minae*, excidium urbis, eversioque imperii Romani, quam Hannibal minatus fuerat, (ut Epod. IX. 9. *minatus Urbi vincla*, de Sex. Pompejo) animo conceperat, a Scipione *retrorsum rejecta*, in ipsum rejecta, ipsius regno vicissim intentata, Africam trajiciendo, ibique ferro atque igni grassando. Schol. Cruq. explicat *minas rejectas*, pro nihilo ductas; haud indocte quidem (v. ad III. 9. 20.) sed parum commode vel propter adi. *retrorsum*. — 17. Si hunc versum retinendum censeas, *incendia Carthaginis* vel generaliter et poetice pro, belli incendia (ut Virg. I. 556. Alia exempla pete a Klotz. ad Tyrt. p. 90.) per Carthaginem, h. Africam sparsa ac didita, accipienda; ut adeo incendii notione bellum latius serpens atque Africam adeo involvens declaret; vel bina castra Syphacis et Hasdrubalis ab Scipione incensa, (Liv. XXX. 5. 6.) cremataeque Carthaginiensium D. naves (Liv. XXX. 43.) a poeta innui putandae; quod minus probabile videtur, quamquam hanc maxime sententiam intpp. sufficiant. Utraque tamen ratio quam dura sit, in promtu est videre. Vid. Obss. — *impiae*, perfidae, perpetuo Poenorum epitheto. — 18. Istis titulis *non clarius indicantur*, non magis celebrantur, minus innotescunt Scipionis laudes *κλέα* (v. c. Theocr. XVI. 2.) res ejus gestae (ut *laudes* Caesaris I. 6. 11.); minus adeo efficaces sunt inscriptiones ad famam Scipionis ad posteritatem propagandam, quam *Calabrae Pierides*, Musa, carmina Ennii Calabri (vid. Gronov. Obss. L. IV. p. 734. Lips.) Annales. Pro, laudes Scipionis, summo cum delectu est, *ejus*, *qui ab Africa* a se *domita*, vectigalique facta *nomen lucratus rediit*, Africani cognomento condecoratus est, cui nomen Africano obtigit. Nam hanc ipsam adpellationem virtute sua redemerat; hinc *lucratus*, quaesite, quia praemii instar ipsi ea cesserat. T. Fabro intemperias suas hic egestas nemo facile recti judicii homo ei invidebit.

21. Connexuit poeta, quae pedestris ratio ita dispescuisset; quandoquidem virtuti soli carminibus honos suus aeternumque

decus paratur, constat; sola haec immortalitatem praestant. Cui non in mentem veniunt illa Lucani IX. 980. *O sacer, et magnus vatum labor! omnia fato eripis et populis donas mortalibus aevum.* Sed propius huc spectant Pindarica (fr. Schneid. p. 5. πρέπει δ' ἐσλοῖσιν ὑμνεῖσθαι καλλίσταις ἀοιδαῖς· τοῦτο γὰρ ἀθανάτοις τιμαῖς ποτιψαύει μόνον ῥηθέν· θνάσκει δ' ἐπιλασθὲν καλὸν ἔργον. Cf. Ejusd. Nem. VII. 18 sqq. et vid. ad IV. 9. 25. — *Si chartae sileant*, nisi literis consignentur, h. carminibus celebrentur. *Chartas*, carmina sua indigitat etiam IV. 9. 31. ut *Maeonias chartas* Homeri carmina Ovid. ex P. IV. 12. 27. — *quod bene feceris*, praeclarorum facinorum *mercedem tuleris*, nullum fructum capies, frustra laboraveris. Manifeste Horatius expressit tam verba quam sententiam Pindar. Ol. X. 109. Καὶ ὅταν, καλὰ ἔρξαις (*quod bene feceris*. Idem Nem. IV. 135. vocat καλὰ ἔργματα loco simillimo, ad v. 28. ad partes vocando) ἀοιδᾶς ἄτερ (*si chartae sileant*) εἰς Ἀΐδα σταθμὸν ἵκηται, κενεὰ πνεύσαις (*neque mercedem tuleris*) ἔπορε μόχθῳ βραχύ τι τερπνόν. — — ἔχοντι δ' εὐρὺ κλέος Κόραι Πιερίδες Διός. Doctior autem junctura est *merces* illius, *quod b. f.* quam, *si chartae s.* id, *quod b. f. Merces*, fructus laboris, rei bene gestae, gloria, aeternum nominis decus, carminibus conciliatum ἄποινα μόχθων, ut Pind. Nem. VII. 23 et Isthm. IX. 1. λύτρον εὔδοξον καμάτων, uti κῶμον s. hymnum ibi adpellat.

v. 22. sqq. Sublecta etiam haec e Pindaro Pyth. III. 198. Νέστορα καὶ Λύκιον Σαρπηδόν' ἀνθρώπων φάτις, ἐξ ἐπέων κελαδεννῶν, τέκτονες οἷα σοφοὶ ἅρμοσαν, γινώσκομεν. Tum subjicitur eadem generalis sententia, quam similiter Noster v. 28. inseruit: ἁ δ' ἀρετὰ κλειναῖς ἀοιδαῖς χρονία τελέθει. Sed suum plane fecit istum locum Horatius, felix imitandi artifex, et exemplorum delectu et comtiore orationis cultu ac variatione. *Quid foret* Romulus, multo ἐναργεστέρως quam, tantum abest, ut Romulum deum habituri fuissemus, ut ne nossemus quidem eum, quamquam Marte atque Ilia genitum. Facile ita perspicitur, quanta virtute a poeta Romulus designetur a natalibus ejus, nihil ipsi ad immortalitatem profuturis, nisi vatum accessisset opera. — *Si* vatum *taciturnitas*, silentium, *meritis* ejus (pro quo cum dignitate est; *Romuli*) *obstaret*, obstitisset, si merita ejus silentio obducta fuissent, vate destituta. — *invida*, injuria, iniqua, quatenus meritis praemia sua denegat, ea obliterat; ornate, ut

lividae Obliviones IV. 9. 33. Ceterum Ennium potissimum a poeta respici, Romuli virtutis praeconem, nemo ambiget.

v. 25. *Aeacus* immortalis factus, vatum opera. Magnificum prorsus est, quod heroas divinis honoribus Musarum maxime beneficio mactatos pronuntiat, quos nominis tantum immortalitate ab iis ornari ostensurus erat poeta. Eadem excelsa notionum permutatio est III. 25. 5. 6. — *Virtus*, ingenii praestantia, ἀρετή. — *favent*, bene illi cupiunt poetae, quem carminum suorum argumentum faciunt, propter immortalitatem ei tributam. Hinc *favor* ut τιμή (veluti Pind. Nem. VII. 46. vid. plura ad I. 26. 10.) de poetae studio, in laudando aliquo occupato. — *lingua*; ἀοιδή, carmina vatum. — *potentium*, exquisite, quum de immortalitate carminibus conciliauda agatur. Ista igitur vatum opere Aeacum *ereptum Styg. fluctibus consecrat div. insulis*, mori non passa est, sed *consecratum*, divinis honoribus condecoratum collocavit in *beatis insulis*, Elysio. *Fluctus Stygii*, de locis inferis, s. morte, ut κῦμ' Ἀΐδα, Pind. Nem. VII. 45. loco simili: κοινὸν γὰρ ἔρχεται κῦμ' Ἀΐδα — — τιμὰ δὲ γίνεται (effugit istos fluctus), ὧν θεὸς (Musa) αὔξει ἁβρὸν λόγον, quem Musa consecrat. Simonides XXXIII. 3. (A. Br. I. 132.) Οὐδὲ τεθνᾶσι θανόντες· ἐπεί σφ' ἀρετὴ καθύπερθεν κυδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἀΐδεω. Alia vid. ad III. 3. 16. — *Consecrant* poetae, quem carmine celebraut; ut I. 26. 11. *Hunc Lesbio sacrare plectro* cet. Hoc loco; uti jam dixi, augustiore sensu accipiendum. De *divitibus* s. *beatis insulis* vid. ad V. 16. 41. Hoc loco tenere sufficiat, cum Elysio campo saepius eas permisceri, atque heroibus fere istam sedem ab antiquitate adsignari, uti Menelao apud Eurip. Hel. 1693. (coll. Homer. Od. IV. 563 sqq) Achilli, Eurip. Androm. 1262. Diomedi in Callistrati Scol. 6. (A. Br. I. 155.) es aliis.

v. 28. Musa *vetat mori*, haud interire sinit, aeternum parat nomen *viro laude digno*, qui carmine celebrari meruerit. Τοιγὰρ ἀοίδιμος ἔργοις, ἀθάνατόν τε μιν αὔξουσι Μοῦσαι, Μναμοσύνας θύγατρες, Aristotel. Scol. 20 (A. B. I. 177.) — 29. Et vel *coelo* munere *beat*, divinos honores largitur, deum facit. Augustior haec rei species est, quam si dixisset Horatius, a poetis nos edoceri, homines inter deos fuisse receptos. In heroum, quos Musarum beneficio coelum escendisse ait, enumeratione expende divitias poetae, quibus ἀποθεώσεως notionem variaverit. *Sic*, poetarum carminibus effectum, ut *Hercules epulis Jovis intersit,*

cum diis epuletur; quem quidem solennem designandae divinitatis modum de Hercule potissimum a poetis adhiberi putem, ad quietam ejus exantlatis per universum orbem terrarum innumeris laboribus, otiosamque inter deos vitam declarandam. Unde et Hercules *ἀποθεωθεὶς quiescentis* statum habet in anaglypho a Corsinio (Herculis quies et expiatio, s. a. et l.) illustrato; eandemque ob causam ei ne τιμαὶ quidem s. munera quantum sciam, decreta, quae ejus ἡσυχίαν turbatura fuissent. Πολυφαγίαν ejus ita notari, vix equidem existimem. Ad rem Lucian. DD. XXIV. 2. οἱ μὲν Ἀλκμήνης καὶ Σεμέλης υἱοὶ — — εὐωχοῦνται ἀφροντίδες. Alia vid. ad III. 3. 11. — *optatis* ad totam sententiam spectat: optaverat Hercules, ut sibi aliquando ab istis laboribus, quos *impiger*, impigre, fortiter, tolerasset, respirare liceret; adeoque, jucundo jam otio fruitur in coelo. — 31. *Tyndaridae* Dioscuri, *clarum sidus*, (v. ad I. 3. 2.) hoc divinum munus, τιμὴν, a poetis consecuti sunt, ut *rates quassas*, tempestate jactatas, in *infima aequora*, fundum maris detrusas, inde *eripiant*, extrahant, serventque; quam venuste; dii σωτῆρες facti. Ad rem ac verba Eurip. Electr. 991. οἱ δὲ φλογερὰν αἰθέρ' ἐν ἄστροις ναίουσι, βροτῶν ἐν ἁλὸς τιμὰς σωτῆρας ἔχοντες, et Theocr. XXII. 6 sqq. et 17. ὑμεῖς τε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νῆας αὐτοῖσι ναύταισιν ὀϊομένοις θανέεσθαι Adde Lucian. DD. XXVI. et ibi doctam Hemsterh. notam. — 33. Nova numinis designandi ratio, a Virgilio quoque adhibita Ecl. V. 79. *Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis agricolae facient; damnabis tu quoque votis.* Etiam Homer. Il. χ. 364. de Hectore: ὦ Τρῶες κατὰ ἄστυ θεῷ ὣς εὐχετόωντο, h. deum habuerunt Hectorem. *Liber vota bonos ducit ad exitus*, preces, ad se factas, ratas esse jubet, exaudit, adeoque divinos honores adeptus est. Intelligenda autem maxime vota agricolarum, uberem ruris proventum precantium. Nam Bacchus deus agrestis, ut in vulgus notum; vid. ad III. 8. 6. Etiam verbis: *ornatus viridi tempora pampino* numinis notionem poeta subjecisse videri possit, ut corona ista diadematis loco posita sit, diis proprii. Eodem Herculem ἀποθεωθέντα redimitum repraesentat laudatum anaglyphum.



ARGUMENTUM IX.



Quod in praecedenti carmine tantum colligendum dedisset poeta, nimirum, carminibus suis immortalitatem paratam esse, generoso hoc spiritu initio statim hujus carminis profitetur, certisque, quae ejus rei fidem faciant, argumentis adserit. Quae quidem splendida professio, facile intelligitur, quantum ad encomii, Lollio dicendi, amplitudinem ac dignitatem recte aestimandam momenti habeat. Exposito igitur suo de aeternitate carminum lyricorum suorum sensu magnifice sese poetis graecis lyricis ingerit, atque tacite comparat, quos, etsi ad epicam Homeri gravitatem non adsurgant, haud minus tamen operibus suis immortalitatem esse consequutos in confesso esse. (Deprimi fere ab intpp. poetam animadvertas, rem suam ita agere opinantibus: habere quidem Romam poetas, quamquam alio in genere, se majores; nihil tamen illud impedire, quo minus carmina sua lyrica aetatem latura sint: uti nec poetarum graecorum lyricorum carmina illustrius Homeri epos obscuret. Sed altera ratio poeta dignior, ac verior; nam et alibi sese Lyricis graecis adjungere amat, v. c. I. 1. extr. IV. 3. 15.). Tum, quo illud spectet, quod de carminibus praedicasset, subjicitur, nimirum, aeternam nominis gloriam solis carminibus provenire, solum adeo eum post mortem vivere, qui talem virtutum suarum praeconem nactus fuerit, quum aliis, qui isto destituti sint, quamvis rerum gestarum magnitudine haud minus conspicui fuerint, memoria ipso-

rum penitus abolita, haec benefactorum suorum merces intercipiatur. (Copiose ac splendide, quod quidem facile exspectari poterat, hic locus a poeta tractatus est; quocum contendere juvabit carm. praeced. inde a v. 20.). Quos quidem, si posteritatis ratio habeatur, ne hilum quidem ab iis, qui inertiae sese per totam vitam dediderint, differre quum in aprico sit; haud ego committam (pergit poeta), ut virtus tua, immortalitate dignissima, oblivioni tradatur, sicque laborum tibi tuorum fructus pereat. Delatus ita ad rem, quam sibi proposuerat, poeta in laudes Lollii effunditur, hasque ita tractat, ut facile adpareat, Lollium tum temporis, quo haec de eo praedicaret Horatius, talem virum aut vere fuisse, aut certe magna cum specie prae se tulisse.

Adnotationes.

v. 1. Sententiam, carmina sua aetatem latura esse, immortalia fore, oratione ad Lollium, quem aeternitati consecraturus esset, conversa poeta explicat, certisque argumentis communit, quo justius laudationi suae statui ab eo posset pretium. *Ne forte credas*, noli in animum inducere, ne existimes, *interitura* esse lyrica mea carmina. Postrema haec praeclare exornavit poeta, adsumta prisca κιθαρῳδοῦ idea. *Verba*, Pindarica simplicitate de carminibus, ut λόγοι Pyth. V. 63. ῥήματα Nem. IV. 10. — *socianda chordis*, aptanda citharae (ut II. 12. 4.) ad lyram canenda. Ovid. Met. XI. 5. *cernunt Orphea percussis sociantem carmina nervis.* Εὐλογίαν φόρμιγγι συνάορον eadem plane ratione lyricum carmen indigitat Pind. Nem. IV. 8. — *quae* ego, *ad Aufidum natus*, Appulus (cf. III. 30. 10.) *loquor*, cano (ut λαλεῖν Theocr. XX. 29. cf. III. 25. 18.) meditor. — *longe sonantem*, ἐπὶ μακρὸν ἀϋτέοντα (ut de Styge Hermesian. 5.) κελάδοντα, rapidum. Cf. III. 30. 10. IV. 14. 25. — *per artes*, arte *non ante*

inter Romanos *vulgata* lyrica, princeps inter Romanos arte lyrica. Cf. III. 30. 13. IV. 5. 22.

v. 5. Etenim, si Homerus principatum inter poetas obtinet, hoc non impedit, quo minus poetae Graeci lyrici in honore sint, immortalitatemque consequantur. Generoso spiritu poetam sese lyricae Graecorum cohorti immiscere atque aequiparare docta hac sententiae conversione, facile quisque sentit. In adornando autem toto hoc loco magna doctrina, elocutionis copia, insignisque in summa brevitate, qua, quid cuique lyricorum poetarum proprium, designat, ars poetae adparet. Ceterum eadem sententiarum progressione Antip. Thess. XXIV. 6 sqq. (A. Br. II. 115.) *εἰ δ' ὕμνων σκᾶπτρον Ὅμηρος ἔχει, καὶ Ζεύς τοι κρείσσων Ἐννοσίχθονος· ἀλλ' Ἐνοσίχθων τοῦ μὲν ἔφυ μείων, ἀθανάτων δ' ὕπατος. Καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ, ἀγεῖται δ' ἄλλων πλάθεος ἡμιθέων.* Homerus *priores sedes*, *προεδρίαν*, primum locum inter poetas tenet, unanimi antiquitatis calculo. *Τοῦ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί*, ut emblema Rhapsodi habet Hom. H. Apoll. 173. Leonid. XLIX. 3. (A. Br. I. 233.) *ὑμνοπόλους ἀγεληδὸν ἀπημάλδυνεν Ὅμηρος λαμπρότατον Μουσῶν φέγγος ἀνασχόμενος. Λῷστον ἀοιδῶν* Homerum refert Theocrit. XVI. 21. eundem inter *Heliconiadum comites unum sceptra potitum* Lucret. III. 1055. Propert. I. 7. 3. Adde Hermesian. el. 27 sqq. — *Non* ideo *latent*, obscuratae, ingloriae sunt, nimio Homeri fulgore praegravantur, atque obruuntur (ita Menander *omnibus ejusdem operis auctoribus fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxisse* dicitur Quinctil. X. 1.) *Camenae* lyricae, carmina lyricorum poetarum. Ex his suo judicio potiores percenset poeta. Agmen ducit Pindarus, *novem Lyricorum longe princeps* (unde *regnator lyricae cohortis* audit Stat. Silv. IV. 7. 5.) *spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, et velut eloquentiae quodam flumine,* ut vere de eo Quinctil. I. O. X. p. 219. Bip. — 7. *Ceae*, Simonidis Cei. Saepius idem simpliciter Κήïος ἀοιδὸς audit; veluti Theocr. XVI. 44. Moscho in Bionis epith. 92. quamquam idem natale solum haberet Bacchylides. Simonidis *praecipua virtus in commovenda miseratione* (hoc ad θρήνους ejus spectat) *ut quidam in hac eum parte omnibus ejusdem operis auctoribus praeferant*, ut idem Quinctil. l. l. quod idem judicium habet Dionys. Halic. in cens. SS. — *minaces* Alcaei, *quibus tyrannos insectatur*, ut Quinctil. l. l. quae

ejus carmina in praestantioribus idem habet. Eadem virtute Incert. ep. DXIX. 7. (A. Br. III. 260.) in recensu lyricae enneadis: Καὶ ξίφος Ἀλκαίοιο, τὸ πολλάκις αἷμα τυράννων ἔσπεισεν, πάτρης θέσμια ῥυόμενον. — 8. *Stesichorus, ingenio validus, epici carminis onera lyra sustinet. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque dignitatem* cet. Quinctil. l. l. Unde *graves* ejus Camenae, propter μεγαλοπρεπές. Stat. Silv. V. 3. 154. Stesichorus *ferox* audit, quatenus ferociam personarum oratione repraesentat. Eundem ζαπληθὲς ἀμετρήτου στόμα Μούσης vocat Antipat. Sid. LXXVII. 1. (A. Br. II. 27.) quod plane respondet iis, quae Quinctil. l. l. subjicit: *si tenuisset modum, videtur aemulari proximus Homerum potuisse; sed redundat, atque effunditur,* Nisi tamen ibi potius in laudem Stesichori est, ut IV. 2. 3. ubi vide notata. Nostrum expressit Sidon. IX. 217. *Non hic spectes — laesi Archilochi feros Iambos, vel plus Stesichori graves Camenas.*

v. 9. Nec *delevit*, abolevit, *aetas*, durat adeo, viget adhuc, *si quid*, quidquid *lusit*, levioris, amatorii argumenti composuit Anacreon. Notus τοῦ *ludere* de levioris argumenti tractatione usus. Similiter παίζειν, παίγνια Gr. eodem significatu. — 10. Exstant adhuc Sapphus carmina amatoria. Mira haec suavitate extulit poeta. Exquisita imagine carmina, quae amores continent, eosdem *spirare*, iis incalescere dicuntur. Simonides LV. 3. (A. Br. I. 136.) de Anacreonte: ὃς Χαρίτων πνείοντα μέλη, πνείοντα δ' Ἐρώτων τὸν γλυκὺν ἐς παίδων ἵμερον ἡρμόσατο. Incert. ep. DXX. 1. (A. B. III. 260.) ἔπνεε τερπνὰ ἡδυμελιφθόγγου Μοῦσα Σιμωνίδεω. Carmina adeo adflant amorem, (προσπνείουσιν Ἔρωτα, ut de Berenice Theocr. XVII. 50.) amorem excitant legentibus. Jam vulgarius erat: leguntur adhuc carmina, amorem Sapphus *spirantia*, testificantia; pro quo inversa ratione est, *spirat adhuc* Sapphus *amor*, fere ut in Critiae fr. apud Athen. XII. p. 600. de Anacreonte: Οὔ ποτε σοῦ φιλότης γηράσεται, οὐδὲ θανεῖται. — 11. *Vivere*, βιοτεύειν, de carminum perennitate passim occurrit, veluti apud Pind. Nem. IV. 11. ἀειζώοι Χάριτες de carminibus. Argute Sidon. II. 313. *funera servat cantus, et aeterno vivunt in carmine mortes.* Hoc tamen loco multo venustius est, si ad caloris naturam adcommodes: *calores Aeoliae puellae*, Sapphus amoris ejus flamma adhuc ardet (ut *vivus ignis, vivae lucernae* cet.) nova usque alimenta capit. — *commissi fidibus*, lyrae con-

crediti, tanquam arcanae curae pectoris, quas aliis fateri pudor eam prohiberet; pulcherrime pro, ad lyram cantati. E graeco fonte ductas has esse Veneres, colligas ex Porphyr. ad haec Nostri Serm. II. 1. 30. *Ille velut fidis arcana sodalibus olim credebat libris*, ubi haec notat: Hoc Lucilius ex Anacreonte graeco traxit et Alcaeo, quos ait Aristoxenus libris propriis vice amicorum usos fuisse. Ita quoque Pind. Pyth. VIII. 40. *εἰμὶ δ᾽ ἄσχολος ἀναθέμεν πᾶσαν μακραγορίαν λύρᾳ τε καὶ φθέγματι μαλθακῷ*, et Nem. III. 19. *ἐγὼ δ᾽ ἐκείνων τέ μιν ὀάροις λύρᾳ τε κοινώσομαι.* Ad sententiam Posidippus apud Athen. XIII. p. 596. *Σαπφῷ, αἱ δὲ μένουσι φίλης ἔτι καὶ μενέουσιν ᾠδῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες οὔνομα σὸν μακάριστον.*

v. 13. Asserta carminibus immortalitate poeta ad propositum suum ita progreditur, ut ostendat, solis carminibus effici, ut rerum egregie gestarum fama haud in obscuro sit, et ad posteros pertingat; hocque sole clarius inde perspici ait, quod omnia, quantumvis egregia, iisque, quae a poetis celebrata aeternum nomen adepta sunt, haud inferiora facinora obliterata, oblivionique tradita sint, quibus laudator suus defuerit. Ab hac posteriori sententia, omissis prioribus, quibus transitus fieret, incipit poeta, eamque speciatim aetate, ut ita dicam, Antehomerica splendide ita exornat, ut plane similia iis, quae divinae Iliados argumentum constituant, pariaque fortitudinis exempla innumera ante Homerum exstitisse pronuntiet, de quibus tamen, quum praecone suo destituantur, vel plane nulla, vel admodum tenuis famae aura ad nos perlapsa sit. Jam „haud primum ad posteros memorabile bellum Trojanum fuit" vide, quam splendidis coloribus, ex Homero ductis, illustraverit poeta! Sed hic ipse nimius colorum fulgor, quaesitiorque ornatus, quem Ilias suppeditaret, praestrinxit intpp. oculos, ut has figurarum complexiones non unius argumenti tabulam sed plurium sibi a poeta objici picturas existimarent. Sic, ut in uno haeream, plures exstitisse a poeta innui volunt, quae forma, amoribus cet. Helenae fuerint similes; quas omnes sane nemo facile oblivioni traditas conquereretur. Sed memoratur Helena, tanquam belli Trojani causa. — 13. *Non sola Helena* illicitis indulsit amoribus. Docte haec expressa a poeta. *Ardere aliquem*, nota structura poetica. Jam vulgarior ratio ferebat: Helena non sola arsit adulterum comtis crinibus, amore accensa est Paridis *adulteri*, amatoris (nihil

amplius; vid. v. c. Senec. Med. 456.) *crinibus* promissis eleganterque *comtis* h. pulchri, laudata pulchritudinis parte pro universa. Qua quum in amorem Helena pellecta esset, hinc multo exquisitius est, *arsit crines ad.* Similiter Aristoph. Eccles. 950. πάνυ γάρ τις ἔρως με δονεῖ τῶνδε τῶν σῶν βοστρύχων. Paul. Silent. XXXIV. 3. (A. Br. III. 81.) ἐγὼ ξανθίσμασι χαίτης ἐκχυτον ἐκ στέρνων ἐξεσόβησα νόον. Hinc εὐπλόκαμον Τιμοῦς φιλέρωτα κίκιννον vocat Meleag. LXIV. 1. (A. Br. I. 20.). Ad rem cf. I. 13. 14. — 14. *aurum vestibus illitum*, vestes operis Phrygionii, auro intextas, pictas; res nota. *Phrygianas auro spissas* vocat Seneca de Benef. I. 3. *Linere*, *illinere*, ut πάσσειν gr. de intextis filis aureis, vel auri bracteis vesti inductis, solennia. Χρυσόπαστον ἐσθῆτα vocat Lucian. Necyom. 16. p. 479. Χρυσοβαφεῖς ἄνακτας Phrygiae reges. Simmias in Bipenni v. 11. *Purpura atque auro illitas vestes* e Nostro duxit Senec. Hippol, 387. Similiter Paridem repraesentat Eurip. Iphig. Aul. 73. ἀνθηρὸν μὲν εἱμάτων στολῇ, χρυσῷ τε λαμπρὸν, βαρβάρῳ χλιδήματι, et, quem in animo forte habuit poeta, Troad. 991. ὃν εἰσιδοῦσα βαρβάροις ἐσθήμασι, χρυσῷ τε λαμπρὸν ἐξεμαργώθης φρένας. — 15. *mirata*, capta iis. Vid. I. 4. extr. III. 29. 7. et V. 3. 10. — *cultus regales* pretiosum adparatum cujuscunque generis. Ovid. Heriod. XVII. 221. *At fruar Iliacis opibus, cultuque beato.* — 16. *comites*, comitatum, qui magnificentiam luxuriamque Asiaticam prae se ferret. Ovid. Her. XIII. 60. *et sequitur regni pars quotacunque sui.* — *Lacaena*, forte cum vi, quae in Spartana regia nihil tale vidisset. Eurip. Troad. 996. οὐδ' ἦν ἱκανά σοι τὰ Μενέλεω μέλαθρα, ταῖς σαῖς ἐγκαθυβρίζειν τρυφαῖς.

v. 17. *Primusve*, neque primus *Teucer* fuit, qui *tela arcu direxerit*, collineaverit. Nota Teucri sagittandi dexteritas ex Hom. Il. XII. 350. (τόξων εὖ εἰδώς) XIII. 313. (ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν τοξοσύνῃ) et aliis. — *Cydonio*, Cretico, a Cydone, Cretae urbe, ornat. Nam Cretes saggittandi arte famigeratissimi. Cf. I. 15. 17. Callim. fragm. 184. — 18. *Non semel Ilios*, Ἴλιος ἱρὴ (ut saepius Homerus) Ilium *vexatum*, bello petitum atque expugnatum. De fortiori hoc h. verbi significatu v. ad II. 9. 3. Allusit ad h. l. Ovid. Trist. II. 318. *Cur non Argolicis potius quae concidit armis, vexata est iterum carmine Troja meo.* Ceterum Trojae bis captae frequentior narratio; vid. intpp. ad Hygin. f. 89. et Burm. ad illa Propert. III. 1. 32. *Troja bis Oetaei numi-*

ne capta dei. Τευκρίδα τρίπορθον refert Dosiades in Arae II. fundamento. — 19. *pugnavit proelia*, ut *pugnata bella sub Ilio* III. 19. 4. nota graecitate pro, pugnas gessit, strenue pugnavit. *Idomeneus*, Cretensium dux, *ingens*, bello inclytus (ut *ingens Paullus* Sil. XVII. 298. *ingentior armis* Aeneas Virg. Aen. XI. 124. et saepissime alibi) ἀγαυὸς, ἀγακλυτὸς, δουρικλυτὸς, quae Homerica ejus sunt epitheta. Ad staturam corporis referunt nonnulli; in quo minor laus esset. *Sthenelus*, Capanei f. et ipse inter potiores Graecorum habitus. Vid. I. 15. 24. — *pr. dicenda Musis*, digna, quae a poetis celebrarentur, quae aeternitati consecrarentur.

v. 22. A Graecis ad Trojanos transit poeta. *Hector ferox*; θρασὺς, ut mox *acer*, pro, fortis, bellicosus. *Deiphobus*, Trojanorum, excepto Hectore, fortissimus, θεοείκελος (Hom. Od. IV. 276.) Quint. Cal. XI. 340. Δηΐφοβός τε μενεπτόλεμος κρατερός τ' αἰχμητής. — 23. *graves excepit ictus*, fortissime pro patria dimicarunt, objecere sese hostibus, gravia vulnera passi sunt. Illud, pro patria, quam exquisite, *pro pudicis conjugibus puerisque*, pro imbelli patriae ipsorum sexu et aetate. — *primus*, graviter claudit sententiam.

v. 25. *sqq. Sed quam multos clarissimos suis temporibus viros scriptorum inops delevit oblivio!* ut Boethii verbis Conf. Phil. II. sententiarum nexum declaremus. Omnes *urgentur*, premuntur (solenne hoc de spissis tenebris. Vid. ad I. 4. 16. *Jam te premet nox*; et I. 22. 20. *longa*, aeterna *nocte* per longa saecula (ut apud Theocr. loco mox laud.) eorum fama in obscuro est, oblivioni traditi sunt; exquisito ornatu, cujus auctorem habes Pind. Nem. VII. 18. sqq. Ταὶ μεγάλαι γὰρ ἀλκαὶ σκότον πολὺν ὕμνων ἔχοντι δεόμεναι. Ornatius extulit Antip. Sid. XLVII. 3. (A. Br. II. 19.) μνήμης οὐκ ἤμβροτεν, οὐδὲ μελαίνης Νυκτὸς ὑπὸ σκιερῇ κωλύεται πτέρυγι. — *illacrimabiles*, indefleti, quia nemo ipsorum facta novit, neque infortuniis adeo, quibuscum subinde indignis modis conflictati erant, commovetur. — *ignoti*, deleta ipsorum memoria. Laudant Theocr. XVI. 42. ἄμναστοι δὲ, τὰ πολλὰ καὶ ὄλβια τῆνα λιπόντες δειλοῖς ἐν νεκύεσσι μακροὺς αἰῶνας ἔκειντο. Cf ad II. 8. 21. — *carent quia vate*, nullum virtutis suae praeconem nacti. — *sacro*, solenni vatum et poetarum epitheto.

v. 29. Praeclare transitum ad Lollium munit sibi poeta consectaria sententia: homines rebus egregie gestis sua aetate vel maxime conspicuos, neque tamen carminibus celebratos, ratione posteritatis habita, nihil prorsus differre ab inertibus. Magna ἐνάργεια in brevitate est, qua hanc sententiam elocutus est poeta. *Virtus*, oppos. *inertiae*, ea maxime intelligenda, quae rebus strenue ac fortiter gerendis sese exserit, efficax, (tanquam Herculis V. 3. 17.) obeundis laboribus ac periculis exercita, gloriosa facta. — *celata*, quae occultatur posteris, in oblivionem venit, vate destituta. In veteri gnome, quam laudat Pind. Nem. IX. 16. similiter est, τετελεσμένον ἐσλὸν μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι. — *paullum*, minimum *distat inertiae*, h. ab inertia, parum differt ab ea. Nihil refert ad memoriam, utrum strenuum an ignavum te gesseris, si nemo te laudaverit. — *Sepultae*, in obscuro latentis, nullo facinore sese prodentis; praeclare. Proprie homo iners *sepulto* s. mortuo similis est (Sil. III. 145. *quantum etenim distant a morte silentia vitae?*) quatenus in tenebris (ἐν σκότῳ καθήμενος ut Pind. Ol. I. 132. Hinc Eurip. fr. apud Stob. Flor. Grot. p. 197. ἡ δ' εὐλάβεια, inertia laborem refugiens, σκότον ἔχει) vitam desidem agit, lucem exosus.

v. 30. Ego te haud silentio praetermittam, ita ut *meis chartis*, carminibus, *inornatus* sis, haud celebreris. Postrema ornate adjecta. *Ornantur* res praeclare gestae, carminibus expositae; splendida ac solenni poetarum professione. Pind. Nem. IX. 23. ἐπασκήσω κλυταῖς ἥρωα τιμαῖς. Alcaeus. Mess. VII. 5. (A. Br. I. 487.) de Homero: Θέτιν κύδηνε καὶ υἱέα (unde *honoratus Achilles* A. P. 120.) καὶ μόθον ἄλλων ἡρώων. Alia vid. ad I. 26. 10. — *labores*, ut κάματος, μόχθος saepius Pindaro de praeclaris facinoribus; veluti Ol. X. 112. loco valde adposito, Pyth. V. 62. Nem. VII. 23. — *Obliviones*, Oblivio, Λήθη tanquam persona *carpit*, extenuat, deterit, abolet virtutis monumenta, rerum gestarum memoriam; suavi phantasmate. Λήθη μαραίνεσθαι haud dissimiliter Antip. l. l. Senec de Benef. III. 32. *eos jam consumsisset oblivio, nisi illos filiorum gloria e tenebris eruisset.* — *lividas*, invidas magnitudini rerum gestarum, quaesito epitheto Cf. III. 8. 24. — *impune*, ita ut nemo licentius grassantes reprimat.

v. 34. Et sane dignus es, qui carmine extollaris, cujus ad posteros pertingat memoria; ut qui animum habeas *rerum pru-*

dentem, rebus agendis idoneum, multo rerum usu exercitatum, Spectat hoc ad Lollii *σύνεσιν πολιτικὴν*, imperatoriasque virtutes, quas partim fausto (v. Jul. Obsequ. 131.) partim minus prospero fortunae eventu (nota Lolliana clades vel ex Suet. Aug. 23.) explicuit. Nisi potius de recta agendi sentiendique norma, ad philosophiae regulas ac placita exacta, ob sqq. accipere praestat; uti fere Schol. Cruq. „vere es philosophus; quia *rerum prudentes* philosophi sunt ac dicuntur." Ita *rerum* otiose fere adjectum videri debet, ut saepe; vel ad rectam agendi normam referendum. — *secundis temp. dubiisque rectus*, in utraque fortuna aequus, qui neque in secundis temp. effertur (cf. III. 27. 74.) neque in *dubiis*, adversis, periculosis, deprimitur, adeoque *rectus*, erectus perstat. Cf. II. 3. 1.

v. 37. Laudes justitiae atque temperantiae Lollii. Vulgare erat: Est animus tibi ab omni cupiditate liber, integer. Pro hoc gravius, *vindex*, qui vindicat, ulciscitur, poenae deposcit *fraudem avaram*, scelera ex avaritia orta; idemque *abstinens pecuniae*, minime adpetens divitiarum, non augendae rei intentus, continens. *Pec. ducens ad se cuncta* προσάγουσα, vel simpliciter, quae miras illecebras habet, nos sibi subjicit, ut non tam, quid virum justum deceat, quam quod e re nostra sit, spectemus. Quod esset de Lollio judice, nullis corruptelarum machinis labefactando; vel, quatenus pecuniosorum gratiam omnes sectantur, ut Schol. Cruq. Equidem prius praeferam. — 39. sqq. Sequuntur notiones *virtutis*, Stoicis formulis expositae. Scilicet e Stoae praeceptis in sapientem cadit regnum, summus magistratus, summae divitiae cet. quatenus neque honorum neque opum cupiditate animus ejus ducitur, quatenus id solum, quod honestum est, sequitur, nulla utilitatis habita ratione. Jam quum consulatus Romae summus magistratus isque annus esset, poeta Lollium ob virtutem istam *non unius anni*, sed perpetuum declarat *consulem*. Plane ut III. 2. 19. *Nec sumit aut ponit secures arbitrio popularis aurae.* Illud *quoties* exornationi, quam a consulatu annuo repetiit poeta, unice debetur, minimeque urgendum. Est simpliciter: perpetuum animus tuus consulatum gerit, quandoquidem *honestum* τὸ καλὸν *praetulit*, praefert *utili*, rectum a pravo discernit, illudque sectatur. Specialem notionem pro generali virtutis posuit poeta, atque eam quidem, quae illustre ejus documentum praebet, incorruptam animi integri-

tatem, nullis muneribus expugnabilem. Jam quum alterum alteri praefert animus, de utraque statuit, *judicat.* Docte igitur *judex bonus* audit, dum recte statuit, honestum praeferendo: et *fidus*, dum ostensa utilitate a recti tramite haud deflectit, in recto, neglecta utilitate, perseverat. Facile intelligitur haec exornandae ulterius sententiae adjici; nam severiores Stoici ne judicium quidem de honesto et utili admittendum esse censebant. Adposite ad h. l. Cic. Off. III. 4. *Qui autem omnia metiuntur emolumentis et commodis, neque ea volunt praeponderari honestate, hi solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non solent. Etenim non modo pluris putare, quod utile videatur, quam quod honestum; sed haec etiam inter se comparare, et in his addubitare, turpissimum est.* — 42 — 44. exornant proxime praecedentem sententiam. *Rejecit*, aspernatur munera *nocentium*, hominum perditorum, causae suae diffidentium, ideoque vim legibus facere conantium, *alto vulto*, qui animi magnitudinem prodit, magnifice ea contemnendo, *διαράμενος*, quod comparat Toup. Em. in Suid. I. p. 94. Ob oculos habuit h. l. Sil. XVI. 281. Ceterum omnia ista animo Lollii attribuuntur, exquisita ratione; quatenus ab ejus judicio proficiscuntur. — 43. Nova amplificatur imagine sententia, a milite desumta, qui pugnandi ardore in medias hostium acies provectus, ab iisque interceptus *arma sua explicat*, ferro se expedit, viam sibi aperit, *per obstantes*, oppositas sibi atque circumfusas hostium *catervas*, reditum morantes, feliciterque evadit. Unde *victor* ornate adjectum. Sed docte ipsam comparationem sententiae involvit poeta, cujus nuda enuntiatio erat: muneribus expugnari nequit virtute adversus cupiditates munitus animus. Male seduli sunt, qui allegoricas catervarum armorumque notiones sigillatim adnumerant.

v. 45. sqq. Lolli *αὐτάρκειαν* laudaturus poeta in generalem sententiam orationem inflectit; quae plane lyrica ratio est, Pindaro frequentissima. Vulgaris continuatio erat: Est animus tibi, sorte sua qualicunque contentus. Sed iterum deflectitur oratio ad exprimendam Stoicae virtutis imaginem. *Non recte vocaveris*, non is vere dicendus est, est *beatus*, qui divitiis adfluit, imo is *rectius nomen b. occupat*, sibi vindicat, vere beatus est. — 47. *qui callet*, novit *uti*, ut Claudian. III. 216. *natura beatis omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.* — *sapienter*, ut sapien-

tem decet; quod tu facis. *Munera D.* h. l. media significatione accipienda, quaecunque hominibus a Diis obtingunt, tam prospera, quam adversa δῶρα θεῶν. Vid. ad Hymn. in Cer. 147. H. I. ad paupertatem potissimum (quae explicative subjungitur v. 49.) praestat referre, et ipsam μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων, juxta Hesiod. Ἔργ. 719. Eurip. Alc. 1074. Χρὴ δ' ὅστις εἶ σύ, καρτερεῖν θεοῦ δόσιν. Is adeo beati nomine dignus, qui *pauperiem* divinitus datam *pati callet*, aequo animo sustinet, modica sorte contentus est, aequo animo iis caret, quae non possidet, verbo, αὐτάρκης. Male *mun. deorum* divitias explicant, quae opponantur *pauperiei* v. seq. — *duram*, cujus bene ferendae magno animo opus est, vel simpliciter, σκληρὰν, χαλεπήν. Notum Stoicorum dogma: *Solus sapiens dives*, quamvis vere pauper. — 50. qui *pejus*, magis *flagitium timet*, qui nulla vi, nullis minis, ne morte quidem proposita a recto demovetur, deduci potest. Cf. init. L. III. 3. — 51. *non ille timidus* ὤν, nec timet, haud cunctatur pro patria mori, duplici graecismo.



ARGUMENTUM X.



Et argumenti ratio, et eloquutio poetica, paullum quaesitior, ac graecis plane floribus contexta, facile fidem faciunt, Horatium graeci cujusdam poetae lusum hoc carmine repraesentare voluisse. De quo tanto minus dubitari posse existimo, quo plura ejus generis, per Anthologiorum libros dispersa Παιδικῶν *exempla satis luculenta suppetant. Cf. omnino, quae ad v. 2. epigrammata, de formae detrimento, accedente barba, pueros monentia, excitavimus, collato Theocriti* Παιδικῷ, *quod in Harlesii ed. p. 479. exstat. Ligurinum, formosum puerum eundemque superbum, ita ad obsequium sui pellicere studet po-*

eta, ut eum de caduco primae aetatis flore graviter admoneat, proposita simul certa quamqam nimis sera fastidii ejus poenitentia. Ad juvenilia Nostri meletemata poetica, quibus Graecos plane exprimendos sibi proponeret, hoc carmen referri debere, facile quisque cordatior sibi persuasum habebit.

Adnotationes.

ꝙ *v.* 1. *Crudelis adhuc*, qui superbe tractas, fastidis amatores, dum in flore aetatis constitutus es. Sed haud diu ei istam mentem fore, aetate ista ferocula cito avolante, praeclare τῷ *adhuc* innuit poeta. — *et Veneris muneribus potens*, propter eximiam tuam pulchritudinem. Formae venustatem et quae alia amoris illectamenta sunt, δῶρα Ἀφροδίτης multi post Homer. Il. III. 54. dixere, quos cum taedio lectorum hic percensere nihil attinet. Jam *potens* istis muneribus est, qui formae praestantia omnes in amorem sui raptat, cui nihil resistit. Propert. II. 4. 28. *Cynthia forma potens, Cynthia forma levis.* Idem III. 18. 7. *Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes.* Scilicet τὸ κάλλος τυραννίδα ἔχει, ut est apud Stob. Tit. LXIV. p. 410. et *imperium regnum* satis frequentata in re amatoria. — 2. *sqq.* Ubi pulcherrimam istam formae speciem aetas abstulerit. Pro hoc venuste specialibus momentis defluentis pulchritudinis facies repraesentatur a poeta. Primum floris juvenilis damnum, lanugo, genarum nitori infesta. Martial. I. 32. 5. *teneri sordent lanugine vultus.* Stat. Silv. III. 4. 65. *ne prima genas lanugo nitentes carperet.* (praepostere Markl. reposuit *spargeret*) *et pulchrae fuscaret gratia formae.* Maximum autem illud formae detrimentum habitum in delicatulis pueris; unde pleni hac de re Anthologiorum graec. libri. Cf. si tanti videtur, Automedontis II. (A. Br. II. 207.) Stratonis ep. XIII. 3. (A. Br. II. 362.) ei. XXVIII. 5. XXXIII. 1. Rufini XXXVIII. (A. Br. II. 399.) Eratosth. I. 3. (A. Br. III. 123.) Incerti ep. XIX. (ib. p. 155.) Lucian. Amor. 24. p. 424. in quibus paene omnibus locis injecta cito promicantis lanuginis mentione ad obsequium pueros ab amatoribus compelli videas, ut h. l. Jam pro lanugine *plumam* adhibuit poeta,

nova prorsus ratione, in poeta lyrico tamen facile ferenda, maxime si gr. πτίλα ei in animo fuisse memineris. — *insperata*, ἡ ταχὺ φυομένη ut in Eratosth. l. l. inopinato *veniet*, ἐπέλθῃ, ἐπανθήσῃ, crescet, *tuae superbiae*, tibi, dum adhuc ea cares, superbo, ut *meae insolentiae*, V. 17. 15. — 3. Comarum per humeros sparsarum solennis vegetae ac formosae aetatis significatio; tum habitus is erat παιδαρίων. Theocr. XIII. 6. ἤρατο παιδὸς τῶ χαρίεντος Ὕλα, τῶ τὰν πλοκαμῖδα φορεῦντος. Magis huc spectat Rufini ep. l. v. 3. νῦν μοι προσπαίζεις, ὅτε τὰς τρίχας ἠφάνικάς σου τὰς ἐπὶ τοῖς σοβαροῖς αὐχέσι πλαζομένους. Cf. III. 20. 14. V. 11. 28. — *humeris involitant*, in humeros dependent, promissae sunt. — *deciderint*; defluxerint, rariores per aetatem factae fuerint. — Et quum *color*, qui *nunc prior*, praestantior pulchrior est *flore rosae*, rosa *punicea*, purpurea, verbo color purpureus, roseus *mutatur verterit Ligur*. docta brevitate pro, mutatus fuerit, evanuerit, et inde *Ligurinus* (quam venuste pro, *tu*) h. Ligurini facies in *hispidam*, pilosam (τραχὺ ἀντὶ τοῦ πάλαι μαλακοῦ πυκασθὲν ἰούλοις τὸ γένειον, Lucian. l. l. p. 426.) versa fuerit. Ad barbam potius, quam ad rugas, equidem traxerim.

v. 6. Sero tum tuae te poenitebit arrogantiae. Suaviter et ἐνεργῶς expressa ista a poeta. — *te videris alterum*, prorsus immutatum. Theocr. XX. 20. ἐξαπίνας με θεὸς βροτὸν ἄλλον ἔτευξε. Lucillius XII. 5. (A. Br. II. 319.) ἢν ἐθέλῃς δὲ πρόσωπον ἰδεῖν ἐς ἔσοπτρον ἑαυτοῦ, οὐκ εἰμὶ Στρατοφῶν αὐτὸς ἐρεῖς, ὀμόσας. Similis lusus Epigoni II. 1. (A. Br. II. 306.) ἡ τὸ πάλαι Λαῒς πάντων βέλος οὐκ ἔτι Λαῒς — — οὐ μὰ Κύπριν, γνώριμος οὐδ' αὐτῇ Λαΐδι Λαῒς ἔτι. Cf. Auson. ep. 55. quocum compone Juliani ep. IV. in A. B. II. 494. — vv. 7. 8. e Terent. Hec. I. 1. 17. sqq. *Eheu me miseram! cur non aut isthaec mihi aetas et forma est, aut tibi haec sententia*, expressos esse, monuere et alii. Iidem laudant Auson. ep. XIII. *Nunc piget, et quereris, quod non aut ista voluntas tunc fuit, aut non est nunc ea forma tibi.* — *cur eadem mens*, idem sensus, qui *hodie*, nunc est, non *puero* mihi, dum puer essem, *fuit*? — 8. *his animis*, hoc animi sensu, sc. fruendi amoris deliciis. — *genae incolumes*, integrae, inberbes, uti bene Cruq. schol.



ARGUMENTUM XI.



Magnam hoc carmen virtutem habet a tractationis simplicitate, naturalique, quam orationis haud operosus cultus mire adjuvat, venustate. Et sane, quam adcommodata ista et argumenti rationi sedatiorique, qui per totum carmen regnat, poetae sint adfectui, quum ipsa res vel hebetiori lectori fidem faciat; non opus est, pluribus ostendere. Quum Idus Apriles, qui dies Maecenatis natalis esset, magna cum religione adparatiorique convivio celebrandas statuisset; Phyllidem, quam hujus sacri vellet participem, ita rogat poeta, ut simul impedimenta, quae eam remoratura esse praevideret, occupet ac discutere conetur. Quum enim Telepho, juveni nobili, oculos et animum illa adjecisset, istique amori Venerem haud faventem experiretur, unde adeo animi aegritudinem contraxisset maximam, poeta consolaturus atque ad vitam ac hilaritatem revocaturus illam, sedulo hortatur, ut omni spe Telephi potiundi, alius quippe feminae, genere ac divitiis potentioris, amore beati, plane abjecta, in amore, qui ipsi conveniat, adquiescat, seque, quem ad finem vitae constantem in isto experturam spondet, ne aspernetur. Lentum utique amatorem dixeris Horatium, qui ita cum amica, a se alienata, agat sed in provectiore aetate, in qua calor ejus juvenilis deferbüisset, carmen hoc scripsisse Nostrum, ex ejus exitu recte suspiceris.— Ceterum quod parum docte Acron ad v. 21 notaverat, „utrum ad eamdem Phyllidem, an ad

aliam loquatur, incertum est, quia nomen non prodidit" id cupide Sivrius arripuit, novamque ideo a versu isto exordiri oden statuit. Denique plerique Phyllidem fidicinam statuunt v. 34. inducti, parum probabiliter; et rectius inde cogas, fuisse puellam doctam, poeticisque studiis deditam (quod etiam vv. 25 — 28. commonstrant), atque etiam hactenus Horatii amori commodam.

Adnotationes.

v. 1 — 12. Observa simplicem munditiis poetam in describendo sacri domestici conviviique adparatu; fere ut III. 29. init. quod cum nostro comparasse utile erit. *Albani* vini duas Athen. I. p. 26. refert species, illudque a XV. demum anno ἀκμάζειν perhibet. In pretiosioribus habitum fuisse, vel hic locus ostendit. Adde Serm. II. 8. 16. ubi in optimis recensetur. Tertium ei locum adsignat Plin. XIV. 6. qui idem Eugenias uvas, a Taurometanis Siciliae montibus in Albanum agrum translatas fuisse tradit XIV. 2. laudante Torrent. Cf. XIII. 109. — *superantis* aetate, excedentis *nonum annum*, vetusti. — 2. *plenus*, non ante versus ut III. 29. 2. Docte effusiorem compotationem futuram innuit. — *est*, πάρεστι; parati sunt flores, *nectendis coronis*, ad nectendas coronas convivales. Ex his memorat poeta *apium* et *ederam*, ex quibus consertam coronam itidem habet Theocr. III. 23. στέφανον — — κισσοῖο φυλάσσω ἐμπλέξας καλύκεσσι, καὶ εὐόδμοισι σελίνοις. De apio hortensi (quod ex h. l. cognoscitur) coronis adhibito insigne est Anacreontis fragm. apud Athen. XV. 4. p. 674. ἐπὶ δ' ὀφρύσιν σελίνων στεφανίσκους θέμενοι νῦν θαλείαν ἑορτὴν ἀγάγωμεν Διονύσῳ. Neque negligendum, quod habent. Scholl. „Alcaeus frequenter se dicit apio coronari." Vide Torrent. ad II. 7. 24. De edera res pervulgata. — *vis multa*, insignis copia. — 5. *qua*, quibus *religata*, implicita, crinibus *fulges*, resplendes, cum propter viridem colorem, coronae in genere, tum quod hederae poeticae dictae fructus croceus est. Vid. Schreber ad Theocr. I. 30. Est adeo simpliciter pro: qua coronari soles; quae

tamen paullo languidior sententia videtur. Erigere eam alii studuere hoc modo: qua *fulges*, venustior adpares, mire places. Sed nec hoc satis, ut ingenue fatear, omnino facit.

v. 6. *Domus ridet*, explicatiorem faciem habet, resplendet *argento*, vasis argenteis, ad hujus diei solennitatem purgatis Noster Epp. I. 5. 7. *Jam dudum splendet focus et tibi munda supellex.* Hinc proprium *ridere* s. *splendere* de adparatiore convivio. Phaedr. IV. 24. 20. *Splendebat hilare poculis convivium.* Operosius jam Catull. LXIV. 44. *at sedes — splendent auro atque argento, candet ebur soliis, collucent pocula mensis: tota domus gaudet* (γελᾷ) *regali splendida gaza.* Cf. ad II. 18. 2. *Decorae aedis* eadem significatio est I. 30. 4. Laudant Alcaei, μαρμαίρει δὲ μέγας δόμος χαλκῷ apud Athen. XIV. 5. — *ara* sacrificio parata est. Pro hoc suaviter, *avet spargier*, adspergi cupit agni immolati sanguine. Catull. XIX. 15. *Sanguine hanc etiam mihi — — aram barbatus linit hirculus, cornipesque capella.* βωμοὺς διατέγγειν similiter Eurip. Iphig. T. 404. Intellige autem aram cespititiam; *vinctam*, munitam, redimitam *verbenis castis*, herbis sacris. Imitatus est locum Juven. XII. 1. *Natali, Corvine die mihi dulcior haec lux, qua festus promissa deis animalia cespes exspectat.*

v. 9. 10. Solennis discursantium famulorum in instruendo convivio mentio. Vid. ad III. 29. 12. *Cuncta*, omnium manus *festinat*, intenta, occupata est adparandis epulis; quod statim verbis, *huc et illuc cursitant*, magis graphice subjicitur. — 10. *mixtae pueris puellae*, pueri et puellae; sed alterum rem oculis magis subjicit. — 11. 12. quam ornate pro, flamma densum fumum agit, major hodie ignis accensus est. *Flammae trepidant rotantes* (ita jungere praestat), trepide h. celeri motu in altum agunt fumum, adeo, ut *rotetur*, turbinibus convolutus altum petat; auget luculentioris ignis ideam. — *Sordidum*, vel simpliciter nigrum, vel sordes tecti fastigio inserentem. Ita *culmen multo lumine sordidum* vocat Stat. Silv. IV. 5. 14. Martial. VII. 2. 5. *Pinguescant madido tetri nidore Penates, flagret et exciso festa culina jugo.* Ceterum de fumi receptaculis cave h. l. cogites, quae multo serioris sunt temporis. Vid. Beckmanni Geschichte der Erfindungen cet. Vol. 2. p. 391. ubi de hoc ipso loco dispexit.

v. 13. *Quibus advoceris gaudiis*, ad quae *gaudia*, ad quem festum diem hilariter agendum voceris. *Gaudia*, ut IV. 12. 21. *ad quae si properas gaudia.* — 14. Scito, *Idus* Apriles esse, quae *tibi agendae sunt*; quas te apud me celebrare oportet. *Agere* diem festum, vel pedestri orationi consentaneum. Pro Idus *Apriles* est, qui dies *findit*, iduat, dividit, medius est mensis Aprilis. *Iduum* etymon a poeta tangi, in promtu est intelligere. Macrob. Stat. I. 15. *Nobis illa ratio nominis vero propior aestimatur, ut Idus vocemus diem, qui mensem dividit. Iduare enim Etrusca lingua dividere est.* Veneri sacrum fuisse mensem Aprilem, satis constat. Causam rei venuste designat poeta epith. *marinae* ἀναδυομένης, e mari isto mense exortae. *Tunc enim cruore de superno spumeo Pontus globo caerulas inter catervas, inter et bipedes equos fecit undantem Dionen de maritis imbribus.* Pervigil. Ven. 9 sqq. Idem innuere videtur Ovid. Fast. IV. 60. 61. *Veneris mensem Grajo sermone notatum auguror: a spumis est dea dicta maris.*

v. 17. Idus Maecenatis natales. Sententiam, quae nullum paene ornatum admittere videbatur, vide quomodo nobilitaverit poeta, adsperso pietatis colore. — *solennis*, in festis habendus mihi. — *sanctior*, majori religione colendus, magis celebrandus proprio natali die. Tibull. IV. 5. 1. *Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus, atque inter festos semper habendus erit.* Neque injucundum erit cum Nostro comparare Censorin. de Die nat. c. III. *Quum singuli homines suos tantummodo proprios colant natales; ego tamen duplici quotannis officio hujusce religionis adstringor. Nam quum ex te tuaque amicitia honorem, dignitatem, decus atque praesidium, cuncta denique vitae praemia recipiam; nefas arbitrer, si diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebravero. Ille enim mihi vitam, hic fructum vitae atque ornamentum peperit.* — *ex hac luce*, inde *ordinat*, digerit, numerat *annos* aetatis suae. — *adfluentes*, succrescentes, deinceps accedentes. Sed alterum quaesitius propter adjunctam copiae notionem, quod ad Maecenatis, vitae cupidissimi, animum magnam vim habet. — *meus*, quanta in brevitate ἐνάργεια!

v. 21. Occupat poeta, quae forte Phyllidem detentura sint, quo minus commodam sese ei praebeat, adlatis, quae ei rem persuadeant, argumentis. *Telephum*, ejus animum *occupavit*,

in amorem sui pertraxit, ut tibi vacare nequeat. — *quem tu petis*, expetis, cujus amore flagras; ut I. 33. 13. *me melior quum peteret Venus*, et saepe alibi. In seqq. praeclare adornata omnia ad Phyllidem a vano isto capiendi Telephi conatu absterrendam. *Juvenem non tuae sortis* paullo acerbius, adposite tamen, quo incepti vanitatem penitius intelligat, pro, magnae fortunae nobilitatis juvenem; tum puella, quam amat, *dives* et *lasciva*, insignis protervitatis, quae per juvenilem aetatem miras illecebras habet; ideoque *tenet*, detinet Telephum *grata compede vinctum*, irretitum amore sui habet, quo sibi beatissimus ille videtur. Vincula, compedes de amore frequenter admodum poetis in usu. Tibull. I. 1. 55. *Me retinent vinctum formosae vincla puellae.* Adde Ei. l. 9. 79. Δεσμὸς ἀλυκτοπέδης de eodem Incert. ep. XVIII. 2. (Anal. Br. III. 154.)

v. 25. Quam periculosa res sit, majora, quam quae sibi conveniant, expetere, Phaëthontis ac Bellerophontis exemplo graviter declarat statim poeta. *Phaëton ambustus*, τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ ἡμιδαὴς Φαέθων (Apollon. Rh. IV. 598.), κεραυνῷ καταιθαλωθεὶς, pro, exemplum Phaëthontis, fulmine a Jove icti, *terret avaras spes*, absterrere debet, ne immodicas spes concipiamus, ne nimia concupiscamus. Ita *animum laudis avarum* dixit Noster Epp. II. 1. 179. *caedis avarus* Claudian. XXVI. 606. — De Bellerophonte, a Pegaso, quum rerum successu elatus coelum adfectaret, excusso et in campos Aleios dejecto adi quos laudant intpp. ad Hygin. f. 57. p. 122. Eadem fabula ostendit Pindarus (Isthm. VII. 60 sqq.) vota temeraria, haud impune fieri: τὰ μακρὰ δ' εἴ τις παπταίνει, βραχὺς ἐξικέσθαι χαλκόπεδον θεῶν ἕδραν. ὅ τε πτερόεις ἔρριψε Πάγασος δεσπόταν ἐθέλοντ' ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς ἐλθεῖν μεθ' ὁμάγυριν Βελλεροφόνταν Ζηνός. Pallad. LXII. 1. (A. Br. II. 420.) μηδὲν ἄγαν, τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὁ σοφώτερος εἶπεν· — — οὕτω Πήγασος ἵππος ἀπώλεσε Βελλεροφόντην, βουληθέντα μαθεῖν ἀστροθέτους κανόνας. — *exemplum grave praebet*, graviter admonet; ut Propert. IV. 1. 109. *Exemplum grave erit Calchas.* — *ales*, πτηνὸς, alatus, divinitatis ejus (a Neptuno quippe et Medusa procreati vid. Apollod. II. 3. 2.) argumentum; docte igitur inest oppositio τοῦ *terreni* equitis. — *gravatus equitem*, qui gravate ferret, sessorem haud sustineret Bellerophontem, excuteret, eum, quum coelum petiturum intelligeret, *terrenum*, mortalis conditionis, quem coelum adfectare nefas esset;

summa vis in hoc epitheto. *Gravari dominos* similiter Lucan. VII. 284.

v. 29. Illa te exempla admonent, ut *sequare*, secteris, eligas *te digna*, quae te sequi consentaneum est, sententiose, pro *te dignos*, amatores, tuae sorti convenientes; ὄφρα τις τῶν ἐν δυνατῷ φιλτάτων ἐπιψαύειν ἔρατα:, Pind. Pyth. VI. 163. in simili argumento. — *nefas putando sperare*, neque ulterius spes tuas porrigendo, παπταίνειν τὰ πόρσω, μεταμώνια θηρεύων ἀκράντοις ἐλπίσι, Pind. Pyth. IV. 39. majora concupiscendo, *quam licet*, quam fas est, τὸ παρ' δίκαν γλυκὺ, ut in Bellerophontis exemplo Pind. Isthm. VII. 67. — 31. *Disparem vites*, non tuae sortis juvenes; φίλει δ', ὥσπερ ζόης, τὸν ὅμοιον ἔχειν ἀεὶ, Theocr. XXIX. 20. — et in meo potius amore adquiescas, quem perpetuum tibi polliceor. Praeclare hanc sententiam seqq. intexuit poeta. *Age jam*, quapropter da te mihi, ades mihi in celebrando Maecenatis natali. *meorum amorum finis*, cujus amorem non nisi morte deponam, in qua amores meos finiam. — *alia calebo*, alius amorem expetam, nota loquendi ratione. — 34. *condisce modos* carminum, quae *reddas voce*, canas (ut IV. 6. extr. *ego diis amicum — reddidi carmen docilis modorum v. H.*) festo isto die. Quo quidem *carmine*, cantu *minuuntur curae*, nos hilariter istum diem traducamus, agamus; nihil amplius. Sed per gnomen expressa sententia, more Nostro perquam familiari. Male *curas* nonnulli ad Phyllidis improsperum amorem Telephi trahunt. Ad rem Calpurn. XI. 19. *Cantes, amat quod quisque: levant et carmin curas.* — *atrae*, tristes.

ARGUMENTUM XII.

Admodum sapere sibi visi sunt nonnulli viri docti, qui ad Virgilium quemdam myropolam vel omnino mercatorem, neutiquam autem ad sacrum illum vatem, Horatium hoc carmen scipsisse contenderent, veriti scilicet, ne lu-

cri studio, a quo immunem eum esse negat poeta (*v.* 25.) *sacro illi vati macula quaepiam adspergeretur. Sed huic metui quum justa interpretatione obviam ierimus, atque ipsa Bentleji ratio, quae omnia hujus libri carmina ultra Virgilii aetatem rejicit, tam infirmo talo innitatur, ut nullum omnino rei momentum faciat; nihil sane impedit, quo minus illud os sacrum Phoebi, Virgilium poetam, ab Horatio hoc carmine compellatum nobis persuadeamus. Quumque parum recte gravitatem in tam levi argumento desideres; ita familiaritatem, quae Horatium inter atque Virgilium intercederet, in jocos, quos illa utique amat, effusam, hoc carmine luculenter proditam recti quisque judicii facile agnoscet. De coena collatitia cum Virgilio suo ita tractat Horatius hoc carmine, ut, quum vinum se praebiturum spondeat, ab eo unguentum* (*at quantillam rem ad ingentem vini cadum!*) *conferri postulet, sique conditio placeat, statim ad se, missis omnibus, quae convivium moratura sint, cum isto advolet, adjectis, quae ad illud compellant, argumentis, a sicciore anni tempestate* (1 — 12.) *vitaeque brevitate* (26 *sqq.*) *desumtis. Propter v.* 15. (*juvenum nobilium cliens*) *recte Sanad. hoc carmen ante a. DCCXXXV. collocat. Cf. Catull. s. XIII. ejusdem argumenti, hilariorisque incessus.*

Adnotationes.

v. 1 — 12. Cum suavissima hac veris descriptione comparasse juvabit Nostri I. 4. init. et IV. 7. init. Procedit Ver cum pompa sua (quam magnifice descriptam vide apud Lucret. V.

736. sqq.); e qua poeta satis habet adponere *animas Thracias* Θρηκίας πνοάς (Aeschyl. Agam. 665) Aquilonem. Alias in comitatu Veris est Zephyrus (unde *pater veris* Claudiano audit XXXIII. 240) maxime ubi illud a mari pacato navigationique iterum patefacto designatur, ut h. l. Ita v. c. Meleag. CX. 9. ἤδη δὲ πλώουσιν ἐπ' εὐρέα κύματα ναῦται πνοιῇ ἀπημάντῳ Ζεφύρου λίνα κολπώσαντες Cf. ad I. 4. init. Adde Macer Argentar. XXIV. 3. A. Br. II. 272.) in veris descriptione ad Nostrum plane attemperata: χειμῶνες ἀπέδραμον, ἄρτι δὲ κῦμα γλαυκὸν θηλύνει πρηΰγελως Ζέφυρος· ἤδη καὶ φιλότεκνος ὑπὸ τραυλοῖσι χελιδὼν χείλεσι καρφίτην πηλοδομεῖ θάλαμον. ἄνθεα δ' ἀντέλλουσι κατὰ χθόνα. Satyr. Thyilli epp. vide ad v. 5. Unde et h. l. Zephyros plerique intelligendos statuunt, quos etiam Homerus Θρῄκηθεν spirare (Il. IX. 5.) perhibuerit. Sed indocta haec intpp. disputatio, et recte alii Aquilones eos assumendos ponunt qui veris initio flare incipiunt, ut diserte Colum. XI. 2. 21. *X. Cal. Mart. venti septentrionales, qui vocantur Ornithiae, per dies XXX. esse solent; tum et hirundo advenit.* Aristot. de Mundo c. IV. οἱ δὲ Ὀρνιθίαι καλούμενοι ἐαρινοί τινες ὄντες ἄνεμοι, βορέαι εἰσὶ τῷ γένει. Jam quod simplicissimum fuerat, jam spirant verni Aquilones, hoc poeta suavissima pictura animavit, quae ipsa in veris notatione solennis est. Vid. ad I. 4. 2. — *mare temperant*, mitigant, componunt, λεαίνουσι, hibernis fluctibus tumidum. — 2. *impellunt lintea*, λίνα, intendunt, κολποῦσι, vela, sicque navem *impellunt*, promovent; graphice prorsus pro, mare navibus aperiunt. — 3. *Prata* non amplius *rigent*, horrent (quod proprium hiemis. Illustravit loquendi rationem Heins. ad Ovid. Fast. I. 498.), gelu adstricta sunt; inversa ratione pro, virent, floribus amicta sunt, et hoc pro universo, jam germinant, flore se induunt omnia. Cf. I. 4. 4. — *nec fluvii strep. turgidi*, ornate pro non turgent, exundant *nive hiberna*, aquis ex nive soluta collectis aucti, detumuerunt; quae adultioris veris significatio est. Vid. ad IV. 7. 3. *decrescentia ripas flumina praetereunt.*

v. 5. Hirundinis in veris adventu frequens poetis mentio. Eodem ornatu Antip. Sid. XXXVII. 3. (B. Br. II. 16.) ἤδη δὲ πλάσσει μὲν ὑπώροφα γυρὰ χελιδὼν οἰκία, λειμώνων δ' ἁβρὰ γελᾷ πέταλα. Satyr. Thyill. V. (A. Br. II. 277.) eadem veris adumbratione: ἤδη πηλοδομεῦσι χελιδόνες, ἤδη ἀν' οἶδμα κολποῦται μαλακὰς εἰς ὀθόνας Ζέφυρος. ἤδη καὶ λειμῶνες ὑπὲρ πετάλων ἐχέαντο ἄνθεα, καὶ

τρηχὺς σῖγα μέμυκε χόρος. Cf. ejusd. ep. VI. init. Docte autem poeta rem mythicis exornatam dedit coloribus. De fabula ipsa exponere hujus loci non est; adeant, quibus opus est, Ovid. Met. VI. 212 sqq. et SS. mythographos, eorumque intpp. — *Ityn flebiliter gemens*, flebili cantu Ityos necem lugens, παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον (Homer. Od. XVI. 522.) ob vocem querulam. Splendide Aristoph. Avv. 210 sqq. χύσον νόμους ἱερῶν ὕμνων, οὓς διὰ θείου στόματος θρηνεῖς, τὸν ἐμὸν κ. σὸν πολύδακρυν Ἴτυν ἐλελιζομένη διεροῖς μέλεσι Pamphilus I. 1. (An. Br. II. 258.) κάμμορε κοῦρα, μυρομένα κελαδεῖς τραυλὰ διὰ στομάτων, secutus Mnasalc. IX. 1. (A. Br. II. 193.) Τραυλὰ μινυρομένα Πανδίονι παρθένε, φωνᾷ cet. — *Cecropiae domus aeternum opprobrium*, κακὸν ἔλεγχος, ὄνειδος (ut saepius Homerus; v. c. Il. II. 235. V. 787. et inde alii) pro, quae aeternam infamiae notam inussit, infamem reddidit *domum Cecropiam*, gentem Atticam, quod male, crudeli, immani scelere *ulta est libidines* libidinem *barbaram*, infandam, cum immani crudelitate expletam. — *regum*, Terei, regis Thraciae. Vulgarius erat, regiam libidinem, quae nonnisi in regiam h. impotentem, saevam dominationem, quae suo omnia jure agit, cadere potest. Unde *regum* generatim poeta extulit.

v. 9. Dulcissimum tetrastichon, quod suavissimos veris tabulae colores adspergit; quod mire adblandiri debuit Virgilio, poetae bucolico. Vide autem, quam docte variaverit illa: *Ac neque jam stabulis gaudet pecus* I. 4. 3. Pastores *dicunt carmina fistula*, canunt fistula, ut. Theocr. XX. 29. κἢν αὐλῷ λαλέω, κἢν δώνακι, κἢν πλαγιαύλῳ et supra III. 4. 1. *dicere melos tibia.* — in *gramine tenero*, vere renato, quod suaviter hoc epitheto indigitatur. Suavem pastorum cantum suavi Panis auscultantis adumbrat phantasmate. Pro Pane docte est *deus*, *cui pecus.... placent*, qui pecoris custodiam gerit, et *cui placent*, (ut Calim. II. Dian. 187. πολίων δέ τοι εὔαδε Πέργη, Τηΰγετον δ' ὀρέων) qui libenter commoratur, cui sacri sunt *nigri*, umbrosi (ut *nigrae silvae* I. 21. 7.) *colles* Arcadiae, Lycaeus, Cyllene, alii, unde Πὰν Λυκαῖος, Ἀρκὰς, Ταναγραῖος cet. dictus.

v. 13. A calore verno qui sub Italiae coelo gravior est, suaviter potandi causas derivat poeta, ut III. 29. 17 sqq. — *tempora*, anni tempus *adduxit sitim*, excitavit sitim, bibendi nos admonet; unde ὥρα δίψιος de aestate apud Graecos. — 14. *Sed*, enimvero, *si gestis ducere*, ἕλκειν (vid. ad III. 3. 34.), bibere

Liberum, vinum *Calibus pressum*, Caleno praelo domitum (ut I. 20. 9.), Calenum. 15. *Juvenes nobiles* satis probabiliter intelligunt Tiberium et Drusum Nerones, Augusti privignos, quorum *clientem* lepide Virgilium poeta fert, quod iis familiariter uteretur. Est adeo honorifica adpellatio Virgilii, apud summos reip. viros gratiosissimi, qui mollissima ambitionis ejus adspersa est cavillatio. Sed mirifice intpp. argutari videas. — 16. Vinum *merebere*, redimes, Caleni bibendi tibi copia fiet, *nardo*, vicissim data, allato nardi unguento; paria faciamus, ego vinum dabo, tu unguenta adferto. Facetior Catull. XIII. De nardo vid. ad II. 11. 16.

v. 17. Facete in collatitia hac compotatione haeret poeta, jocoseque Virgilio liberalitatem suam imputat, qui exiguo unguenti vasculo totum vini exquisitissimi cadum opponat. Suaviter igitur *parvum onychem* opponi vides ingenti vini *cado*. *Onyx factum aliquid ex onyche, ut vas unguentarium, potorium*, Plin. VIII. 2. Intelligendum autem marmoris genus, colorem unguis humani referens, alabastri adpellatione frequentatum, e quo maxime vascula unguentaria confici solita. Συρίω δὲ μύρω χρύσει ἀλάβαστρα Theocr. XV. 114. Cf. Plin. XXXVI. 7. Propert. II. 10. 30. Ejusdem nominis gemmam ad eundem usum (quamquam paullo rarius) adhibitam fuisse docet Plin. l. l. c. 8. laudante Boettig. quem omnino vide. Serioribus tempp. vitreis vasculis unguenta inclusa fuisse docet Antiphili epigr. VI. 6. (A. Br. II. 170.) νάρδον, ὑπὸ γλαυκῆς κλειομένην ὑάλου. — *eliciet*, efficiet, ut descendat *cadus*, demovebit eum; suaviter. Male vulgo, a me elicies. — 18. Qui nunc *adcubat*, repositus est in *horreis Sulpiciis*, in apotheca Sulpicii vinaria, unde eum mihi paraturus sum. Plurima talia Romae fuisse horrea, quae magnam vini, olei cet. copiam adservarent singulatim vendendam, satis probabile est; atque in his Sulpicii cujusdam apothecam vinariam maxima fama floruisse, recte ex h. l. colligas. Memoratu digna est Porphyrionis ad h. l. nota, „Sulpicii Galbae horrea dicit; hodieque autem Galbae horrea vino et oleo similibusque aliis referta sunt." — 19. Cadus laetitiae dator! *largus donare*, graece, ad donandum *spes novas*, quo poto animus nova spe extollitur; *tu spem reducis mentibus anxiis*, de amphora III. 21. 13. — *efficax eluere*, ad eluendum ex animo, abstergendum *amara curarum*, amaras curas, ad exhilarandum animum Senec. de Tranqu. An. XIV. *nonnunquam, et usque ad ebrietatam veniendum* —; *eluit enim*

ruras, et ab imo animum movet. Mala vino lavere similiter est III. 12. 2. ubi plura notata vide.

v. 21. Si *ad haec gaudia,* ad hanc convivii laetitiam *prŏperas,* ejus particeps esse cupis, si haec conditio tibi placet, hanc legem accipis. Ad solam voluntatem spectat τὸ *properas* per consequens expressam, ne ineptum acumen sententiae inferatur, si properas, propera, quod subjicitur. — 22. *velox veni,* advola cum tua *merce,* unguento nardino, e Syria misso. Cf. II. 11. 16. Alii unguentum mercem dici statuunt, quatenus vinum eo Virgilius redemturus sit; quod longius petitum videtur. — *non ego meditor,* animus non est, *plena dives ut in domo,* quod quidem divites facere solent, *te meis poculis tingere,* vino te meo irrigare, τέγγειν inebriare, pro vinum praebere tibi *immuni,* ἀσυμβόλῳ, ita ut nihil de tuo conferas. — *domus plena* de magna opulentia, ut *plenae Arabum domus* II. 12. 24. ubi vide.

v. 25. *Pone moras et studium lucri,* duobus explicari modis potest, poeta haud indignis; vel, ne detinearis, lucri in emenda nardo faciendi studio, ut lucreris aliquantulum, salubri eam emendo pretio, quo compotatio differatur necesse est; vel, quod praestat, ne diu expendas, uter nostrum in hac collatione aliquid lucelli faciat. Reliqua, quae intpp. h. l. adferunt, futilia sunt, ac prorsus ridicula. — 26. *Memor ignium nigrorum,* rogi, adeoque mortis. *Nigri,* quatenus ad res inferas pertinent, ut *invisae cupressus* II. 14. 23. *Ignes atros* eodem sensu Ovid. Fast. II. 561. Lucan. II, 299. Ad exstinctas rogi favillas male referunt nonnulli. — 27. *Misce,* immisce, *dum licet* (ita junge), *stultitiam brevem,* paullulum, in aliquod tempus, *stultitiam* h. hilaritatem, *consiliis,* severioribus studiis: omitte aliquantisper seria, atque lusibus, conviviique hilaritati vaca. Insania, dementia, μαίνεσθαι vocabula propria effusioris laetitiae, quae h. l. stultitia est, ex opinione morosorum hominum. — 28. *Dulce* est *desipere,* insanire, hilaritati se dare, genio indulgere, *in loco,* ἐν καιρῷ, aliquando, suo loco ac tempore. Callim. ep. XXXVII. 2. εὖ δ' οἴνῳ καίρια συγγελάσαι. Ducta vero ex Anacreonte (XIII. 12.) θέλω, θέλω μανῆναι, vel alio Graeco poeta sententia; ut colligere est ex Senec. de Tranq. An. in fine: *Sive Graeco poetae credimus, aliquando et insanire jucundum est.*



ARGUMENTUM XIII.



Quum Lyce quaedam, quae amatores suos olim admodum superbe habuisset, aetate in senium vergente ultro jam, deposita arrogantia, juvenum amores expeteret, puellaremque procacitatem ac lasciviam in summa deformitate anili prae se ferret; Horatius, et ipsius rei foeditate, in qua admodum difficile est, Satyram non scribere, et vero maxime, quod ipse quondam fastidia ejus expertus esset (cf. III. 10.), ulciscendi studio commotus atque incensus improbos lascivae hujus vetulae mores hoc carmine ita depexos dat, ut primarium omnino illud ejus generis exemplum haberi debeat. Adeo omnes colores tincti sunt felle plus quam Archilochio! Quam amarulentum statim in exordio poetae gaudium a Lyces deformitate pariter atque impudenti lascivia, quae ei olim imprecata esset, et propter quae jam contemtui risuique juvenibus esset, conceptum! quam acerba post laudatam Chiae floridam pulchritudinem turpitudinis istius, per partes expensae, irrisio, pristinaeque, cujus nullum supersit vestigium, formae recordatio! Illud denique, quod Lyce non tam propitiis quam iratis numinibus protecta hac sola de causa ad extremam senectutem perveniat, ut ridendam suam praebeat juvenibus anilem libidinem, ecquam ad animi feminei impotentiam habere putes efficaciam? Neque vero hac argumenti tractatione inferiores habendae sunt eloquutionis poeticae virtutes, a doctrina, co-

pia atque ἐνεργείᾳ commendatissimae. Comparent autem cum Nostro Venerum graecarum cupidi Meleagri LXXVII. (A. Br. I. 22.)

Adnotationes.

v. 1. Initio statim exsultat poeta, voti compos factus. Voti ejus summa erat: ut Lyce cito defloresceret, atque in hac pulchritudinis jactura puellarum lasciviam atque protervitatem prae se ferret, juvenumque fastum vicissim experiretur. Jam pedestre erat: Facta es, Lyce, quod voveram, petulans ac lasciva anus! Sed major δεινότης in disjuncta sententia, ipsa verborum collocatione mirifice adjuta. Tum maxima erumpentis gaudii vis in geminato priore commate, maximaque in repetito Lyces nomine irrisio. *Audiunt* dii *vota*, quae rata esse jubent, noto loquendi usu. Vid. ad I. 2. 27. — 3. *tamen*, quo summam omnium in te indignationem moves, *vis formosa videri*, formam adhuc tuam jactas, facis ea, quae tantum formosas puellas addecet. Haec exponit seqq. poeta. — 4. Etiamnum te comissationibus ingeris, in iisque *impudens ludis*, haud pudet te vetulam puellari lascivia jocari (ut III. 15. 5.), lusus procaciores puellarum imitari, *bibere* (vid. ad III. 15. 16.) et bene potam *cantare*. Postremum hoc exquisita prorsus acerbitate tinxit poeta! *Cantu tremulo*, fracta prae senio voce, *sollicitas Cupidinem*, permovere cupis, ut ad te veniat, h. canticis amatoriis juvenes venaris, in amorem tui pellicere conaris, *lentum*, cunctantem, non audientem te, non obsequentem tibi; quatenus irriti Lyces in juvenes adsultus erant. *Cantum tremulum* fere διλόγως accipiunt, qui et per aetatem et per libidinem tremit; vix bene. Ad sententiam Tibull. I. 2. 89. *Vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores, post Veneris vinclis subdere colla senem; et sibi blanditias tremula componere voce.*

v. 6. Praeclare continuatur Amoris lenti imago, novis, quibus Lycen acriter pungeret, coloribus illustrata. Enimvero *ille* desidet apud *Chiam* (nomen puellae proprium puta), libenter ibi moratur. Venuste admodum ac graeca plane suavitate mo-

rae istius causas, Chiae pulchritudinem, expedivit poeta. — *virentis*, floridae aetatis puellae; vid. ad I. 25. 17. — 7. *doctae psallere*, fides pulsandi, iisque accinendi. *Dulces docta modos et citharae sciens* III. 9. 10. — 8. *excubat*, insidet *genis pulchris*; suavissima designandae eximiae pulchritudinis, quae continuo oculos atque animum in se defigit, imagine, a Graecis desumta. Sophocl. Antig. 796. Ἔρως — — ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις. Simplicior Phrynichus apud Athen. XIII. p. 604. λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρῇσι φῶς Ἔρωτος. Plato VI. 2. (A. Br. I. 170.) de formosa vetula: ἧς καὶ ἐπὶ ῥυτίδων δριμύλος ἷζετ' Ἔρως. Aristaenet. II. 1. ἀπηνθηκότι σώματι οὐ πέφυκε προσιζάνειν ὁ Ἔρως. οὗ δὲ ἂν εὐανθές τε καὶ εὐῶδες ᾖ, ἐνταῦθα καὶ ἐνιζάνει καὶ μένει. Oculos Amori sedem attribuit Meleag. XCI. 10. (A. Br. I. 26.) οὔ με λέληθας, τοξότα, Ζηνοφίλας ὄμμασι κρυπτόμενος. Ita et Alcimus in Anthol. Burm. I. p. 546. *O blandos oculos — — illic et Venus et leves Amores, atque ipsa in medio sedet Venustas.* Eandem imaginem ad *Horam* traduxit Pind. Nem. VIII. 3. ἅτε παρθενίοισι καὶ παίδων ἐφίζοισα βλεφάροις cet. Unde Alciphron III. 65. πρόσωπον αὐτῷ τὰς Ὥρας αὐτὰς ἐπικαθημένας ἔχει, Ita et Gratias oculis ἐγκαθιδρυμένας fingit Aristaen. I. 1. easdemque ἐνορχουμένας ταῖ παρειαῖς Alciphr. III. 1. p. 274. at Strato XXIII. 3. (A. Br. II. 364.) σεῖο περισκιρτῶσι πρόσωπα τοξόβολοι, ψυχέων ἅρπαγες ἀλλοτρίων.

v. 9. Amor enim, aspernatus vetulas, merito te, anile dedecus, fastidit. Etiam in hujus sententiae enuntiatione graeca omnia. Pro tenui, ille, docte et cum irrisione est, *importunus*, quod verbo jungendum, *importuno*, inhumano more *transv..*, parum commodum se praebet, morose, fastidiose *transvolat*; παρίπταται, praeterit, *aridas quercus*, annosas vetulas, eas contemnit. Quo sensu *praeterire* adhibuit Noster A. P. 342. et Ovid. Her. XXI. 179. Met. VIII. 299. *transire* Stat. Theb. V. 26. Quo eodem sensu Graeci παρέρχεσθαι, παραδραμεῖν (Theocr. XX. 31. τὰ δ' ἀστυκὰ μ' οὐκ ἐφίλασεν, ἀλλ' ὅτι βωκόλος ἐμμί, π α ρ έ δ ρ α μ ε) usurpant. Vid. Abresch. ad Aristaen. II. 16. p. 263. Hinc adposite Strato LXXI. 5. (A. Br. II. 375. νῦν δὲ τὸ (κάλλος) μὲν οἰόλωλεν, ἐπήλυθε δ' ἡ τριχάλεπτος δαίμων. χοἱ θέρκπες νῦν σ ε π α ρ ε ρ χ ό μ ε θ α. Pro eo hoc loco est *transvolare*, utpote de Amore, puero alato. Callim. ep. XXXIII. Χοὐμος Ἔρως τοιόσδε, τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα π α ρ π έ τ α-

ται. Simillima vero sententia atque ornatu est fragm. Anacreontis, quod Lucianus in Herc. 8. (T. III. p. 86.) orationi ita intermiscuit: καὶ ὁ Ἔρως σὸς, ὦ Τήϊε ποιητὰ, εἰσιδών με ὑποπόλιον γένειον, χρυσοφαέννοιν πτερυγοῖν ἢ ἀετοῖς παραπετέσθω, καὶ ὁ Ἱπποκλείδης οὐ φροντιεῖ· — *aridas*, effoetas senio *quercus* γεράνδρυα; proverbialiter, de extrema senectute. Cf. Diogenian. Cent. III. 77. Adposite Aristaenet. II. 1. δίδου τοῖς σοῖς ὀπωρώναις τὴν ὥραν τρυγᾷν, μετ' ὀλίγον ἔσῃ γεράνδρυον, Myrinus II. 1. (A. Br. II. 107.) Τὴν μαλακὴν Παφίης, Στατύλλιον ἀνδρόγυνον, δρῦν ἕλκειν εἰς Ἀΐδην ἡνίκ' ἔμελλε Χρόνος cet. ad quem illustrandum Toup. (Emend. in Suid. T. III. p. 280.) docte laudat Artemid. II. 25. Δρῦς δηλοῖ καὶ πρεσβύτην διὰ τὸ πολυετές. Cf. et Abresch. ad Aristae. l. l. Similiter *aridas frondes*, mulieres vetulas opponit *hederae virenti puellaeque myrto* puellis floridis sueciique plenis Noster I. 25. 17. ubi nos vide. — *refugit*, cohorrescit foedo tuo adspectu, fastidit, contemnit te. In repetito *te* magna acrimonia est, uti et in speciali tetri vultus delineatione. Te *luridis*, nigris *dentibus*, te *rugis* ac *canis* turpem, deformem. Pro canitie poeta *capitis nives*, caput nive conspersum posuit, graeca audacia. Diogenis Laert. in Bianta (quod Antipatro alii tribuunt) quod exstat in Anthol. Brod. III. p. 422. τῇδε Βίαντα κέκευθα, τὸν ἀτρέμας ἤγαγεν Ἑρμῆς εἰς Ἀΐδην πολιῷ γήραϊ νιφόμενον, laudavit jam Lamb. Adde Antip. Thess. XXI. 5. (A. Br. II. 114.) τίθει δέ μιν, ὡς πρό γε τοῖον, ὡς αὖτις πολιῷ γήραϊ νιφόμενον. Respexit hunc locum Quinctil. VIII. 6. *Sunt et durae translationes; i. e. a longinqua similitudine ductae, ut* capitis nives.

v. 13 *sqq.* Neque vero adscititius ornatus operosusque cultus, quod reris, juventutem reparat, pulchritudinemque revocat. Venuste in hanc rem Lucian. VI. 1. (Anal. Br. II. 309.) τὴν κεφαλὴν βάπτεις, τὸ δὲ γῆρας οὔποτε βάψεις, οὐδὲ παρειάων ἐκτανύσεις ῥυτίδας. μὴ τοίνυν τὸ πρόσωπον ἅπαν ψιμύθῳ καταπλαττε. — — οὐδὲν γὰρ πλέον ἐστί. τί μαίνεαι; οὔποτε φῦκος καὶ ψίμυθος τεύξει τὴν Ἑκάβην Ἑλένην, Ornatus duas ponit species poeta, vestem Coam et margaritas. Illa e subtilissima bombycum, quos Cos, Aegaei maris insula, aleret, lanugine conficiebatur, in summoque pretio habita erat. Unde in munditiis muliebribus solennis ejus mentio. Tibull. II. 53. *Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa texuit, auratas disposuitque vias.* Adde Ei.

II. 4. 29. Nostrum Serm. I. 2. 101. Propert. I. 2. 2. II. 1. 5. IV. 5. 23. Ad rem cf. Plin. H. N. XI. 23. Pretiosiorem hanc vestem facit poeta purpura, qua tincta esset; quod subinde factum vel ex h. l. adparet. Forte aliam quoque tingendae vestis tangere causam voluit poeta, nimirum, ne, quum esset pellucida (Serm. l. l. *Cois tibi paene videre est ut nudam*), exsucca atque senilia Lyces membra proderet. — *lapides clari*, pellucidi uniones, margaritae, *lucida concha* Tib. II. 4. 30. *lapidum fulgor* Virg. Cul. 64. *lapis* simpliciter vocatus Tib. I. 8. 39. — *tempora, quae semel* praeterierunt, aetatem juvenilem. Proprie res per tempora gestae fastis *includuntur* s. designantur, quibus tamen notandis ipsum tempus praeterlapsum digeritur (unde Ovid. Fast. I. 1. *Tempora cum causis Latium digesta per annum*) atque consignatur. Jam pro vulgari; quae fastis condita s. inclusa (nam alterutrum suffecerat) sunt, docte *Dies*, tempus ulterius provectum ea condit; quatenus hic ipse processus temporis facit, ut consignari praeteritum necesse sit. — *notis*, quatenus rerum antiquitus gestarum memoriam servant, earum notitiam posteritati tradit. — *volucris* v. III. 28. 6.

v. 17 *sqq.* Amara irrisione, quam simulato dolore (*heu!*) exacerbat, continuat poeta vv. 10. sqq. sententiam, ita inflexam, ut ne tantillum quidem pristinae formae in Lyce residuum adparere dicat. Quae ipsa priscae pulchritudinis recordatio cum per se magnam ad urendam Lycen vim habet, tum gravior ad animum est, per partes diducta, maxime oratione ad ipsam Lycen conversa, atque interrogationibus praecipitata, plane ut in Rufini ep. XXXVII. 1. (A. Br. II. 399.) ποῦ σοι κεῖνα, Μέλλισσα, τὰ χρύσεα καὶ περίοπτα τῆς πολυθρυλλήτου κάλλεα φαντασίης; etc. — *Venus*, formae venustas, gratia. — *Colorem* non ad genas tantum sed omnino ad totius corporis florem (σῶμα εὔχροον) vegetamque formam referre praestat; etiam propter seqq. — *decens motus*, in habitu corporis atque incessu. Nam in hoc decus spectatur. Tib. IV. 2. 8. *Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit, componit furtim subsequiturque Decor.* Ovid. A. A. III. 299. *Est et in incessu pars non temnenda decoris — — haec movet arte latus* cet. — 18. Nihil plane reliqui tibi est, quo olim in amorem tui rapiebar. *Quid habes illius, quae spirabat Amores facies?* dictiore structura pro, *quid* amplius *habes*, quantulum restat *illius faciei, quae spirabat Amores*, amoris illecta-

mento; graeca venustate. Hesiod. Scut. 8. Τῆς καὶ ἀπὸ κρῆθεν, βλεφάρων τ' ἀπὸ κυανεάων τοῖον ἄη θ' οἷόν τε πολυχρύσου Ἀφροδίτης. Hinc suaviter Anacr. (Steph. poett. lyr. p. 142.) παῖδα ἁπαλὴν vocat Κύπριν ὅλην πνέουσαν. Philodemus, Horatii deliciae XXIII. 5. χρὼς ἀῤῥυτίδωτος ἔτ' ἀμβροσίην, ἔτι Πειθὼ, πάσας ἔτι στάζει μυριάδας Χαρίτων. Eodem sensu Paulus Silent. IX. 1. ὄμματα dicit πόθου πνείοντα, A. Br. III. 74. — 20. quae me ita amore accenderat, ut mei vix compos essem: tralatitia vehementissimi amoris significatione. Nota Sapphus; τό μοι τὰν καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν, et inde Catulli: *misero quod omnes eripit sensus mihi.* Archiloch. XXIV. (A. Br. I. 44. Τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευε κλέψας ἐκ στηθέων ἁπαλὰς φρένας· Apollon. Rh. III. 289. de Medea, amore saucia; καὶ οἱ ἄηντο στηθέων ἐκ πυκιναὶ καμάτῳ φρένες. Add. Strato XXIII. 4. (A. Br. II. 364.) Nostrum imitatus est Auctor ep. CCLXVI. L. III. Anthol. lat. Burm. T. I. p. 687. *Me mihi surripuit contraria flamma sororum, pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.* — 21. *felix*, eximia prorsus *post Cinaram*, quae soli Cinarae pulchritudini cederet, inferior esset, hincque *nota*, fama hominum et carminibus celebratissima. — et *artium gratarum*, „quae oculis, nutu superciliorum, cervicis volubilitate, capitis gratia, totius denique corporis motu placet" ut satis liberaliter adnumerat schol. Cruq. Verbo igitur, *artes gratae* sunt illecebrae, quibus in amorem rapimur. Propert. I. 4. 13. *Ingenuus color, et multis decor artibus.*

v. 22. *sqq.* Sed fata *breves annos*, breve vitae spatium *Cinarae dedere*, concessere; Cinara mature obiit; molle in hoc πάθος. — 24. Te contra ideo fastidit Orcus, ut in summum juvenum contemtum adduceretis, largam juvenibus ridendi copiam praeberes; acerbe admodum. Observa doctam cum antecedentibus orationis connexionem: eadem fata *servatura Lycem*, vitam Lyces extentura, prolongatura, *parem temporibus cornicis vet.*, eo usque, donec aequaret annos cornicum. De cornicum longaevitate nota res. vid. III. 17. 13. Similiter γραῦν τρικόρωνον vocat Agath. VII. 1. (A. Br. III. 35.) et Lucilius XXXI. (A. Br. II.) 323.) Λαΐδα κορωνεκάβην Myrin. IV. 2. (A. Br. II. 108.) — 26. Tibull. I. 6. 81. de tali vetula: *Hanc animo gaudente vident juvenumque catervae commemorant merito tot male ferre senem.* — *possent visere non sine risu*; ut riderent *juvenes fervidi* ae-

tate, perpetuo juventae epitheto; uti frigus senio proprium. — 28. *Facem* pulchritudinis tuae, qua juvenes olim accendebas, *in cineres dilapsam*, redactam, versam, exustam. Eadem suavitate Meleag. XLIV. 2. (A. Br. I. 15.) πυραυγὴς πρίν ποτε, νῦν δ' ἤδη δαλὸς, Ἀπολλοδότος. Auxit rei speciem Martial. III. 93. 19. *Virumque demens cineribus tuis quaeris prurire;* et X. 90. 2. *Quid busti cineres tui lacessis?* Hinc σβεννῦναι, de obsoleta forma. Rufin. VIII. 1. (A. Br. II. 392.) Οὔπω σου τὸ καλὸν χρόνος ἔσβέσεν, — — ἃ πόσσους κατέφλεξε τὸ πρὶν θεοείκελον ἄνθος. Vid. eurditam Ruhnkenil notam ad Tim. p. 40. Ceterum orationis colorem a Nostro mutuatus est Lucil. Jun. Aetn. 421. *in cinerem putresque jacet dilapsus arenas.*



ARGUMENTUM XIV.



Quamquam in eodem fere, quod quarto hujus libri carmini subjectum est, hocce occupetur argumento, neque tractationis plane dissimilis ratio sit, quandoquidem in utroque laudes Drusi ac Tiberii bellicas ad Augustum exquisita sensuum conversione referri videas; diversa tamen, qua ad eumdem scopum contendat, via poetam incedere animadvertas. In altero enim, quum, praeter generis nobilitatem, institutioni potissimum ac praeceptis Augusti magnitudinem ac gloriam Neronum innixam ostendisset; summam laudum hoc carmine in Augustum ducto ab auspiciis h. jussu, copiis, consiliis ejus, quibus tantas isti res confecissent, argumento, convertit. Quamquam autem nostrum ad alterius majestatem non adsurgat; satis tamen nervorum atque dignitatis omnino pro argumenti gravitate

habet, tum maximum conspicuum est eloqutionis ornatu, numerisque, nunc rapidioribus, nunc remissis, prout argumenti postularet indoles. Jam, quo rerum ab Augusto gestarum magnitudinem amplissimaque in rempublicam merita quam splendidissime repraesentaret poeta, a Senatus populique universi studio, in excogitandis novis, quibus Augustum ornarent, honoribus occupato (de quo vid. Dio LIV.) exorsus, vix ullos reperiri posse contendit, qui pares ejus sint virtutibus. Ita naturalis ad Augusti laudes progressus erat, quas quidem ita deinceps explicat, ut exposita, amplissimeque, ut quae proxima Augusti extollendo materies esset, exornata recentissima ejus, quam de Vindelicis per Tiberium reportasset, victoria, gentiumque ab eo devictarum recensum acto, Augustum inde totius orbis terrarum pacatorem atque Deum ἐπόψιον magnifice repraesentet. Ad a. U. c. DCCXLI. quo novis quaesitioribusque Augustum rediturum Senatus ornandum decrevisset honoribus, referendum esse hoc carmen, ipsum ejus abunde adserit initium.

Adnotationes.

v. 1. Poetam rerum ab Augusto gestarum magnitudine attonitum intimeque percitum satis vivide exordium statim ostendit. Vulgarem sententiam: Augusti in remp. Romanam merita ampliora sunt, quam ut iis dignus parque honos haberi queat, per se splendidam, Augustoque honorificentissimam, vide qua *ἐνεργείᾳ* amplificaverit Horatius. Quanta autem cum vi, *quae cura* cet. pro, quantumvis *Patres* ac *Quirites*, h. Senatus populusque Romanus in exquirendis *honorum muneribus*, h. honoribus in Augustum conferendis laborent, omnemque ingenii sollertiam adhibeant, *plenos* tamen, h. eos, qui exacte respondeant Augusti *virtutibus*,

exaequent ejus merita, vereor ut reperturi sint. Facile perspicitur, τῷ *plenis* totius sententiae vim subjici oportere. Jam pro, honores in Augustum conferre, multo significantius et ad immortalia Augusti opera designanda delectius est. A. *virtutes in aevum aeternare*, h. ita celebrare, ut ipsarum memoria *in aevum* perduret, aeternitati consecrare congerendis in eum *honoribus*, iisque (nam ἐπεξηγητικῶς haec subjici putanda) titulis s. *per titulos* ac *memores fastus* proditis; quae quidem fere honorum, quibus cives de patria optime meritos ornare solerent Romani, erant genera. Nam *tituli* h. l. complectuntur monumenta publica, statuas, arcus, nummos cet. quibus incisae epigraphae memoriam ejus, cui honor iste haberetur, ad posteritatem propagabant. Cf. III. 24. 27. *Fasti* autem (pro quo *fastus*, antiqua forma, adhibuit poeta, teste Prisciano VI. p. 711. quod antiquo verbo *aeternet* praeclare convenit) et rerum praeclare gestarum et honorum publice ideo decretorum notationes continebant. Ad posterius h. l. retulerim, quum de praemiis Augusti virtuti decernendis hic agatur. Adposite Ovid. Fast. II. 15. *tua prosequimur studioso pectore, Caesar, nomina, per titulos ingredimurque tuos*; et apertius, commemorato uno honoris genere, idem Fast. I. 9. *Invenies illic et festa domestica vobis: saepe tibi pater est, saepe legendus avus*; vid. et, qui ibi sequuntur vv. 13. et 15. — *memores*, docte, ut III. 17. 4. Nostrum respexit Symmach. Epp. X. 32. *Certe ille est Praetextatus, quem jure Consulem feceratis, ut fasti memores celebre nomen extenderent.*

v. 5. *Qua* parte, quascunque *oras terrae habitabiles Sol illustrat*, per universum terrarum orbem, qua est habitabilis, τὴν οἰκουμένην; nam extremae terrarum partes *extra Solis vias*, positae. Cf. Virg. Aen. VI. 797. et ibi Heyn. Jam si de sententia loci, de qua tamen parum sollicitos videas interpretes, curate quaeras; facile intelligas, nihil insulsius cogitari posse hac Lambini explicatione: principum, qui terrarum partes habitabiles incolunt, maxime! Neque accipiam cum quibusdam, cui totus terrarum orbis subjectus est; sed repraesentatur Augustus princeps plane *egregius* (ut I. 6. 11. III. 25. 4.) *unicus* (III. 14. 5.), cui nemo per totum terrarum orbem par inveniatur, cujus adeo in remp. meritis par honos haberi vix queat. Principis igitur solennis adpellatio Augusti habenda, et summa vis ponenda in τῷ *maxime*. — 7. Qui modo Vindelicos subegisti, *expertes* adhuc *Latinae legis* non antea perdomitos a Roma-

nis, iis primus pacis leges tamquam victor edixisti. *Edicta Julia* ita accipienda IV. 15. 22. ubi vid. notata. Adde Stat. Theb. I. 19. *adactum legibus* Romanis *Istrum. Didicere te, quid Marte posses*, graeca structura, Nostro passim frequentata (v. c. I. 17. 24.) pro, *didicere*, graviter experti sunt, sensere, *quid*, quantum bello valeres, quae tua in bello virtus esset. *Discere*, ut *noscere* I. 15. 27, *sentire*, aucta verbi vi.

v. 9 — 13. Sub tuis enim auspiciis Drusus egregie bellum adversus istas gentes administravit. Quum auspiciorum habendorum jus penes eum solum esset, qui cum summo imperio praeesset exercitui, hujusque adeo nomine a legato, cui mandatum bellum esset, omnia gererentur; facile perspicitur; in Augustum, qui summo in perpetuum imperio ornatus solus auspiciorum potestatem haberet, rerum a Neronibus egregie gestarum laudem recidere, Cf. v. 33. Potestatem istam docte designavit poeta *milite tuo*, sub tuis auspiciis adversus hostes ducto. — 10. Rhaetis et Vindelicis substituit poeta *Genaunos* et *Breunos*, gentes Cisalpinas, istis finitimas, bellique socias (Cf. Strabo IV. p. 316.) quo major ex devictarum gentium multitudine victoriae esset species ac dignitas. — *implacidum genus*, quantumvis trucem ac ferocem gentem; fere ut Libyes, *genus intractabile bello* dicti Virgil. Aen. I. 339. Adpositum igitur hoc ad augendam Drusi virtutem ac gloriam. Immanem istius gentis morem, quo (juxta Strab. IV. p. 142.) οὐ μόνον ἀνδροφονοῦσιν, ἀλλὰ καὶ μέχρι νηπίων ἀῤῥένων προέρχονται, καὶ τὰς ἐγκύους γυναῖκας κτείνουσιν, ὅσας φαῖεν οἱ μάντεις ἀῤῥενοκύειν, a poeta respici statuit Lamb. et alii. — *Br. veloces*, qui pugnam statariam detrectantes subitis undique in hostes incursionibus factis in tuta montium sese continuo reciperent, qui adeo difficulter debellari possent. — *arces*, castella, *Alpibus tremendis*, summis Alpium jugis *impositas*, more istarum gentium. — *dejecit*, curiose delectum verbum; nam non solum *arces*, ad quas illud proxime spectat, sed et *Genauni* et *Breuni*, ad quos etiam referendum; pulchre *dejecti* dicuntur, h. ex Alpibus deturbati victique (*conjurato dejectos vertice Dacos* dixit Stat. Theb. I. 20. *Et periturorum dejecit tela Gigantum*, Petron. de mutat. R. R. 208.) vel simpliciter, prostrati; ut Claudian. XXVI. 164. *qualem Stilicho dejecerit hostem, Thraces et Aemonii poterunt Moesique fateri.* Haud opus igitur Zeugmate. — *acer*, acriter,

fortiter eos adgressus. — *plus vice simplici*, ita ut non vicem tantum hostibus rependeret, sed multo gravius, quam accepisset iis damnum infligeret. *Vices* enim, ἀμοιβὴ, illatae injuriae compensatio, ultio. Vid. ad I. 28. 32. Bene Schol. Cruq. „quia plures hostium prostraverat, quam perdiderat. Drusus enim laesus pacari non poterat, nisi duplicem inferret injuriam." Inscite plerique, plus quam semel, quod nec latinum nec poeta dignum est. Alii ad seqq. trahunt, et, Virgilium Aen. II. 433. *nec ullas vitavisse vices Danaum* pro causa sua allegantes, exponunt, non uno congressu, non una pugna. Sed Virgilii locus parum praesidii huic interpretationi suppeditat; nam et ibi est: copiam ipsis feci, caedem a me factam ulciscendi, pugnam haud defugiendo, obtuli me ipsorum ultioni: subjicitur enim: *et, si fata fuissent, ut caderem, meruisse manu*, h. strage inter hostes edita.

v. 14. *Mox* rem, ut plane gesta erat, indigitat. *Major* enim *Neronum*, Tiberius, tum demum adversus Rhaetiae populos ab Augusto missus, quum a Druso ab Italia rejecti Galliae imminerent, Dio LIV. 22. Τῷ *grave* vulgarem locutionem *praelium commisit*, redemit nobilitavitque poeta. Est enim, gravi clade Rhaetos adflixit ac *pepulit*, in fugam vertit; dispersit eorum copias, pugnam *secundis* Augusti *auspiciis*, quae felicissimum exitum sponderent, capessendo. — *immanes* corpore ac virium robore. Supra v. 10. *implacidum genus.*

v. 17. *Spectandus*, egregium sui spectaculum praebens, cujus fortitudo mirationem faceret, *in certamine Martio*, pugna, ἔκπαγλος ἐν πόνοις Ἐνυαλίοιο, uti plane Pind. Isthm. VI. 79. 80. *Certamen*, *labor*, *opus Martis*, bella, pugnae; nota loquendi ratione. Vid. ad IV. 4. 45. Docta autem junctura, *spectandus*, *quantis ruinis fatigaret d. m. pectora*, pro vulgari: admirabilis prorsus, quum maximis ruinis cet. seu, maxima virtute conspicuus, qua hostes contunderet. — quantis *ruinis*, cladibus *fatigaret*, infringeret, ad desperationem adigeret *pectora*, feroces hostium animos. — *devoti morti liberae*, qui in libertate mori mallent, quam servitutem pati, qui adeo pro libertate ad internecionem dimicarent; qua quidem hostium pertinacia Tiberii virtutem mirifice illustrari, quis non sentit? Alludit autem poeta ad morem, Germanis populis communem, morti sese pro patriae libertate re in summum discrimen addu-

cta, solenni ritu devovendi atque consecrandi; cujus passim exempla commemorantur.

v. 20. Praeclare illustratur Tiberii in hostibus continuo persequendis caedendisque ostensa virtutis ferocia Austri sub ortum Pleiadum maximas in mari turbas excitantis imagine. *Qualis*, quanta rabie, vi, *Auster* undas *exercet*, agitat, proturbat *indomitas*, ei reluctantes (ut I. 1. 15. *Luctantem Icariis fluctibus Africum* cet.) contra eum insurgentes; nota tempestatis cum pugna (ut I. 9. 11.) in qua semper Austro victoria cedit (unde *arbiter*, *dux* maris Nostro I. 3. 15. et III. 3. 5. dictus), imagine. Delectum autem epith. *indomitas*, quod hostium contra mortem obfirmato animo egregie respondet, *Pleiadum choro scindente nubes*, exquisito ornatu pro, sub ortum Pleiadum. *Pleiadum chorus*, Pleiades, propter stellarum, quae isto nomine insigniuntur, positum, choreae speciem referentem. Cf. Propert. III. 3. 58. De astrorum choreis per coelum agitari creditis (de quibus Tib. II. 1. 88. quocum contendere juvabit Eurip. fr. Pirith. n. II. p. 468. Lips. et Dionys. H. Apoll. 17. in A. Br. II. 254.) parum commode cogitant h. l. nonnulli. Jam quum ortus Pleiadum, qui X. Cal. Mai. incipit, laetiorem coeli faciem reducat, ac mare iterum aperiat, nihil sane ad declarandas res hostium penitus concisas aptius Austri imagine excogitari poterat, sub illud tempus in fluctus debacchantis, eosque ita *debilitantis* (ut I. 11. 5.), ut plane subsidant, rebellandi animo plane abjecto. Signate igitur *scindente nubes*, ortu suo nubes, per hiemem collectas, dispellente, pro vulgari, in conspectum prodeunte. — *impiger vexare*, in vexando, impiger vexans, instando conturbans atque adfligens *hostium turmas*, κλονέων φάλαγγας (Hom. Il. V. 96. et inde Mimnerm. in An. Br. I. p. 522. v. 3.) De hujus verbi vi vide ad III. 2. 4 — 24. et *equum* immittere, concitare, *per medios ignes*, qua pugna ferventissima est, qua acerrime depugnatur. Ita fere Acron. h. l. expedit, recte utique ad sensum; praestat tamen proverbialiter dictum accipere, *per ignem ire*, διὰ πυρὸς μολεῖν, in re periculi plena. Vid. ad II. 1. 7.

v. 25. Cumulat comparationes poeta. Tiberii virtutem sua luce collustrare gestiens. Exquisita autem ac splendida imago est, qua Tiberius hostium cuneos perrumpens, lateque stragem edens torrenti, omnia vastanti, adsimulatur. Jam Homer. Il. V. 87. de Diomede Θῦνε γὰρ ἀμπεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς χειμάῤ-

ῥα, ὅς τ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας — — πολλὰ δ' ὑπ' αὐτοῦ ἔργα κατήριπε, κάλ' αἰζηῶν· ὣς ὑπὸ Τυδείδῃ πυκιναὶ κλονέοντο φάλαγγες Τρώων. Hoc speciali *Aufidi*, fluvii *violentis* (III. 30. 10.) ac rapidi, exornavit imagine poeta. — *tauriformis*, ταυρόμορφος, taurino capite, vel capite cornuto; nam utrumque de fluviorum diis perhibent poetae et monumenta antiqua, veluti in Cabinet d' Orleans T. I. p. 129. Sic ταυρόμορφον ὄμμα Κηφισοῦ πατρὸς Eurip. Jon. 1261. Rationem figmenti optime expedit Schol. ad Eurip. Orest. 1378. ὅτι παρακλησία τῷ μυκήματι τῶν ταύρων ἡ ἀπήχησις τοῦ ὕδατος ποιεῖ ἐν τοῖς σφοδρῶς ῥέουσι ποταμοῖς, quod Homeri locus comprobat, Il. XX. 237. ubi de Scamandro: μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος. Unde et Neptunus ταύρεος Ἐννοσίγαιος et Oceanus ταυρόκρανος dicti Hesiod. Scut. 104. et Eurip. Or. l. l. — 26. Ornatius quam, Apuliae fluvius. — *praefluit*, alluit. Vid. IV. 3. 10. — 27. *saevit*, θύει, exaestuat, tumet. Nam *ira* solenne de intumescente fluvio. Vid. Barth. ad Stat. Theb. V. 393. — *diluviem meditatur*, praeclare de fluvii Deo, stragem per campos immissis iis aquis edituro, undas per agros explicante. Forte antiquum poetam, qui de Clanio idem dixerat, sequutus est poeta; unde sua hausit Vib. Sequ. p. 21. *Clanius*, *Acerrae in Campania*, *qui*, *quum creverit*, *meditatur pestem terrae.*

v 29. Eodem *vasto*, immani, praecipit *impetu* hostes adortus *diruit*, disjecit, turbavit *eorum agmina*, confertos hostium globos. — *ferrato*, ferro praecincta, armata; docte. Σιδηρείην μάχην simili ornatu dixerat Anyte XX. 2. (A. Br. I. 201.) — 31. 32. Maximamque stragem edidit inter eos. Caesorum hostium copiam exquisitis coloribus repraesentavit poeta. *Messuit*, demessuit, prostravit hostes, *a primis*, proximis ad *extremos* usque caedem continuans.. Virg. Aen. X. 513. *Proxima quaeque metit gladio*, *latumque per agmen ardens limitem agit*, laudavit jam Schol. Cruq. Idem usus τοῦ ἀμᾶν apud Graecos; veluti Aeschyl. fr. apud Stob. Grot. p. 199. ἀλλ' Ἄρης φιλεῖ γ' ἀεὶ τὰ λῷστα πάντ' ἀμᾶν στρατοῦ, uti praeclare locum sanavit Valken. Diatr. Eurip. p. 225. quem omnino vide sis. Ingentes autem stragis acervos innuit hoc verbum, a messoribus translatum; unde elegans caedentium cum iis comparatio apud Homer. Il. XI. 67. sqq. quocum contenderunt Viri docti Catulliana LXIV. 334. de Achille: *Namque velut densas prosternens cultor aristas sole sub ardenti flaventia demetit arva*, *Trojugenum infesto pro-*

sternet corpora ferro. Adde Eurip. Eurysth. fr. II. p. 446. fr. Lips. de Hercule, Hydrae capita resecante: πάντας δ' ἐξεθέρισεν, ὡς στάχυν πύριμον, σπάθῃ κολούων φασγάνου μελανδέτου. — 32. *stravit humum*, constravit, operuit terram caesorum corporibus. — *sine clade victor*, ἀναιμωτί; incruentam Drusi Tiberiique victoriam, de gentibus reportatam, tradit quoque Vellei. II. 95. *Uterque Rhaetos Vindelicosque — majore cum periculo quam damno Romani exercitus; plurimo cum eorum sanguine perdomuerunt.*

v. 33. Iterum praeclara inflexione poeta Tiberii laudes cum Augusto communicat; de qua vid. ad v. 9. Hoc enim summam rerum obtinente gesta omnia (erant *copiis, consilio,* quo bellum istud administraretur, et *auspiciis* ejus felicissimis. Pro hoc poeta: *te Divos tuos*, quos constanter propitios expertus es, h. auspicia, quae felicissimum eventum sponderent, *praebente.* Docte autem ita auspicia designantur a poeta, quatenus iis futura mortalibus Dii manifestant. *Sui* autem, propitii, ut passim poetae. Vid. v. c. Tib. III. 3. 28. et ibi Heyn. Nostrum ob oculos habuit Ovid. Trist. II. 173. *Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas, auspicium cui das grande Deosque tuos.* Adde eund. A. A. I. 191. *Auspiciis animisque patris, puer, arma movebis, et vinces animis auspiciisque patris.*

v. 34. Declarat jam *suos* Augusti *Divos*, h. constantem Numinum erga eum favorem, captamque ab eo Alexandriam in hanc rem allegat poeta, quod eodem ipso die, quo cum Rhaetis ac Vindelicis debellatum esset, Augustus XV. annis ante, Alexandriam cepisset; quem quidem IV. Cal. Sept. intpp. ad h. l. et ad Dionem LI. 19. statuunt. *Fortuna* igitur (quam explicative *Diis suis* substituit poeta) *prospera* eodem die *reddidit*, iterum praebuit, eosdem dedit Augusto *secundos belli exitus*, subactis Vindelicis, *lustro tertio*, XV. annis post, quam Alexandriam eidem aperuisset, capiendam praebuisset. Convenit hoc plane cum temporum ratione; capta a. U. DCCXXIV. Alexandria, finitoque a. U. DCCXXXIX. bello cum Vindelicis gesto. Alexandriam captam admodum augusta repraesentat species: Cogitanda *Alexandria* mulier (uti passim genius urbis in nummis exhibetur) *supplex*, ad Augusti genua advoluta, eique victori sese submittens ac dedens; qui habitus passim in monumm. antiquis occurrit. Jam pro, victori sese tradidit signatius est, patefecit classibus

tuis *portus* suos, et *aulam vacuam*, regiam desertam, Antonio et Cleopatra in Mausoleo, in quod confugerant, exspirantibus.

v. 39. 40. Atque ita *adrogavit*, adjecit, addidit *peractis imperiis* (tertio casu) rebus, quas olim imperator bello gessisti, pristinae tuae gloriae bellicae, *laudem*, novam gloriam ex victoria Vindelica, et *decus optatum*, eximium, exquisitum. Nonnulli *imperiis peractis* sexto casu accipiunt, ut sit, bello, quod Tiberius auspiciis tuis gereret, peracto, finito, parum docte. Ceterum Nostri verba sublegit Phocas grammaticus de Hist. 22. (Wernsd. Poet. min. III. 412.) de Virgilio: *perenne Romulae voci decus arrogavit carmine sacro.*

v. 41. Ad reliquas terrarum gentes ab Augusto perdomitas poeta, tumens ejus laudibus, progreditur, quo *fortunam* ejus *prosperam* illustriorem reddat. De *Cantabria* ab Augusto demum in provinciae formam redacta v. ad II. 6. 2. et III. 8. 22. De *Medis* s. Parthis. v. III. 5. init. — *Indus*, v. ad IV. 15. 23. — *Scythes*, v. ad II. 9. 23. et III. 8. 23. — *profugus*, ob erraticum ejus vivendi morem ut I. 35. 9. — 43. *miratur*, majestatem nominis tui reveretur, splendide pro, se tibi submittit, abjecto rebellandi animo, ut mox v. 52. *venerari*. — *tutela praesens*. numen tutelare, quod praesens venerari datur, quum Jovis absens sit. Vid. III. 5. 2. et I. 12. extr. — 44. *Italiae*, totiusque terrarum orbis; pro hoc docte *Romae dominae*, quae orbi terrarum dominatur; perpetuo ejus epitheto, v. c. Ovid. Rem. 291. vid. Wernsd. ad Calpurn. IV. 161. p. 133. Explicatius Rutil. Itin. 193. *Nec locus ille mihi cognoscitur — — qui dominas arces et caput orbis habet.*

v. 45. *sqq.* Admiscet jam colores suos poeta, ne in Geographo te versari putes, easdemque fere gentes ab ipsarum fluviis indigitat. Aegyptum adeo declarat *Nilus, qui celat origines fontium*, cujus fontes ignorantur; quos nostris demum temporibus, indefessis studiis apertos esse constat. De ignoto Nili capite v. Plin. V. 9. Ovid. Amor. III. 6. 40. (qui fere ut Noster: *qui patriam tantae tam bene celat aquae*) Tibull. I. 7. 24. Lucan. X. 190. Martial. de Spect. III. 5. Auson. ep. IV. 8. et Sidon. VII. 44. — Istri fontes et ipsos vett. ignoratos fuisse junctura *Nilusque et Ister* indicari judicabat Gesner. Quod quamquam verum sit (Senec. Quaest. nat. IV. 1. *Danubium* (Nilo) *similem natura philosophi tradiderunt*, quod et fontis ignoti, *et aesta-*

te quam hieme major sit. Auson. Epigr. IV. 1. *Danubius penitis caput occultatus in oris)* hoc tamen loco ita statuere minime necessarium arbitror. Intellige autem Istri accolas, Dacos et alias ab Augusto devictas gentes. — *Tigris*, Armeniae fl. ita ob *rapiditatem*, sagittae similem, Medis dictus; ad Tigranem regem Armeniis a Romanis constitutum hoc refer. 47. 48. Ad legationem a Britanniae regulis ad Augustum a. U. DCCXXXIV. (cf. Strabo l. IV. p. 138.) missam spectant hi vv. Vid. ad III. 5. 3. Britanniam insulam docte declarat poeta per *Oceanum*, *Britannis obstrepentem*, alluentem, circumfluentem ipsorum insulam. Idem ornatus II. 18. 20. — *belluosus*, belluis scatens (ut III. 27. 26.) μεγακήτης; verbo a Nostro cuso; cujus auctoritatem sequutus est Avien. Or. mar. 204. (Wernsd. P. min. p. 1201 T. V.).

v. 49. *Tellus Galliae*, Galli, *funera*, mortem, *non paventes* feroces, fortes. Lucan. I. 460. sqq. *quos, ille timorum maximus, haud urget leti metus; inde ruendi in ferrum mens prona viris, animaeque capaces mortis, et ignavum rediturae parcere vitae.* — 50. *Iberiae durae*, ferae supra IV. 5. 27. — *audit* ἀκούει. tibi obtemperat. — 51. Denique *Sygambri*; de quibus v. IV. 2. 36. — *caede gaudentes*, efferi, torvi, ut Juven. IV. 147. eos indigitat. — 52. *Compositis armis*, reconditis telis, laxoque arcu, ut de Scythis III. 8. 23. adeoque nihil hostile amplius prae se ferentes. Alii, compositis bellis, vel quatenus ipsi Sygambri compositi, h. quieti erant; male utrumque. Observa divitias poetae in varianda *devictarum* gentium notione conspicuas; item delectum epithetorum, victoriae gloriam mirifice juvantium.



ARGUMENTUM XV.



Augustum, belli pariter atque pacis artibus inclytum, celebraturus novissimo hoc carmi-

ne Horatius, belli quidem laudibus splendidissime ita absolutis, ut iis digne canendis sese plane imparem profiteatur, in Augusto pacificatore ornando haeret, ejusque merita in rempublicam ample magnificeque extollit. Quorum quidem quo illustrior esset species, Augustum poeta repraesentat tamquam Numen Romanorum tutelare, cujus ἐπιφάνεια civitatem, internis externisque malis graviter adflictam prostratamque recreaverit, et ad summam magnitudinem ac felicitatem provexerit. Frui enim jam per eum populum Romanum summa securitate, atque omnium rerum abundantia, conversis civium ad colendas pacis artes, maxime agrorum cultum, quem quidem metus hostilis ac rei bellicae cura sufflaminasset, studiis; deballatum ab eo Parthum, pacatumque omnino totum terrarum orbem; revocatam porro saluberrimis latis legibus pristinam morum integritatem ac sanctitatem. Non minus igitur splendide quam vere Vellei. II. 89. *Nihil dii hominibus praestare possunt, quod non Augustus populo Romano repraesentaverit. Finita bella civilia, sepulta externa, revocata pax; restituta vis legibus; rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus; leges emendatae utiliter, latae salubriter cet. Unde quam carus acceptusque populo suo Augustus sit, praeclara prorsus, quaque intimum amoris ac pietatis adfectum prodit, imagine ostenditur inde a. v.* 25. *— Regnat omnino per totum carmen sedatior spiritus. composita gravitas, aequabilisque sententiarum progressio; accedit oratio comta ac decora magis, quam nimio fulgore sensuum vim hebetans; quae quidem quantam ad carminis argumentum vim habeant, in promtu*

est animadvertere. Ceterum post a. DCCXLIV. illud scriptum esse, Janus tertium clausus (v. 9.) manifeste prodit. Cum nostro autem comparasse utile erit c. V. hujus libri, ut poetae copiam in ejusdem fere argumenti tractatione pernoscas.

Adnotationes.

v. 1 — 4. Augusti res bello strenue gestas carmine extollere conantem absterret ingenii tenuitas. Pro hoc augustior et ad Augusti laudes bellicas magnificentior imago est, qua ab ipso Apolline se ab isto nimis calide capto impetu audacique conatu revocatum esse pronuntiat. *Me loqui volentem*, canere adgressum *proelia et urbes victas*, Augusti victorias, subito adstans Phoebus *increpuit lyra*, lyra tacta admonuit, *ne* cet. Super ordine verborum magnum inter VV. DD. est dissidium. Scholl. cum Torrent. Baxt. et aliis jungunt, me volentem *loqui lyra* Phoebus increpuit. Expeditissima sane haec ratio, et *loqui lyra* satis commode dicitur ut IV. 12. 9. ubi vide Not. Dura tamen haec, si quid judico, propterque ambiguitatem vitiosa verborum trajectio! Praestat igitur multo simplicior, concinnior itemque doctior junctura, *increpuit lyra;* quod tamen cave cum Dacer. et Sanad. de lyra Horatio impacta accipias; quae parum liberalis fuisset admonitio, et, si loquendi usum sequaris, non tam cohibitum quam potius ita excitatum ad canendum poetam dicas. Ita de Baccho Ovid. Aen. III. 15. 17. *Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus*, et passim. Neque adsentiar iis, qui interpretantur, vehementiore tactu lyrae objurgavit, admonuitque me, *ne;* quam sententiam a Iano potissimum exornatum videas. Is Phoebum cogitandum existimat tanquam choragum (imo χοροῦ διδάσκαλον), qui cantum meditanti poetae adstat, aberrantemque *increpat*, h. corrigit, legitimum sonum lyra, quam manu tenet, praeeundo. Speciosa sane haec; quae tamen si severius exigas, haud scio an displicitura sint. Nam *increpare lyra* s. *lyram* simpliciter est, pulsare fides, nulla vehementiae aut indignationis adjecta notione. Ovid. Her. III. 118. *Threiciam digitis incre-*

puisse lyram. Adde Am. II. 11. 32. Tum manifesta dilogia est in v. *increpare*, quod est et objurgare, et pulsare lyram; cum quo posteriori non adparet, quomodo concilientur verba *me volentem.* Ego quidem h. l. agnoscam Apollinem orationi suae, cujus tantum argumentum satis habet adponere poeta, προοιμιάζοντα; desumta a veterum praeludiis, solenni cantui praeiri solitis, imagine. Audito igitur bellico, ut ita dicam, poetae cantu, subitus adstat vati Apollo, audientiamque sibi facturus lyram tangit atque tum demum oratione commonefacit poetam, ne tenuis graudia conetur. En idem prorsus phantasma Ovidio A. A. II. 493. usurpatum: *Haec ego quum canerem, subito manifestus Apollo* movit inauratae pollice fila lyrae. — — *Is mihi, lascivi* dixit, *praeceptor amoris* cet. ubi similiter mota prius lyra vatem alloquitur. In Nostro igitur est, *lyra* prius tacta *increpuit* docta brevitate pro, objurgavit; admonuit me, *ne* cet. Eadem fere rei species, uti acute animadvertit Heynius, in Tibull. III. 4. 39. sqq. de Apolline: *Hanc primum veniens plectro modulatus eburno felices cantus ore sonante dedit. Sed postquam fuerant digiti cum voce loquuti* (h. absoluto prooemio) *edidit haec dulci tristia verba modo*: ubi ejus oratio subjicitur, quamquam Phoebo parum digna. In Virgilio Ecl. VI. 3. alia rei imago in eadem re: *quum canerem reges et praelia, Cynthius aurem vellit, et admonuit* cet. — 3. Ne majora viribus meis adgrederer. Pro hoc docte poeta, *ne parva vela darem*, ne exigua rate *per aequor* navigarem; altum peterem. Scilicet grande atque vastum argumentum tractaturus profundioris oris poeta *pelago dat vela patenti*, ut simillime, qua verba, qua sententiam Virg. Ge. II. 41. tenuis contra venae, atque in tenui materia occupati *cymba in exiguo lacu ludit*, Ovid. Trist. II. 330. Utrumque conjunxit Propert III. 7. 3. *Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor, non sunt apta meae grandia vela rati.* — *Tyrrhenum* pro quovis vasto mari.

v. 4. Magna ἐνέργεια in eo cernitur, quod, ad quas eum Augusti virtutes Apollo tractandas convertisset, ipsas earundem tractatione statim subjecta praecipiat atque manifestet. Vulgaris transitus erat: igitur contineam me in celebrandis Augusti pacis artibus. Jam pedestrem enuntiationem sententiae, tu pacem terrarum orbi reddidisti, vide qua arte nobilitaverit amplificaveritque poeta. Pacem restitutam exquisite designant bona atque com-

moda ejus, propter quae maximopere expetitur, frugum ubertas, abundantia; eaque ad augustam aureae aetatis speciem revocant a poeta, ad quam repraesentata ab eodem morum istius aetatis spectat sanctitas vv. 10 sqq. Conf. omnino IV. 5. 17. sqq. *Tua aetas retulit*, vidit referri, tua aetate *relata*, reddita est *agris*, frugum ubertas, revocato a te (quae vis τῷ *tua* inest) ipsorum cultu. Rediit cultus *agris*, effectore Augusto, diserte Vellei. l. in argum. laudato. — 6. Signa a Parthis recepta a. U. DCCXXXIV. Quam rem, gloriosissimi instar triumphi ab Augusto habitam et a poetis istius aevi ideo splendidissimis verbis extolli solitam, etiam hic primo fere loco commemorari vides. Pacata autem per Augustum externa innuere putandus poeta devicti subjugatique Parthi, acerrimi Romanorum hostis facta mentione. — *restituit Jovi*, templo Jovis Capitolini intulit, tanquam spolia imperii Romani Conservatori consecravit Augustus triumphator; quae augustior imago est, quam si, fidem historicam sequutus, Marti Ultori ea dedicata poeta perhibuisset. Qua de re vid. Dio LIV. 8. Ovid. Fast. V. 585 sqq. — 7. *derepta*, detracta templorum *postibus*, quibus Parthi adfixerant. Mos spolia diis consecrandi, suspendendique eorum templis notus vel e Virg. Aen. VII. 183. Ad rem Nost. Epp. I. 18. 56. *templis Parthorum signa refigit*. Repraesentari autem ea tanquam vi erepta Parthis bello perdomitis, quae iis tantum metus extorsisset, vix opus est monere. — *superbis*, tam egregio anathemate superbientibus; venuste.

v. 9. Sueton. Aug. c. 22. *Janum Quirinum, semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta clausit. Janum*, h. Jani templum *clusit*, antiqua verbi forma, de hac re solenni. Vid. Oudend. ad Suet. l. l. Omnino amant poetae ritus antiquos ipsis antiquis verborum formis (ut hic *duella* et *clusit*) vetustisque Deorum indigitamentis (Janum *Quirinum*) referre atque designare. Janum *Quirinum* optime illustrat Macrob. I. 9. *In sacris quoque invocamus Janum Quirinum — quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant*. Potestatem hujus verbi reddidisse videtur Lucanus, *Janum belligerum* adpellando, I. 62. — *vacuus duellis*, s. vacare bello docte Janus dictus, quatenus clausus signum est imperii bello vacui. — 10 sqq. *et* reduxit disciplinam veterem, latis salubriter

legibus. *Frena injecit*, compescuit, edomuit morum *licentiam*, usitata imagine, ab equo indomito desumta. Supra III. 24. 29. *indomitam audeat refrenare licentiam.* Jam Plato de Legg. III. p. 591. ὁ τρίτος σωτὴρ, ὑμῖν ἔτι σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην τὴν ἀρχὴν ὁρῶν, οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν Ἐφόρων δύναμιν. Leges autem frena eleganter dictae, quatenus in ordinem cogunt hominem ac reprimunt, quominus praescriptos legg. terminos excedat. Antiquus poeta apud Cic. de Orat. III. 41. *exsultantem te et praesidentem tibi repriment validae legum habenae* — *evaganti*, migranti, excedenti, non servanti *rectum ordinem*, rectam agendi normam, recti s. *virtutis viam deserenti*, ut III. 24. 44. — 11. *emovit*, funditus exstirpavit, excidit *culpas*, adulteria, severissime in ea animadvertendo, et mores publicos emendando. Hinc supra IV. 5. 22. *Mos et lex maculosum edomuit nefas. Emovere* docte adhibitum de vitiis cum ipsorum fundamentis evulsis atque abolitis. — 12. *revocavit*, reduxit *artes veteres*, majorum instituta, continentiam, parsimoniam, verbo antiquam Romanorum disciplinam; de qua passim Noster.

v. 13. *Per quas* Roma *pulcherrima rerum facta est* (Virg. Ge. II. 535.), in immensum excrevit, orbis terrarum imperium adepta. *Latinum nomen*, non est simpliciter h. l., res Romana, populus Romanus; sed reip. dignitas, splendor, ut apud Cic. Or. pro Sex. Rosc. 18. loco valde adposito: *non alienos* (agros) *cupide adpetebant*; *quibus rebus* — — rempublicam, atque hoc imperium et populi Romani nomen *auxerunt*, eadem fere cumulatione. — *Italiae vires crevere*, Romana civitas incrementa cepit, robur nacta est. — *Imperii majestas*, splendide pro, imperium, adjecta notione amplitudinis, quae illud ab omni injuria tutum praestat. — *porrecta*, extenta *ab Hesp. cubili*, Solis occasu *ad ortum* ejus; terrarum orbem amplexa. Tibull. II. 5. 57. *Roma tuum nomen terris fatale regendis* — — *quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis solis anhelantes abluit amnis equos.*

v. 17. *sqq. Custode rerum Caesare*, dum Augustus terrarum orbi prospicit, ei imperat; sed alterum magnifice de Augusto, tanquam deo. Vid. ad IV. 5. 2. Simplicius III. 14. 14. eadem sententia: *ego nec tumultum, nec mori per vim metuam tenente Caesare terras*; et IV. 5. 27. *Quis Parthum paveat* —

— *incolumi Caesare* ? — *non furor* cet. haud metuenda erunt bella civilia. *Furor* et *vis civilis* , ardor civium (III. 3. 2.) seditio, legum refractis repagulis , violenter grassans, bellum intestinum. — *exiget*, exturbabit e tranquilla sede sua *otium* , pacem, evertet tranquillum reip. statum. — 19. 20. Ulterius exornatur belli civilis notio , ab ejus causa , dissidiis civilibus. *Ira* , inimicitiae civium, odia, *quae procudunt enses*, quae ad vim procedunt unde bella et caedes enascuntur ; suaviter. Αἶσαν φασγανουργὸν dixit Aeschyl. Choeph. 645. — 20. Et totas civitates communi belli incendio involvit ; quod saepius in bellis Romanorum civilibus factum constat. — *inimicat* , fortiore significatu , exasperat , ut infestis animis inter se confligant , ad arma capessenda excitat. Ita fere Statius Theb. II. 419. *hostiles inimicant classica turmas* , h. excitant , ut arma rapiant, pugnae se parent. Male fere : *ira inimicat urbes* , inimicas inter se reddit ; quod idem per idem esset. Praeclare autem decet hoc antiquum verbum poetam lyricum , quod et alii monuere. *Amicare* inde novavit Stat. Theb. III. 470.

v. 21. Neque ab externo hoste quidquam timendum erit, imperante Augusto. Cf. IV. 25 sqq. et IV. 14. 41. sqq. Pro , externi populi bello haud lacessent remp. Romanam , splendidius est, jugum imperii , ab Augusto iis injectum , haud excutient, non rebellabunt , Augusti majestatem reveriti. Docte enim hac sententiae conversione terrarum orbem Augusti victoriis peragratum simul declarat poeta , eos potissimum populos memorando, qui nuper demum Romano sese jugo submiserint. — *qui Danubium bibunt*, Istri accolae, Rhaeti, Pannones , maxime Daci ; quos speciatim memorat poeta, *Getarum* , finitimi ipsis populi , adpellatione eos complexus. Nam Getas ultra Dacos versus Pontum Euxinum sedes habuisse tradit Strabo VI. p. 467. Sed Dacos Romanis Getas dictos diserte ait Plin. 12. *Ab eo* (Istro) *in plenum quidem omnes Scytharum sunt gentes* — — alias Getae , Daci Romanis dicti , *alias Sarmatae* cet. Repressi autem Daci ultra Istri ripam a Lentulo a. U. DCCXXXIV. mox rebelles a Tiberio perdomiti. Vid. ad II. 9. 23. III. 8. 18 — 22. *Non rumpent* pacis conditiones , foedera cum iis inita servabunt ; pro hoc magnificentius , *edicta Julia* , leges devictis populis ab Augusto impositas ; ut IV. 14. 7. *Vindelici legis expertes Latinae* , necdum domiti. Inepte leges Julias de adulteriis et alias cogi-

tant Lamb. et Torrent. — 23. Nota *Serum* legatio, Augusti amicitiam petere jussa, et a Romanis pro obsequii confessione accepta. Vid. Propert. III. 3. 5. et ibi Burm. — Parthi *infidi*, quantumvis antea perfidi, non amplius imperium Romanum detrectabunt. — 24. Nec Scythae, *Tanais* accolae; res notissima.

v. 25. Suavissima oppositio: Exterae gentes nominis tui majestatem reverentur; nos, maximo felicitatis cumulo a te beati ornatique, tenerrimo te amore prosequimur, et tanquam numen beneficum veneramur. Est omnino locus, qui sequitur, dulcissimi adfectus plenus, id quod suo quisque sensu facile cognoscet. *Nos* beatissimi otio atque securitate fruentes auctorem tanti muneris, tanquam Deum salutarem, libatione atque hymnis veneramur. De libationibus Augusto a Senatu decretis vid. ad IV. 5. 33. — *profestis lucibus*, *et sacris*, quovis die pietatem tibi nostram adprobamus. *Luces*, dies *profesti*, h. l. omnes non festi, (*ἀναλόγως τῷ profanus*) qui tamen festa conviviorum hilaritate sub Augusto traducerentur Romanis. Privatum igitur cujusque domi suae Augusto habitum honorem designat poeta, oppositum publicae religioni, *sacris diebus* eidem institutae. — 26. Inter convivia hilariter agitata, mensis secundis; nam tum demum bibi libarique diis coeptum. Docte igitur libationem Augusto fieri solitam declarant *munera Liberi*. — *jocosi*, *ἐγερσιγέλωτος*, jocos excitantis; cf. III. 21. 2. — 27. Cum liberis conjugibusque nostris; praeclare haec exornant domesticae felicitatis picturam. Idem praecipit Cic. Catil. III. 10. in supplicatione ob servatam a se remp. publice decreta, *celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris*. — 28. *sqq. rite*, ritu solenni *deos prius adprecati*, libatione cum precibus ceteris diis facta, *canemus* laudes gentis Juliae. Hoc admodum docte ac splendide poeta, pristinum *patrum* s. majorum *morem*, Graecis maxime frequentatum ad partes vocando, quo fortia patrum facta ad tibiam super epulis canerentur. Laudant Cic. Tusc. I. 2. *Est in* Catonis *Originibus*, *solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus*. — *virtute functos*, qui magnas res patrare sustinuerunt, qui gravissimos labores atque aerumnas virtutis causa tolerarunt, maxima facinora edidere. *Virtus* enim, *ἀνδρεία*, strenue agendo, ac perseverando maxime spectatur; ea adeo *fungimur*, edentes virtutis specimina.

Laudant et xplicant Nostri locum e Cic. Tusc. I. 45. *Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae functus est munere;* nescio quam recte. — 30. *carmine*, hymno *remixto*, ἀναμεμιγμένῳ, admoto, attemperato ad *tibias*, ὀμφᾷ μελέων συναύλοις, ut in Pind. fr. p. 68. Heyn. Idem fere ornatus apud Val. Fl. V. 100. de Orpheo: *mixtoque sonantem percutit ore lyram.* Nisi forte poeta innuerit harmoniam τὴν μιξολυδιστὶ, Sapphus inventum, juxta Aristoxenum apud Plutarch. de Mus. p. 2082. Ita *carmen* simpliciter esset cantus, sonus, modus (Tonart) *remixtus tib. Lydiis* vel compositus cum modo Lydio, vel qui certis intervallis cum altero permutaretur. Sed hoc reconditius, atque quaesitius. *Tibiae Lydae*, quibus canitur ad modum Lydium, qui vigoris plenus erat, conviviisque adeo aptissimus. Lucian. Dial. Mer. XV. p. 322. ἤδη δὲ προχωροῦντος τοῦ πότου, ἐγὼ μὲν ὑπέκρεκόν τι τῶν Λυδίων cet. 31. *Troja* tanquam Romanorum metropolis, ad partes vocatur a poeta propter oriundos inde *Anchisen*, et *Veneris progeniem*, gentem Juliam, ab Julo, Anchisae et Veneris nepote descendere creditam, in quam Augustus adoptatus esset; quem exquisite plane ita tangi, in promtu est videre. Nam ipsum a poeta *progeniem Veneris* dici vix putem, quamquam *clarus Anchisae Venerisque sanguis* in C. S. v. 50. audiat.



Q. HORATII FLACCI

EPODON LIBER.

I.

AD MAECENATEM.




Ibis Liburnis inter alta navium,
  Amice, propugnacula,
Paratus omne Caesaris periculum
  Subire, Maecenas, tuo.
Quid nos, quibus, te, vita, si superstite,
  Jucunda; si contra, gravis?
Utrumne jussi persequemur otium,
  Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
  Qua ferre non molles viros?
Feremus; et te vel per Alpium juga,
  Inhospitalem et Caucasum,
Vel occidentis usque ad ultimum sinum,
  Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo,
  Imbellis, ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
  Qui major absentes habet.
Ut adsidens implumibus pullis avis
  Serpentium adlapsus timet
Magis relictis; non, ut adsit, auxilì
  Latura plus praesentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
  Bellum in tuae spem gratiae;

Non ut juvencis illigata pluribus
  Aratra nitantur meis:
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
  Lucana mutat pascua:
Nec ut superni villa candens Tusculi
  Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua
  Ditavit: haud paravero,
Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam,
  Discinctus aut perdam ut nepos.



II.



Beatus ille, qui procul negotiis,
  Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bubus exercet suis;
  Solutus omni foenore.
Neque excitatur classico miles truci,
  Neque horret iratum mare;
Forumque vitat, et superba civium
  Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
  Altas maritat populos,
Inutilesque falce ramos amputans
  Feliciores inserit;
Aut in reducta valle mugientium
  Prospectat errantes greges;
Aut pressa puris mella condit amphoris;
  Aut tondet infirmas oves;
Vel, quum decorum mitibus pomis caput
  Auctumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
  Certantem et uvam purpurae,

Qua muneretur te, Priape, et te, pater
  Silvane, tutor finium.
Libet jacere, modo sub antiqua ilice,
  Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae;
  Queruntur in silvis aves;
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
  Somnos quod invitet leves.
At quum Tonantis annus hibernus Jovis
  Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
  Apros in obstantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia,
  Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
  Jucunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
  Haec inter obliviscitur?
Quod si pudica mulier in partem juvet
  Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
  Pernicis uxor Appuli,
Sacrum et vetustis exstruat lignis focum,
  Lassi sub adventum viri:
Claudensque textis cratibus laetum pecus,
  Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
  Dapes inemtas adparet;
Non me Lucrina juverint conchylia,
  Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
  Hiems ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
  Non attagen Ionicus
Jucundior, quam lecta de pinguissimis
  Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
  Malvae salubres corpori,

Vel agna festis caesa Terminalibus,
  Vel hoedus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
  Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
  Collo trahentes languido!
Positosque vernas, ditis examen domus,
  Circum renidentes Lares!

Haec ubi loquutus foenerator Alphius,
  Iamjam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam;
  Quaerit Kalendis ponere.



III.

AD MAECENATEM.



Parentis olim si quis impia manu
  Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
  O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
  Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
  Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnes candidum
  Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum juga,
  Perunxit hoc Iasonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
  Serpente fugit alite.

Nec tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosae Appuliae:
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At, si quid unquam tale concupiveris,
Jocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.



IV.



Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Ibericis peruste funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic Triumviralibus,
Praeconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit;
Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contemto, sedet.
Quid adtinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum,
Hoc hoc tribuno militum?



V.

IN CANIDIAM VENEFICAM.



At, o Deorum quidquid in coelo regit,
Terras et humanum genus!
Quid iste fert tumultus? aut quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus,
Lucina veris adfuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
Per improbaturum haec Jovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua?
Ut haec tremente questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora;
Canidia brevibus implicata viperis
Crines et incomtum caput,
Jubet sepulchris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranae sanguine,
Plumamque nocturnae strigis,
Herbasque, quas Iolcos atque Iberia
Mittit, venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunae canis,
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis,
Echinus, aut currens aper,
Abacta nulla Veja conscientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer

Longo die bis terque mutatae dapis
  Inemori spectaculo:
Quum promineret ore, quantum exstant aqua
  Suspensa mento corpora:
Exsucta uti medulla, et aridum jecur
  Amoris esset poculum:
Interminato quum semel fixae cibo
  Intabuissent pupulae.
Non defuisse masculae libidinis
  Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,
  Et omne vicinum oppidum:
Quae sidera excantata voce Thessala,
  Lunamque coelo deripit.
Hic irresectum saeva dente livido
  Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
  Non infideles arbitrae,
Nox, et Diana, quae silentium regis,
  Arcana quum fiunt sacra,
Nunc nunc adeste: nunc in hostiles domos
  Iram atque numen vertite.
Formidolosae dum latent silvis ferae,
  Dulci sopore languidae,
Senem, quod omnes rideant, adulterum
  Latrent Suburanae canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
  Meae laborarint manus. —
Quid accidit? cur dira barbarae minus
  Venena Medeae valent,
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
  Magni Creontis filiam,
Quum palla, tabo munus imbutum, novam
  Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba, nec latens in asperis
  Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
  Oblivione pellicum. —

Ah! ah! solutus ambulat veneficae
  Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus
  O multa fleturum caput!
Ad me recurres: nec vocata mens tua
  Marsis redibit vocibus.
Majus parabo, majus infundam tibi
  Fastidienti poculum.
Priusque coelum sidet inferius mari,
  Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
  Bitumen atris ignibus.
Sub haec puer, jam non, ut ante, mollibus
  Lenire verbis impias;
Sed dubius, unde rumperet silentium,
  Misit Thyesteas preces:
Venena magnum fas nefasque; non valent
  Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira detestatio
  Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire jussus exspiravero,
  Nocturnus occurram Furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
  Quae vis Deorum est Manium;
Et inquietis adsidens praecordiis,
  Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
  Contundet obscenas anus.
Post insepulta membra different lupi,
  Et Esquilinae alites.
Neque hoc parentes, heu mihi superstites!
  Effugerit spectaculum.



VI.



Quid immerentes hospites vexas, canis,
  Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
  Et me remorsurum petis.
Nam, qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon,
  Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
  Quaecunque praecedet fera.
Tu, quum timenda voce complesti nemus,
  Projectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque in malos asperrimus
  Parata tollo cornua;
Qualis Lycambae spretus infido gener,
  Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atro dente me petiverit,
  Inultus ut flebo puer?



VII.

AD POPULUM ROMANUM.



Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
  Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
  Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidae Carthaginis
  Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut descenderet
  Sacra catenatus via:

Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
  Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus,
  Nunquam nisi in dispar, feris.
Furorne caecus, an rapit vis acrior?
  An culpa? responsum date. —
Tacent; et ora pallor albus inficit,
  Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt,
  Scelusque fraternae necis:
Ut immerentis fluxit in terram Remi
  Sacer nepotibus cruor.



VIII.



Rogare longo putidam te seculo,
  Vires quid enervet meas!
Quum sit tibi dens ater, et rugis vetus
  Frontem senectus exaret;
Hietque turpis inter aridas nates
  Podex, velut crudae bovis.
Sed incitat me pectus, et mammae putres,
  Equina quales ubera;
Venterque mollis, et femur tumentibus
  Exile suris additum.
Esto beata, funus atque imagines
  Ducant Triumphales tuum;
Nec sit marita, quae rotundioribus
  Onusta baccis ambulet;
Quid? quod libelli Stoici inter sericos
  Jacere pulvillos amant:
Iliterati num minus nervi rigent?
  Minusve languet fascinum?

Quod ut superbo provoces ab inguine,
  Ore adlaborandum est tibi.



IX.

AD MAECENATEM.



Quando repostum Caecubum ad festas dapes,
  Victore laetus Caesare,
Tecum sub alta, sic Jovi gratum, domo,
  Beate Maecenas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
  Hac Dorium, illis Barbarum?
Ut nuper, actus quum freto Neptunius
  Dux fugit, ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
  Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu! posteri negabitis,
  Emancipatus feminae,
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
  Servire rugosis potest;
Interque signa turpe militaria
  Sol adspicit conopium.
Ad hoc frementes verterunt bis mille equos
  Galli, canentes Caesarem;
Hostiliumque navium portu latent
  Puppes sinistrorsum citae.
Io Triumphe; tu moraris aureos
  Currus, et intactas boves;
Io Triumphe, nec Jugurthino parem
  Bello reportasti ducem;
Neque Africanum, cui super Carthaginem
  Virtus sepulcrum condidit.

Terra marique victus hostis, Punico
  Lugubre mutavit sagum.
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
  Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto;
  Aut fertur incerto mari.
Capaciores adfer huc, puer, scyphos,
  Et Chia vina, aut Lesbia,
Vel, quod fluentem nauseam coërceat,
  Metire nobis Caecubum.
Curam metumque Caesaris rerum juvat
  Dulci Lyaeo solvere.



X.

IN MAEVIUM POETAM.



Mala soluta navis exit alite,
  Ferens olentem Maevium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
  Auster, memento, fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverso mari,
  Fractosque remos differat;
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
  Frangit trementes ilices;
Nec sidus atra nocte amicum adpareat,
  Qua tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur aequore,
  Quam Graja victorum manus:
Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio
  In impiam Ajacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis,
  Tibique pallor luteus,

Et illa non virilis ejulatio,
  Preces et aversum ad Jovem;
Ionius udo quum remugiens sinus
  Noto carinam ruperit!
Opima quod si praeda curvo litore
  Porrecta mergos juveris;
Libidinosus immolabitur caper,
  Et agna Tempestatibus.

XI.

AD PECTIUM.

Pecti, nihil me, sicut antea, juvat
  Scribere versiculos Amore perculsum gravi:
Amore, qui me praeter omnes expetit
  Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
  Inachia furere, silvis honorem decutit.
Heu! me, per urbem, nam pudet tanti mali,
  Fabula quanta fui! conviviorum et poenitet,
In queis amantem et languor et silentium
  Arguit, et latere petitus imo spiritus.
Contrane lucrum nil valere candidum
  Pauperis ingenium querebar, adplorans tibi;
Simul calentis inverecundus Deus
  Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quod si meis inaestuat praecordiis
  Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia;
  Desinet imparibus certare submotus pudor.
Ubi haec severus te palam laudaveram,
  Jussus abire domum, ferebar incerto pede

Ad non amicos heu! mihi postes, et heu!
  Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc, gloriantis quamlibet mulierculam
  Vincere mollitia, amor Lycisci me tenet:
Unde expedire non amicorum queant
  Libera consilia, nec contumeliae graves;
Sed alius ardor aut puellae candidae,
  Aut teretis pueri, longam renodantis comam.



XII.



Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
  Munera cur mihi; quidve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obesae?
  Namque sagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
  Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor vietis et quam malus undique membris
  Crescit odor! quum, pene soluto,
Indomitam properat rabiem sedare; neque illi
  Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili; jamque subando
  Tenta cubilia, tectaque rumpit.
Vel mea quum saevis agitat fastidia verbis:
  Inachia langues minus, ac me:
Inachiam ter nocte potes; mihi semper ad unum
  Mollis opus: pereat male, quae te,
Lesbia, quaerenti taurum, monstravit inertem;
  Quum mihi Cous adesset Amyntas,
Cujus in indomito constantior inguine nervus,
  Quam nova collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
  Cui properabuntur? tibi nempe;

Ne foret aequales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier sua, quam te.
O ego infelix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos, capreaeque leones.



XIII.

AD AMICOS.



Horrida tempestas coelum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Jovem; nunc mare, nunc silvae
Threïcio Aquilone sonant; repiamus, amici,
Occasionem de die; dumque virent genua,
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move Consule pressa meo.
Cetera mitte loqui: Deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenia
Perfundi nardo juvat, et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus.
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno,
Invicte, mortalis Dea nate, puer, Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
Rupere; nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.



XIV.

AD MAECENATEM.



Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus;
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis saepe rogando:
Deus, Deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium;
Qui persaepe cava testudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser; quod si non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua; me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.



XV.

AD NEAERAM.



Nox erat, et coelo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,
Quum tu, magnorum numen laesura Deorum,
In verba jurabas mea,
Arctius, atque hedera procera adstringitur ilex,
Lentis adhaerens brachiis;

Dum pecori lupus, et nautis infestus Orion
  Turbaret hibernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
  Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute Neaera,
  Nam, si quid in Flacco viri est,
Non feret adsiduas potiori te dare noctes,
  Et quaeret iratus parem;
Nec semel offensae cedet constantia formae,
  Si certus intrarit dolor.
At tu, quicumque es felicior, atque meo nunc
  Superbus incedis malo,
Sis pecore et multa dives tellure licebit,
  Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
  Formaque vincas Nirea;
Eheu! translatos alio moerebis amores:
  Ast ego vicissim risero.



XVI.

AD POPULUM ROMANUM.



Altera jam teritur bellis civilibus aetas,
  Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
  Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer,
  Novisque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera caerulea domuit Germania pube,
  Parentibusque abominatus Annibal:
Impia perdemus devoti sanguinis aetas;
  Ferisque rursus occupabitur solum.

Barbarus, heu! cineres insistet victor, et urbem
  Eques sonante verberabit ungula;
Quaeque carent ventis et solibus, ossa Quirini,
  Nefas videre, dissipabit insolens.
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars
  Malis carere quaeritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia; Phocaeorum
  Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque Lares proprios, habitandaque fana
  Apris reliquit et rapacibus lupis;
Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
  Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
  Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in haec: Simul imis saxa renarint
  Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
  Padus Matina laverit cacumina;
In mare seu celsus procurrerit Apenninus;
  Novaque monstra junxerit libidine
Mirus amor, juvet ut tigres subsidere cervis,
  Adulteretur et columba milvo;
Credula nec ravos timeant armenta leones;
  Ametque salsa laevis hircus aequora.
Haec, et quae poterunt reditus abscindere dulces,
  Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
  Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
  Etrusca praeter et volate litora.
Nos manet Oceanus circumvagus arva: beata
  Petamus arva, divites et insulas;
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
  Et imputata floret usque vinea;

Germinat et nunquam fallentis termes olivae,
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovili;
Nec intumescit alta viperis humus.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Pluraque felices mirabimur; ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis;
Utrumque rege temperante Coelitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
Laboriosa nec cohors Ulixei.
Jupiter illa piae secrevit litora genti,
Ut inquinavit aere tempus aureum:
Aerea dehinc ferro duravit secula; quorum
Piis secunda, vate me, datur fuga.



XVII.

IN CANIDIAM.



V a r u s.

Iam jam efficaci do manus scientiae
Supplex, et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium

Defixa coelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliae addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis moenibus rex procidit
Heu! pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulixei,
Volente Circa, membra; tunc mens et sonus
Relapsus, atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus.
Fugit juventas, et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus,
Nullum a labore me reclinat otium.
Urget diem nox, et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo, negatum, vincor, ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsa dissilire naenia.
Quid amplius vis? O mare et terra! ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Furens in Aetna flamma. Tu, donec cinis
Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quae finis? aut quod me manet stipendium?
Effare: jussas cum fide poenas luam;
Paratus expiare, seu poposceris
Centum juvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari; tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenae Castor offensus vice,

Fraterque magni Castoris, victi prece,
Ademta vati reddidere lumina.
Et tu, potes nam, solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres.
Tibi hospitale pectus, et purae manus:
Tuusque venter Pactumejus; et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcumque fortis exsilis puerpera.

C a n i d i a.

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et Esquilini Pontifex venefici
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderat ditasse Pelignas anus,
Velociusve miscuisse toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent:
Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
Novis ut usque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignae Tantalus semper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti:
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum; sed vetant leges Jovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere;
Frustraque vincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.

An, quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere Lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos,
Desiderîque temperare poculum,
Plorem artis, in te nil habentis exitum?



Argumenta Carminum

et

Adnotationes.

Q. HORATII FLACCI
EPODON LIBER.

CARMEN I.

ARGUMENTUM.

Quamquam ex hoc carmine sole clarius patescat, Maecenatem a. U. DCCXXIII. quum imminente pugna Actiaca Senatores equestrisque dignitatis viri Brundisium evocarentur (Dio L. 11.) eodem proficisci in animo habuisse; in tanto tamen scriptorum historicorum pariter atque poetarum, si auctorem el. in obitum Maecen. (v. 45. 46. Quum freta Niliacae texerunt lata carinae, fortis cras circum, fortis et ante Ducem), incertae aetatis hominem, excipias, silentio, recte utique dubites, an res eventum habuerit nedum, quod tam adfirmate cum Scholl. ponit Meibomius, eumdem Liburnis, quae maximum victoriae momentum fecissent, ab Augusto praepositum fuisse existimes. Quum vero multo probabilius sit, quod Massonus (vit. Hor. p. 143 sqq.) satis idoneis adstructum argumentis ivit, Maecenatem, dum Au-

gustus abesset, Urbi praefectum constitutum fuisse; carmen hocce ante, quam illud profectionis consilium ab Augusto, demandata ei Urbis praefectura, discussum fuisset, scriptum esse optime statui arbitror. Horatius igitur, quum discessuro Maecenati comitem se professus domi manere jussus esset, tenerrimum amicitiae suae adfectum hoc carmine ita testatum facit, ut, quum aegritudinem ex absentia ejus se nimis molliter laturum intelligat, obniti ei, propositumque suum in subeundis fortiterque perferendis militiae laboribus adprobare conetur. Quam ne a lucri cupiditate, qua fere mortales ducantur, profectum existimet pertinaciam, abunde jam sibi, intra naturae fines viventi, ab eodem prospectum gratus adfirmat. Quae uti haud ambitiose quaesita videri debet accepti beneficii commemoratio; ita animi sui sordes proferunt, qui ampliora Horatium a Maecenate extorquere voluisse aliis persuadere conantur. Ceterum mollissimum amoris adfectum inprimis esse, qui insigne huic carmini pretium faciat, admonitione vix egere arbitror.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Pedestris connectendae orationis forma erat: quum tibi constitutum sit, ad bellum navale proficisci; *quid nos* cet. Multo gravior autem atque ad Maecenatis animum periculis obeundis paratissimum declarandum efficacior est sententia, ita enuntiata, quam, quod Bentleius volebat, dubitanter, seu interrogative proposita. Jam pro generali: profecturus es ad bellum navale; speciales poeta adsumsit colores, quos diversa certaminis suppeditaret ratio, quibusque periculorum, Maecenati subeundorum, magnitudo illustraretur. Quo major enim periculi animo objiceretur species, ex Augusti navalibus copiis solas Liburnas

naves commemorat, iisque immanes Antonii naves opponit. Sed videndum prius, quam tenere praestet orationis structuram, verborumque sensum. Sunt qui, auctoritatem vet. Schol. secuti, Maecenatem Liburnis ab Augusto praepositum a poeta declarari statuant, explicentque: *ire inter alta nav. propugnacula*, discurrere inter majores Octaviani naves, ad ordinandum navale praelium, ceteraque ad pugnam necessaria expedienda; quae ducis munia obeat *Liburnis*, quippe celerrimis. Ita partim Schell. et Barth. Advv. LVII. 14. Sane τὸ *ire inter n.* ita acceptum, satis signate dictum, et *propugn. nav.* majores naves, unde Octaviani milites pugnarent; recte posse dici, nemo facile dubitet. Sed si vel maxime de re ipsa constaret, multo tamen et ad historiae fidem exactius, et vero etiam ἐναργέστερον erit, si *Liburnas* delecte pro universa Octaviani classe, quatenus *Actiaco praelio cum Liburnorum auxiliis praecipue victus esset Antonius* (Veget. de Re mil. IV. 33.), et *alta nav. propugnacula*, h. naves altis propugnaculis munitas pro Antonii classe a poeta poni statuas. Hujus enim naves, praeter *novenos remorum ordines*, *turribus atque tabulatis allevatae*, *castellorum et urbium speciem* prae se ferebant, juxta Flor. IV. 11. Unde de his potissimum Virg. Aen. VIII. 691. *pelago credas innare revolsas Cycladas* cet. Cf. Dio L. 18. Hinc facile perspicitur, fortiori significatu accipienda esse illa, *ibis inter a. n. p.* h. immiscebis te audacter, paratus es adgredi exiguis Liburnis Antonii naves ipsa mole horribiles; in quo adeo magna Maecenatianae virtutis laus est. Longius petita magisque pedestris ratio est, si ita jungas: Ibis Liburnis, paratus subire periculum — inter alta n. p. — 3. *paratus*, promtus, omnia cum Caesare subeundi pericula venire.

v. 5. Quae igitur nostrae in re tam ancipiti partes erunt, *quid nos* capiemus consilii, *quibus vita*, ita demum *jucunda* atque expetenda videtur, si *superstite te* fuerit, contigerit, quae contra, non superstite te, *gravis* futura est. Eadem tenerrimi amoris testificatio II. 17. 5 — 8.

v. 7 — 10. Utrum te sequemur, an domi remanebimus? Sed praeclare ita instruxit orationem, ut facile intelligeretur, se illud secuturum, quod bono civi, maxime vero amori suo erga Maecenatem consentaneum foret. — *persequemur otium*, perseverabimus, perstabimus in otio. *Otium* h. l. oppositum belli aerumnis ac laboribus, est adeo vita desidiosa; otiosa, domi

exacta. Minus commode Schol. Crup. carmina intelligit, quae ab otiosis scribantur. — *jussi* a te remanere. Sublesta sunt, quae tradunt Scholl., Horatium, Maecenate agente, ab Augusto meruisse militiae vacationem, quum solos Equites et Senatores Augustum ante pugnam Brundisium evocasse satis constet, e Dione LI. 11. — 8. 9. *an laborem* militiae, μόθον, ἔργα Ἄρηος, belli molestias, *mente*, animo *quo decet non molles*, h. strenuos, fortes *viros*, fortiter, uti par est, laturi sumus, tecum tolerabimus.

v. 11. Insurgit cum poetae adfectu oratio. Magna vis in repetito *feremus*, certum est, statutum est mihi, te sequi, si vel longinquiora ac vel maxime periculosa loca peteres. Tralatitia haec apud poetas summi amoris significatio. Vid. ad II. 6. 1. Hoc loco tanto adpositior, quo opportunior ejus in parando itinere mentio. Ex inviis ac periculosis regionibus poeta posuit *Alpium juga*, Alpes, quarum immensa altitudo longe porrigitur, et *Caucasum inhospitalem*, ἄξεινον. Vid. ad I. 22. 6.; ex longinquis autem *ultimum sinum*, extremum versus Occidentem maris sinum, Oceanum, et hunc pro terrarum ultima, ei adjacente, Iberia. Sinu quidem proprie fretum Gaditanum poetam designare voluisse videri possit, quod ipsum pro Oceano esset; sed et Oceani sinus cum virtute est, quatenus terras ambit, claudit.

v. 15. Quamquam parum in me tibi periclitanti praesidii fore probe intelligam, id quod facile tibi concesserim; hoc tamen inde consequar commodi, quod praesens minori angar sollicitudine quandoquidem, juxta Ovid. Her. I. 12. *res est solliciti plena timoris amor*, et Senec. Troad. 515. *Levius solet timere, qui propius timet.* Quaeras forte, *quid tuum laborem*, te laborantem, cum laboribus ac periculis conflictantem *juvem*, sublevem, quam tibi opem adferre queam, *meo lab.* si periculorum particeps fiam? — 16. Ut qui sim *imbellis ac firmus parum*, ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις, Homerica cumulatione. — 18. quam absens. Hoc generali gnome extulit. *Major metus*, sollicitudo magis *habet*, ἔχει, tenet, insinuat sese absentibus.

v. 19. — 22. Ultima delecta comparatione, ab avibus, pullis suis timentibus, ducta, exornavit poeta. Sensus quidem comparationis satis expeditus, sed elocutio et structura verborum paulle impeditior. Quod primum sese offert, est: *ut avis, adsidens*

impl. pullis, dum adsidet, adest, praesens est pullis, *timet* quidem *serpentium adlapsus*, metuit quidem serpentes; *magis* tamen timet, sollicita est, *relictis* iis, (vel dandi casu; quos reliquerit, vel auferendi, ubi nido avolaverit), quamquam absens: *ut adsit*, si vel maxime praesens sit, iis (pro quo ornate et copiose est. *praesentibus*; quatenus ipsa praesens iis facta) *non plus auxilii* adlatura sit, non magis eos praesentia sua tueri possit. Forte tamen concinnior (nam hiulci quid inest verbis *times* et *magis relictis*), certe doctior haec altera ratio, huic interpunctioni superstructa: Ut, adsidens implumibus pullis, avis serp. adlapsus timet magis relictis, hoc sensu: ut avis, quae adsidere solet, incubat, fovet pullos, dum implumes sunt (naturam adeo avis simpliciter his ad exornandam sententiam adjectis exprimi putandum) magis serpentium adlapsus timet relictis (tertio casu), adeoque eos non deserit, iis, quantum licet, incubat, metuens ne per absentiam suam serpentes nido insidientur: *non*, neque tamen, licet adsit, praesentia sua quidquam is profutura. In qua tamen quum facile offendat ambiguitas, quae τῷ *adsidens* inest, equidem amplectar hunc tertium modum: ut adsidens timet, adsidet pullis, timens magis relictis, quoniam majus iis a serp. periculum fore credit, se absente. Ceterum maternam avium sollicitudinem multae poetarum illustrant comparationes, inde desumtae. Aeschyl. Theb. 293 sqq. *Δράκοντα δ' ὥς τις τέκνων ὑπερδέδοικε λεχέων δυσευνάτειρα πάντροφος πελειάς.* Claudian. R. P. III. 141 sqq. *Sic aestuat ales, quae teneros humili fetus commiserit orno, adlatura cibos, et plurima cogitat absens; ne fragilem ventus discusserit arbore nidum, ne furtum pateant homini, neu praeda colubris.* Adde Stat. Achil I. 212 sqq. et, quae Lamb. laudat, Theocrit. XIV. 39 sqq. Oppian. Halieut. V. 579.

v. 23 *sqq.* Atque hoc equidem facio non quaerendarum opum causa, sed sola spe promerendae tuae hoc obsequio benevolentiae, amicitiae. Illud respicit militiae praemia, veteranis bello isto civili ab Octaviano promissa, ac, finito eo, distributa. Hinc divitiarum notio ad agrorum possessiones, quae militibus adsignabantur, revocata a poeta. Errant igitur, qui ista munificentiae Maecenatianae faciunt, quae Augusti essent. — *hoc bellum militabitur*, socium me tibi in hoc et omnibus, quibuscunque tu interfueris bellis, adjungam, tecum belli pericula

promto animo capessam, *in spem tuae gratiae*, tui solius gratia, vel potius, sperans me ita gratiam apud te initurum, tibi ita placiturum; ex oppositione praemiorum publice propositorum — 25. Neutiquam vero, ut amplas agrorum possessiones, latifundia, mihi inde quaeram. Latifundiorum notionem, quo vividius sensibus subjiceret, docta partium enumeratione vivide repraesentavit, tum singulas partes mire exornavit poeta, Pro, possidere jugera, est, colere, arare ista, solenni ratione. V. v. c. 1. 10. Tum pro, ut arem jugera, quaesitius est, *ut nitantur*, innitantur, infigantur, premant, proscindant sc. terram *aratra mea*. Quod quum paullo durius sit supplere, vide an probabilior haec altera sit explicandi ratio: *aratrum nititur* obnititur *juvencis*, quatenus aegre ac difficulter ab iis promovetur, vomere in terram depresso, jucunda et ad sensus veritatem composita imagine. Denique fundi amplitudinem docte designant *plures juvenci* (Boeth. Conf. Ph. III. metr. 3. *ruraque* centeno *scindat opima bove*), aratro s. jugo aratri *illigati*, pro quo inversa ratione aratra juv. illigata dicuntur. — 27. Rem pecuariam, haud contemnendam fundi partem, nobilissimis Calabriae et Lucaniae pascuis, indigitat. Cum enim Calabria per aestatem nimio calore gravaretur, Lucania contra propter montes ac saltus temperatior esset, in utraque regione divites Romani pascua habebant, ut gregibus ipsorum aestiva in Lucania, et hiberna in Calabria essent. Ita enim adpellat ista Varro III. 9. 16. Noster Epp. II. 2. 177. *Quid vici prosunt, aut horrea, quidve Calabris saltibus adjecti Lucani?* Jam pro: pecus Calabra pascua Lucanis mutat, perpetua structurae inversione est: Calabris Lucana mutat, h. e. e Calabria in Lucaniam agitur. Vid. ad I. 17. 2. — — *ante sidus fervidum*, ante ortum Sirii, sub mensem Julium, *Calabri populator Sirius arvi* Val. Fl. I. 683. — 29. 30. Tertia fundi rustici pars, *villa*, cujus amplitudinem ac magnificentiam his vv. a poeta designari vix dubitandum. Sed elocutionis ratio paullo obscurior. Barth. Advv. IV. 13. verba: *villa tangat moenia Circaea Tusculi* explicat, pari cum illis aestimetur pretio, par sit structura et aequabilis, parum commode. Acron: nolo continuare agros Tusculanos usque ad Circaeum sc. promontorium, s. Circeios. Disjunxit adeo villam Tusculi a Circaeis moenibus, itaque ambiguitatem vix ferendam orationi intulit, et villam non de aedificiis sed de fundi agris capiendam statuit. Quod

posterius Cruquii Schol. quoque amplexum esse video. Ait enim: ut dilatentur termini agrorum meorum usque ad Circaeum oppidum T. s. Prave uterque. Nam agrorum spatiosos tractus jam admensus est poeta vv. 25. 26. et *candens v.* non nisi de aedificiis splendidis h. l. agi sole clarius ostendit. Omnibus sollicite perpensis, equidem poetam hoc velle statuo: neque id quaero, ut villa mea Sabina Tusculum attingat, h. aedificia ejus adeo dilatentur, ut ad Tusculi suburbia continua serie porrigantur. De villis multarum urbium faciem praestantibus vid. ad II. 15. 1. Hinc facile perspicitur, *moenia Circaea Tusculi* esse pro, m. Tusculi *Circaei*, h. a Telegono, Circes et Ulyssis filio, conditi. Vid. ad III. 29. 8. — *candens*, marmore expolita: omnino aedificiorum magnificentiam declarat. — Tusculum *supernum*, absolute accipiendum, in colle situm, ratione adjacentium camporum depressiorum habita.

v. 31. Satis *tu me fecisti locupletem* (Epp. I. 7. 15.) Sabino donato. Similiter II. 18. 12. *nec — largiora flagito, satis beatus unicis Sabinis.* — 32 — 34. Ego, ab avaritia pariter atque luxuria, praecipuis acervandarum opum causis, alienissimus, nihil amplius desidero, in agello meo acquiesco. *Haud paravero* comparabo, meum non est, congerere divitias, quas aut *terra premam*, abscondam, defodiam, avari instar, aut luxuriose *perdam*, disperdam, profundam. Avarum docte Chremetis persona illustrat, e Menandri Thesauro (uti docte Boettig. e Donato ad Ter. Eun. Prol. 10. colligit) adducta. Nam Terentiani Chremetis ingenium h. l. importunum est, quamquam ita Scholl. — *Nepotes* homines luxuriosi atque gulosi dicti; res notissima. Vid. Casaub. ad Pers. VI. 71. et Dorvill. ad Charit. VII. 1. Hinc *discincti*, soluta, laxa veste conspicui, quod molliorum erat ac luxu diffluentium. Unde *otia discincta* docte vocat Ovid. Am. I. 9. 41. Cf. Lamb. Ceterum rem universe intelligendam esse, facile adparet, quum tamen Maecenatem fere discinctum fuisse satis constet, exstitere nonnulli, inficeto rure inficetiores illi, qui tacite ei ab Horatio opprobrium factum contenderent.



ARGUMENTUM II.



Quam parum sibi constent hominum, quos sua cupiditas ducit, vota atque consilia, adeo quidem; ut quemque fere sui poeniteat, luculenter admodum Alphii foeneratoris exemplo ostendit hoc carmine poeta. Confectus ille enectusque innumeris, quas res foenebris habet, curis ac molestiis, vitam rusticam, otiosam illam, eamdemque maximis utilitatibus jucunditatibusque refertam, summis extollit laudibus; itaque potiorem habet, ut amplectendam eam rusque commigrandi certissimum consilium capiat: idemque tamen paullo post, victus lucri studio, ad ingenium pristinamque vitae consuetudinem redit. In praestantioribus haud dubie ingenii Horatiani monumentis hoc carmen habendum est, cum ob naturalem argumenti, in vitae rusticae adumbrandis deliciis copiosi, suavitatem tum ob insignes Veneres poeticas, imaginum varietate, orationis comta munditie, delectaque epithetorum proprietate ei adfusas. Fuere, qui cum v. 66. carmen finitum, illudque totum intra vitae rusticae laudes contentum mallent, quandoquidem percepta ex eo voluptas extremis versibus, Alphium sordidum hominem, ista loquentem prodentibus, admodum infringatur ac deleatur; ita vero haberemus congeriem imaginum rusticarum poetice tractatarum, sed anima, ut ita dicam, prorsus destitutam, nulloque certo consilio factam, quod quidem ne idyllii quidem luxuriantius in se desiderari patitur ingenium,

nedum lyrica ratio, quae hactenus tantum talia lenocinia haud refugit; atque anquirit adeo, quatenus viam, qua ad scopum aliquem sibi propositum tendit, amoeniorem efficiunt; Cujus generis plures apud Nostrum carminum ingressus sunt; veluti I. 4. et 9. IV. 7. init. Quumque ab imaginum potissimum veritate venustatis sensus exsistat, veri autem summam speciem habere necesse sit, quod invito quasi cuiquam excidit; nescio an hac ipsa adornatione jucunditatis aliquid rei accedat; qua eadem poeta consequutus est hoc, ut probabile, quod de vitae rusticae praerogativa proferret, videretur judicium, Alphio quippe inditum, homini delitiarum, quas vita urbana proprias habet, satis gnaro. Adposita adeo inde a v. 49. victus urbani ac rustici comparatio, in qua illud mirae venustatis est, quod iste lautitiis se urbanis haud aegre cariturum profiteatur, quarum tamen quam molliter ferat desiderium ipso earum adparatius facto recensu abunde ostendit. Ceterum ejusdem Alphii meminit Colum I. 7. 2. ubi hoc ejus dictum refert: vel optima nomina non adpellando mala fieri, e quo hominem istum abunde cognoscas. Cum vitae autem rusticae descriptione comparent humanitatis studiosi Virgil. Ge. II. 458. sqq. Martial. I. 56. Claudian. c. 52. et e Graecis Aristoph. fragm. apud Stob. Floril. p. 213. et Liban. Progymn. p. 88. ed. Morell.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Quo certius de vitae rusticae praerogativa constet, poeta, antequam ad ipsas, quas in se habet, enarrandas voluptates atque jucunditates progreditur, cum aliis quaestuosis, quae sua

tempora suppeditarent, eam componit generibus, notatis simul, a quibus illa immunis est, aerumnis ipsorum atque molestiis. Delectus in singulorum recensu, loquentisque personae rationis a poeta habitae obvia animadversio est. Jam illud *beatus* magna ἐνεργείᾳ initio statim positum, et expressum potius Alphio, homini, in rei foenebris exercitio sibi beatissimo viso, sed ejusdem curis tunc temporis misere confecto; quam ex animi ejus sententia prolatum. — *procul negotiis*, haud districtus vitae negotiosae molestiis. Negotia enim ad omne vitae genus pertinent, quod et molestias et periculi metum secum fert, maxime quaestuosum: cui opponitur vitae rusticae *otium* (ut I. 1. 16. *otium et oppidi laudat rura sui;* adde Virg. Ge. II. 468. *latis otia fundis* et Cul. 72. *Otiaque invidia degentem ac fraude remota*) quippe suis contentae, neque adeo augendae aut amittendae rei cura ac sollicitudine vexatae. Disertius mox, inde a v. 3. talia negotiosae vitae genera exponuntur a poeta. Unde facile adparet, minus commode h. l. de solo foenoris exercitio a quibusdam accipi. Optime jam Schol. „negotia dicit molestias urbanae vitae. — 2. *Ut prisca gens mortalium*, qualis vita antiquissimorum hominum fuit. Illud in genere a poeta tempus designari putem, quo homines in societatem primum collecti ad agros colendos unice studia sua conferrent, nullo necdum habendi ardore, per cupiditates demum excitato, vexati; quam quidem simplicitatem atque frugalitatem in unaquaque gente aliquando exstitisse manifestum est. Arateam hanc aureae aetatis notionem, ad rei veritatem magis descriptam, recte dixeris; Phaenom. 108. sqq. Οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο, οὐδὲ διακρίσιος περιμεμφέος, οὐδὲ κυδοιμοῦ· αὔτως δ' ἔζωον, χαλεπὴ δ' ἀπέκειτο θάλασσα· καὶ βίον οὔπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον, ἀλλὰ βόες καὶ ἄροτρα. (quocum cf. Hygin. P. A. XXV.) expulso τῷ τερατώδει de frugibus sponte nascentibus, vini ac mellis fluentis, quae protritae aetatis istius sunt poetarum exornationes. Senec. Hippol. 483. sqq. *Non alia magis est libera, et vitio carens*, ritusque melius, vita, quae priscos colat, *quam quae relictis moenibus silvas amat* cet. Majorem autem δεινότητα (adde et dignitatem ac veritatem) sententia habet, ita accepta, quam si ad priscam Romanorum vivendi normam illam adstringas; apud quos quidem etsi *cura rusticationis* (ut Colum. Praef. ad I. 13. ait) *gloriae esset* (Cato de R. R. I. 1. *Majores nostri — virum bonum quum*

laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur.); cum eorundem tamen bellicoso finesque dilatandi animo cupido reliqua vix concilies. Tum omnino obstare videtur elocutionis ratio. Signatius certe Virg. Ge. II. 532. *Hanc olim veteres vitam coluere Sabini, hanc Remus et frater* cet. — 3. *exercet rura bubus*, occupatur in versanda, subigenda vomere terra, arat rus, agricola. Similiter *exercere collem vomere* Virg. Aen. VII. 798. Ge. II. 356. *presso exercere solum sub vomere*, et 418. *sollicitare tellurem.* Agrum *exercitatum ac multa aratione resolutum* dixit Pallad. X. 10. 2. Χθόνα ταράσσειν ἀλκᾷ χερῶν jam Pind. Ol. II. 113. — *paterna*, a majoribus hereditate transmissa, nullis accessionibus in regni speciem amplificata, qualia divitum Romanorum latifundia Horatii aetate erant. Cf. III. 16. 31. Eandem continentiae laudem exhibet Noster I. 1. 11. *Gaudentem patrios findere sarculo agros* cet. Similiter villulam suam celebrat Auson. Id. III. 1. *Salve, herediolum, majorum regna meorum, quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.* Nostrum expressit Claudian. LII. 1. *Felix, qui patriis aevum transegit in agris.* — *suis*, cum vi. Aristoph. l. in argum l. κεκτημένον ζευγάριον οἰκεῖον βοοῖν. — 4. sqq. Nullis, quae reliquos rei quaerendae modos comitantur, curis districtus; colit adeo agellum suum animo otioso ac tranquillo, hanc ipsam ob rem beatissimus ab Alphio judicatus. E praecipuis autem divitiarum parandarum modis foenus primo loco ponit, satis obvia ratione. Reliquos, qui sequuntur, complectitur Claudiani c. l. v. 7. 8. *Non freta mercator tremuit, non classica miles; non rauci lites pertulit ille fori.* — *Solutus omni foenore*, nihil omnino rei habens, haud implicitus rei foenebris negotiis, *animo gaudens ac foenore liber* Martialis inde IV. 89. 6. *Impediunt* curae, negotia, animum; quibus *solvitur*, iis liber. Vid. ad I. 22. 11. Prave utique nonnulli explicant: nihil prorsus debens alteri, ab aere alieno liber. — 5 Neque *miles*, dato militiae nomine, labores atque aerumnas, quas militia habet, experitur, perpetitur. Erat illa istis temporibus maxime quaestuosa, cum propter aucta militibus stipendia, constitutaque finita militia praemia, tum propter immanem praedandi licentiam. Vid. Heyn. ad Tib. I. 1. 1 Jam aerumnosam militiam per turbatos *classico* h. signo capessendae pugnae in repentino hostili incursu edito, somnos declarare, so-

lenne poetis. Tib. c. I. 4. *Martia cui somnos classica pulsa fugent*, ubi vide ejusdem viri Not. Atque ita acceptum majorem sententiae vigorem conciliat, quam si de signo primo quovis diluculo, ad milites somno excitandos dari solito (*κοιμωμένους τὸν ὄρθρον ἐν τῷ πολέμῳ διεγείρουσιν αἱ σάλπιγγες*, Polyb. XII. p. 666. Casaub. Unde in pacis commodis refert Bacchyl. apud Stob. T. LIII. *χαλκέων δ' οὐκέτι σαλπίγγων κτύπος, οὔτε συλᾶται μελίφρων ὕπνος ἀπὸ βλεφάρων*, certatim a VV. DD. cum Tibullianis collatus) h. l. cogites. — *truci*, minaci, (ut *minax murmur cornuum* II. 1. 17.) vel cujus sonus horrorem ciet, unde *classicus horror* nove dictus Salei. Bass. in Pis. 129. ubi v. Wernsd. — 6. Neque periculis, quae mercaturae propria sunt, obnoxius est. Cato R. R. init. *Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet*; — *at ex agricolis quaestus stabilissimus consequitur, minimeque invidiosus.* Mercaturam docte poeta per navigationem in longinquas terras designat, ut III. 1. 26. et alibi. Alii militiae descriptionem h. v. continuari autumant; parum commode; quamquam maris in eadem rationem habitam a Nostro videas II. 6. 7. — *iratum mare*, tumidum, tempestuosum, timens inde vitae ac mercibus suis. Cf. I. 1. 16. et III. 1. 26. et 29. 60. — 7. *forum vitat*, non causas in foro agit, tanquam patronus, inclarescendi atque honorum divitiarumque inde consequendarum studio. Ita accipere praestat, quam de litibus, quas ipse sectetur. Martial. V. 20. 5. *Nec nos atria, nec domos potentum, nec lites tetricas, forumque triste nossemus.* Senec. Herc. fur. 172. *Hic clamosi rabiosa fori jurgia vendens, improbus iras et verba locat.* — *vitat limina*, non adit, frequentat atria *civ. potentiorum*, patronorum, salutandi eos ac deducendi causa. *Lim. superba* proprie possunt accipi de atrio superbo; splendido; nam hoc curiosa magnificentia veteres exornasse satis constat. Vid. III. 1. 45. Multo tamen magis adpositum erit, si intelligas ea, quae clientes superbe habent, communicata cum iis dominorum superbia. Senec. trag. laud. 164. *Ille superbos aditus regum, durasque fores, expers somni colit.* Atque ita hunc locum cepit Columella I. Praef. 7. sqq. qui omnino initium hujus carminis in rem suam vertit, unde quum Nostro aliquid inde lucis adfulgeat, potiora delibanda statuimus: *Cetera* (praeter agriculturam) *diversa et quasi repugnantia dissident a justitia. Nisi aequius existimamus, cepisse*

praedam ex militia (v. 5.) — — *an bellum perosis maris et negotiationis* (v. 6) *alea sit optabilior, ut se fluctibus audeat credere, semperque longinqui litoris peregrinus ignotum perterret orbem? An foeneratio* (v. 4.) *probabilior sit, etiam his invisa, quibus succurrere videtur? Sed ne caninum quidem, sicut dixere veteres, studium praestantius locupletissimum quemque adlatrandi et contra innocentes et pro nocentibus* (v. 7.) — *concessum intra moenia et in ipso foro latrocinium? An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium circumvolitantis limina potentiorum* (v. 8.) *somnumque regis sui rumoribus augurantis? neque enim roganti, quid agatur, intus respondere servi dignantur.*

v. 8. Sequuntur parvae vitae rusticae tabulae, in quibus eam rerum faciem repraesentari vides a poeta, quae vitam illam otiosam omnibusque curis vacuam sensibus nostris subjicit, quaeque in tenui animique potius recreandi causa suscepto labore uberrimos cultori fructus suppeditat. Adjecta inter haec amoenissimi ruris descriptio; dies festi genialiter acti, et sic porro. — *Ergo*, οὖν, γὰρ, καὶ γὰρ οὖν, ut itaque, quae vitae ejus partes sunt, persequar, enarrandi initium faciam, rusticus agit hoc, ut cet. nota inchoandi formula, veluti Colum. X. 35. Tum solenne Nostro, res, quae deinceps diversisque temporibus fiunt, per *aut* — *aut* copulatas enuntiare. Jam ex operibus rusticis primo loco ponit vitium culturam; quam quidem una ejus specie, propaginibus per agros disponendis, ordinandisque, designat. Hanc docte et ornate extulit. *Populos vitium propagine*, novellis vitibus *maritat*, vites adjungit, copulat populis, solenni ac propria fere SS. rusticis huc de re locutione. Plin. XIV. 1. In Campano agro *populis nubunt, maritasque complexae* atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes cacumina aequant. Colum VI. 2. 79. *Ulmi quoque vitibus recte maritantur. Ulmo conjuncta marito* vitis Catull. LXII 54. Supra IV. 5. 30. *Et vitem viduas ducit ad arbores*, et passim alibi. Propagatio autem fiebat *propaginibus* s. ramis in terram curvatis ac defixis (unde *pressos propaginis arcus* Virg. Ge. II 26.) ut cum ea coalescerent, unde, quum radicibus actis convaluissent (*adultae*), quod tertio anno fieri tradit Colum. de Arbor. 7., in arbusta transferebantur. Rem tradit Plin. XVII. 23. Colum. de Arbor. VII. Optimum hunc vitium proventum adserit Virg.

Ge. II. 63. *melius propagine vites respondent. Populis* etiam, praeter ulmos, vites adjunctas fuisse, diserte memorat Plin. XVI. 37. idque propter altitudinem, quia vites *naturaliter in sublime procedunt, tum et materias ampliores creant, et fructum aequaliter percoquunt*, Colum. de Arb 6. Adde eund. de R. R. V. 6. 4. *Vitem maxime populus videtur alere, deinde ulmus* cet. Claudian. XIV. 20. *lento premitur palmite populus.* — 11. 12. Eadem imago in Aristoph. l. c. ἔπειτ' ἀκούειν προβατίων βληχωμένων. *Mugitusque boum mollesque sub arbore somni non absunt.* Virg. Ge. II. 470. et Martial. III. 58. 10. *Truces in alta valle mugiunt tauri, vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.* — *Greges mugientium*, mugientes greges, βοῦς ἐριμύκους, ut *balantum grex* Virg. Ge. I. 272. — *errantes* pascentes in valle *reducta*, sinuosa, ut I. 17. 17. — 13. 14. Insitio, de qua Virg. Ge. II. 73 sqq. Non ad vites tantum, sed ad reliqua etiam arborum genera referenda. Amputat ramos *inutiles*, steriles, resecat sarmenta, quae nec ipsi fructus ferunt, et aliis impedimento sunt, inseritque *feliciores*, felicioris proventus, fertiliores ramos. Virg. Ge. II. 81. *ingens exiit ad coelum ramis felicibus arbos.* Adde Grat. Cyneg. 442. Potest etiam insitio arborum silvestrium intelligi, quae vel infecundae sunt, vel feros tantum fructus proferunt, quibus fecunditas ac mitior natura felicioribus ramis inseratur.

v. 13. Mellatio. *Mella pressa*, mel favis *in salgineum qualum vel tenui vimine rarius contextum saccum* (Colum. IX. 15. 12. *sabanum* vocat Pallad. Jun. 8.) congestis expressum, eliquatum, *Spumantia cogere pressis mella favis* Virg. Ge. VI. 140. Transfertur inde atque reconditur in amphoras, s. *vasa fictilia*, juxta Colum. l. l. 13. — *puris*, ne mel corrumpatur. — 16. *Oves infirmae*, e natura earum, *imbelle, molle pecus*, uti passim audiunt. Alii, quae morbis sunt obnoxiae; quod quidem magis ferendum, quam, quod Baxterus adfert, fluore alvi laborantes, quem propter ovium clunes detondere necesse sit: quod sane inter voluptates rusticas vix commode locum suum tueretur.

v. 17 — 22. Vel, Auctumni tempore, poma et uvas legit. Auctumnale tempus splendida imagine repraesentatur a poeta. *Auctumnus*, Genius istius anni temporis, *effert arvis caput*, e terra exsurgit, suaviter et habita fructuum e terra provenien-

tium ratione pro, in conspectum venit, adparet, procedente suo anni tempore, solenni phantasmate. Vid. IV. 7. 11. Jam ἐπιφάνειαν ejus, ut omnino deorum ruralium (cf. Virg. Ge. II. 390 — 2.) quum largissimus naturae proventus sequatur; facile perspicitur, summam omnium rerum ubertatem hac imagine simul declarari. — *decorum*, revinctum *mitibus pomis*, ramis pomiferis. Vid. ad IV. 7. 11. — 19. *Ut gaudet decerpens*, decerpere, vivide et ornate pro magno cum voluptatis sensu decerpit *pira insitiva*, quae ipse inseverit, quod ipsum est, quo exsultat. Decente adeo haec poeta pro universis pomis posuit. — 20. *certantem colore purpurae*, βότρυν πορφύροντα, πορφύρεον (Musc. X. 3. Zonae III. 3. in A. Br. II. p 80 et 239.) quae *purpureum colorem ducit*, Ovid. Met. III. 485. Ct. II. 5. 12. — 21. Primitiarum Diis agrestibus oblatarum mentio suaviter injecta in hominis rustici probitate adversus Deos adumbranda. *Munera*, *munerari* de sacrificiis passim. Tib. I. 1. 19 *Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri custodes, fertis munera vestra, Lares.* E diis agrestibus speciatim poeta commemorat *Priapum*, hortorum, et *Silvanum*, ruris deum praesidem: Pro quo in specie h. l. audit *tutor finium*, quatenus finibus regundis praeerat, lapide terminali religione ejus sancito. Dictus inde *Orientalis ὅριος*, *cui est in confinio lucus positus*, *a quo inter duos pluresve fines oriuntur*, juxta vet. auct. de Limit. p. 294. Goef. Cf. Bronzi d' Hercul. T. I. p. 262. — *Pater*, communi deorum epitheto.

v. 23. Suavissima otiantis rustici in amoenissima regione imago! Desidiam ejus praeclare depingunt duae enuntiationes *modo* — *modo*, ut I. 1. 21. — *antiqua*, annosa, adeoque patula, umbrosa. — 24. gramen *tenax* densitate sua, densum; vel, quod recens actis radicibus terrae firmiter adhaeret, novum, viridissimum. Illud tamen praeferam. Longius petitum videtur, quod Torrentius adfert: quod recubantem virore suo oblectat ac detinet. Sanadoni explicatio: quod vestigia impressa servat, minus suavem infert ideam. — 25. *Interim*, dum lentus in umbra aut in toro gramineo recubat, delectatur aquarum lapsu. *Labuntur altis ripis*, intra alveum suum, ita ut ripae altiores sint. Forte tamen profundos amnes innuit hoc epitheto, quibus v. 27. tenuiores rivos opponit. Cui opinioni robur additur Senecae loco Hippol. 508. sqq. e Nostro ducto; *hic aves querulae fremunt* —

— *juvat aut amnis vagi pressisse ripas, cespite aut nudo leves duxisse somnos, sive fons largus citas defundit undas, sive per flores novos fugiente dulcis murmurat rivo sonus* — 26. Inter dulcissimos avium concentus. *Queri*, *querelae* solennia de cantu avium, ut μύζεσθαι, μινυρίσματα Graecis poetis. — 27. *fontes lymphis manantibus*, aquarum suarum lapsu, cursu, aquae fontium *obstrepunt*, ἀντιαχεῦσι, obmurmurant sc. avium querelis, cum leni strepitu profluunt. Propert. IV. 4. 3. *Lucus erat felix hederoso consitus antro, multaque nativis obstrepit arbor aquis.* Lene autem murmur docte poeta l. *manantibus*, designat. Nam *manare* de leni cursu aquarum solenne. — 28. *Quod* murmur fontium. Ad posterius retulit membrum poeta, quod omnium esset. Vulgaris sententia erat: inter quae somno indulgere volupe est, quae suavissimum accersunt, conciliant somnum. Ovid. Met. XI. 604. *Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.* Cf. Virg. Ecl. I. 54. Stat. Theb. I. 585. *suadetque leves cava fistula somnos.* — *leves*, molles, utpote hominis curarum expertis. Cf. II. 16. 15 et III. 1. 21. Comparent cum toto hoc loco humanitatis studiosi Theocr. Epigr. IV. 5. sqq. Virg. Cul. 144. sqq.

v. 29 *sqq.* At instante hieme venationi et aucupio vacat. *Annus hibernus*, anni tempus hibernum, hiems, ut *frigidus annus* Virg. Aen. VI. 311. *horrens annus* Stat. Theb. IV. 1. *pomifer annus* Noster III. 23. 8. vid. Intpp. ad Grat. Falisc. p. 58. Burm. *comparat*, colligit, adducit *imbres* et *nives*, quatenus per illud tempus ingruunt, ac defunduntur. Annus *Jovis* dicitur, antiqua notione, quatenus horarum anni arbiter est ac moderator; nihil amplius. Vid. ad 12. 15. 16. Invertunt alii orationem, et Jovi istas partes attribuunt hoc modo: Jupiter per hiemem imbrem n. comparat, commoda quidem sententia, cui tamen vereor, ut linguae leges addicant. — *Tonantis*, perpetuo Jovis epitheto. Ad rei tamen descriptionem trahi vult Toup. in Suid. T. II p. 164. comparato Aristoph. fragmento: Καὶ ξυννένοφε, καὶ χειμέρια βροντᾷ μάλ' εὖ. Ceterum imbrium mentio hiemi illata Italici soli ingenio satis consentanea, et frequentata poetis. Infra XIII. 1. *imbres nivesque deducunt Jovem.* — 31. 32. *Aut — aut* pro et — et. *Apros hinc et hinc*, undique, *trudit*, compellit, cogit *in plagas obstantes*, oppositas, praetentas, immissa *multa cane*, *multis canibus.* Amant in canibus venaticis feminina poetae, utpote sagacitate praepollere credita, v. c. Lucret. I.

400. *canes ut montivagae persaepe ferai naribus inveniunt intectas fronde quietes*, — *acres*, ἀγρίους, ἀγριόδοντας. Ad rem cf. l. 1. 29. — *Aut tendit amite*, suspendit amitibus, *retia*, *dolos turdis*, quibus turdis insidietur, eos capiat. — *rara*, ornat simpliciter. *Amites* „hodieque adpellari furculas, quibus retia in venatione vel in aucupio suspendantur" notat Porphyr. ad h. l. *leves*, levigati, in hunc usum expoliti *edacibus*, adposito epitheto, quibus ideo facile imponitur. Martial. l. I. v. 26. *Sed tendit avidis rete subdolum turdis.* Ad sententiam Seneca tr. l. 500. *aperto aethere innocuus errat, callidus tantum feris struxisse fraudes novit.* — 35. *grus advena*, e genere adventicio, ut Varro vocat III. 5. 7. qui, instante hieme, ex septentrionalibus plagis tepidiores regiones commigrat. *Captat* praeclare utrique adcommodatum. — *jucunda praemia*, dulcissimam insidiarum structarum mercedem, praedam. Ovid. Rem. Am. 208. *Lenius est studium, studium tamen, alite capta, aut lino aut calamis praemia parva sequi.* Propert. III. 11. 46. *Pana tibi comitem de rupe vocato, sive petes calamo praemia, sive cane.*

v. 37. 38. In expedienda horum versuum sententia interpretes mire fluctuare ac diversa amplecti videas, quae tamen omnia impediti quid ac salebrosi habent. Alphii potissimum rationem habent, qui *amorem* de habendi cupiditate, augendarumque opum studio explicant, quod quidem molestiis suis haud careat, quas tamen in tot ac tantis vitae rusticae commodis, illarum taedia longe exsuperantibus, facile ferendas judicet Alphius. Sed, ut taceam, amorem nusquam absolute de avaritia dici, quis non videt, tabulas, a poeta scitissime adornatas, illata vitae rusticae rei foenebris cura, plane confundi ac misere perturbari? Quod si vero poetae mentem esse velint; rusticum amoris s. opum coacervandarum studii inter has delicias rusticas plane *oblivisci* h. e. ne cogitationem quidem in animum admittere, adeoque nec ejus aerumnis adfici, videant, quam opportunam h. l. sententiam inferant, quantamque omnino vim poetae verbis faciant. Alii Alphium amores suos, quos parum prosperos in urbe expertus esset h. l. professum volunt: quo ipso tamen vitae rusticae et urbanae colores permisceri manifestum est; tum multo magis consentaneum erat, aerumnas, quas ei plurimas res foenebris objiceret, commemorari. Equidem, quod simplicissimum atque ante pedes est, amplector hoc: In tanta, inquit

poeta, utilitatis, quam vita rustica praebet, ubertate, delectationisque varietate quis non leviora, quae omnino humanae naturae propria sunt, ferenda existimet incommoda? pro quibus poetam amoris cruciatus in specie ponere putandum est. Hos autem cum ipso amore opere faciundo venandique studio optime discuti abigique satis locuples auctor est Ovid. Rem. A. 199. *Vel tu venandi studium cole; saepe recessit turpiter a Phoebi victa sorore Venus. Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci — —. Aut his aut aliis, donec dediscis amare, ipse tibi furtim decipiendus eris. Inter haec* adeo venationis studia atque oblectamina facile quisque *curarum, quas amor habet*, quae amori insunt, obliviscatur. Graecam plane, quae in hoc v. regnat, orationis structuram, passim obviam, facile animadvertas. Curae *malae*, quae animum adfligunt, macerant. Mire argutatur Lamb.

v. 39. Quod si agricolae tam felici esse contigerit, ut pudicam et laboriosam uxorem habeat, sane tum nemini felicitatem suam invideat. Docte posterius comma atque ἐναργῶς poeta ita enuntiat, ut commissis inter se urbanae ac rusticae vitae deliciis, palmam hisce, ipsius Alphii judicio, decernat. Mulier *in partem juvat domum ac liberos*, Partem eam laborum, quae curandae rei domesticae educandisque liberis prospicit, τὰ ἔνδον ἔργα καὶ ἐπιμελήματα, quae Xenoph. Oecon. IV. 4. vocat, in se recipiendo. Praeclare ad sententiam Electra Euripidea v. 71. sqq. Δεῖ δὴ κἀκέλευστον, εἰς ὅσον σθένω, μόχθου ἐπικουφίζουσαν, ὡς ῥᾷον φέρῃς, συνεκκομίζειν σοι πόνους. ἅλις δ' ἔχεις τἄξωθεν ἔργα. τἀν δόμοις δ' ἡμᾶς χρεὼν ἐξευτρεπίζειν.

v. 41. 42. Appularum maximeque Sabinarum mulierum castitas, frugalitas, laborumque tolerantia passim vett. laudata exemploque proposita, quoniam in his populis diutius vigeret antiqua disciplinae domesticae severitas. Cf. III. 5. 9. Ita Numam Livius Hist. I. 18. *instructum* refert *non tam peregrinis artibus, quam disciplina tetrica ac tristi Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* E Nostro fluxit pulcherrimus Statii locus Silv. V. 1. 122. sqq. *velut Appula conjux agricolae parci, vel sole infecta Sabino, quae videt emeriti jam prospectantibus astris tempus adesse viri, propere mensasque torosque instruit, exspectatque sonum redeuntis aratri. — perusta solibus*, ἡλιόκαυστος, praeclare in laborum patientia ejus, per aestatem osten-

sa, notanda. Appulus *pernix*, propter frequentes montium ascensus in ista Italiae parte. Pernicitas enim propria populis monticolis. Cf. IV. 14. 11. Forte tamen aptior h. l. significatus erit, si *A. pern.* interpreteris, impigrum, strenuum. — 43. Non epulis parandis, quod nonnulli volunt, quippe fere ἀκύροις, quibus rusticus fruitur; sed balneo, quo virum laboribus fessum recreet, faciendo ignem ab uxore ejus excitari puta; id quod epith. *lassi* abunde adstruit. Tibull. I. 10. 42. *Et calidam fesso comparat uxor aquam.* — *exstruat lignis focum* exquisitiore forma pro, ligna in foco exstruat, quam nec pedestris oratio reformidat. *Mensae conquisitissimis cibis exstruebantur*, Cic Tusc. V. c. 21. Cf. Ovid. Met. XI. 120. Docte autem τῷ *exstruere* ligna super foco large reposita innuit poeta. — *sacrum*, ob Larium religionem; res nota. Vide vel 5. 65. — *vetustis*, aridis. Ad sententiam Eurip. El. 75. εἰσιόντι δ' ἐργάτῃ θύραθεν ἡδὺ τἄνδον εὑρίσκειν καλῶς. — 47. Pecus *laetum* adspectu, pingue, ut *laeta armenta* Virg. Aen. III. 220. et passim. Praeclare respondet uberibus *distentis* sc. lacte (uti plenius Virg. Ecl. VI. 21.), σφριγῶσι. Cf. infra XVI. 50. Serm. I. 1. 110. — *siccet*, emulgeat. Lucan. IV. 314. *distentas siccant pecudes.* — 47. Bene Schol. Cruq. „hoc ad idioma rusticae simplicitatis pertinet, hornum vinum bibere.“ Scilicet mustum veteres in dolia defundebant, ut ibi defervisceret ac liquesceret (C. XII. 28. 3.), unde statim homines tenuiores bibere solebant, quod vinum inde doliare dictum, h. de dolio haustum, quum lautiorum palatum vina in amphoras diffusa, atque in apothecis recondita, utpote limpidiora atque vetustate ac fumo amariora, praeferret. Hinc *dolium dulce*, quippe quod *horna*, novella *vina* continet, musti adhuc servantia dulcedinem. — *promens adparet*, promit atque adparat *dapes inemtas*, ruri natas, quas fundus praestat. Virg. Ge. IV. 132. *seraque revertens nocte domum dapibus mensas onerabat inemtis.*

v. 49. *sqq.* Omnes facile cupedias hisce posthabuerim, multo magis delectarer coenae agrestis frugalitate ac simplicitate, quam mensae urbanae deliciis; pro hoc utriusque adparatus recensum subjungit poeta. Lautiorum dapes instruxit *conchyliis* pretiosisque piscibus, *rhombo* et *scaro*, tum et avibus transmarinis, quae in triclinium ganearium introierunt, gallina Numidica et attagene. E conchyliis s. ostreis adposuit *Lucrina*, e lacu

Lucrino arcessita, prae ceteris cupide expetita, atque optimi saporis habita, judice Sergio Orata apud Plin. H. N. IX. s. 79. *Rhombus* e nobilioribus piscibus, a magnitudine maxime commendatus. Cf. Serm. I. 2. 116. Juven. XI. 121. A Columella quoque inter eos pisces refertur, *quorum pretia maxime vigerent*, L. VIII. 17. 9. *Scaro* autem *principatum datum fuisse* tradit Plin. H. N. XI. 17. ἁπαλόσαρκος καὶ γλυκὺς audit Diphilo apud Athen. VIII. p. 355. C. *Visceribus* maxime *bonum* praedicat Martial. XIII. 84. χειμών, tempestas, *intonata*, nove pro, quae cum fragore incussa, immissa est, incubuit *Eois fluctibus* mari Eoo: quae in eo fluctus excitat, cum iisdem propellat, et *ad hoc* nostrum mare *vertat*, agat; si qui forte maris, cujus indigenae sunt, tempestatibus acti ad has oras deferantur. *Maxime frequentatum* eum *mari Carpathio* (unde *ultimis ab oris attractus* audit Petron. c. 93.), *neque promontorium Troadis Lecton sponte unquam* (h. nonnisi tempestate compulsum) *transire* tradit Plin. IX. 17. Adde Colum. VIII. 16. 9. qui *totius Asiae Graciaeque litoribus Sicilia tenus frequentissimum exire, nunquam in Ligusticum, nec per Gallias ad Hibericum mare enare* auctor est. Claudii tempp. demum scaros inter Ostiensem et Campaniae oram ab Optato, liberto ejus, disseminatos fuisse tradit Plin. l. l. — 53. *Non jucundior descendat*, non jucundioris saporis sit, suavius sapiat, magis in deliciis sit; quam cet. *Afrae aves*, gallinae Numidicae, *guttatae* (Martial. III. 58. 15.) de quibus accurate disputantem vide Schneid. ad Colum. VIII. 2. 2. — *attagen Ionicus*, prae reliquis Asiaticis sapore praestans. Martial. XIII. 61. *Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum.* Cf. Ovid. Fast. VI. 175. Ceterum cum hoc lautitiarum elencho conf. Petronii locus, de Mut R. 33. sqq. *Ingeniosa gula est: Siculo scarus aequore mersus ad mensam vivus perducitur, inque Lucrinis eruta litoribus vendunt conchylia coenas, ut renovent per damna famem. Jam Phasidos unda orbata est avibus* cet. — 55. *quam*, quae fundus suppeditat edulia. *Olivas* quidem *legi* h. manu decerpi oportere commune antiquitatis praeceptum erat, *quod eae, quae vapulassent, inarescerent, nec tantum olei, quantum manu stricta, durent* (Varro I. 55.) hoc tamen loco pinguissimas ac grandiores, quae conditui (Colum. II. 22. 4.) adeoque mensis reponerentur, curiosa diligentia nudisque digitis lectas (Varro l. l.) a poeta

junni facile fidem facit *pinguissimorum* ramorum, unde decerperentur, adjecta mentio. Similiter ἀπολέκτους τῶν φοινίκων βαλάνους, quae magnitudine sua mirationem facerent, vocat Xenoph. Anab. II. 3. 15. — 57. De *Lapatho* v. Ind. ad SS. R. R. h. v. — *prata amantis*, pratensis in undis maxime locis eam provenire tradit Plin. XX. 21. Ventrem mollire credita. Noster Serm. II. 4. 27. *si dura morabitur alvus — pellent obstantia conchae et lapathi brevis herba.* Unde lubrica dicta Colum. X. 373. — Eandem virtutem *malvis* adseruere veteres. Vid. ad I. 31. 16. Unde salubres corpori *gravi*, languenti, aegro ex adstricta alvo.

v. 59. 60. Frugalitatem rusticam vel in adparatu epularum paullo lautiori servatam praeclare adjecta ostendunt, quibus raro admodum ac nonnisi festis diebus rusticum iis indulgere ait; in quo et pietatis rusticae rationem habitam videas. Pro diebus festis Terminalia in specie commemorat poeta, tanquam religiosius culta. Incidebant ea in a. d. VII. Cal. Mart. Ovid. Fast. II. 639. Sacrificia, Termino deo a Numa instituta erant antiquitus ἀναίμακτα (Plutarch. in Num. c. 16. Adde Dionys. Hal. Ant. II. 466.); mox agnae ac porcae immolatione cruentata. Ovid. Fast. II. 655. *Spargitur et caesa communis Terminus agna, nec queritur, lactens quum sibi porca datur.* 60. *ereptus lupo*, qui adeo alioqui periturus fuisset, ut recte Gesn. Martial. X. 48. 14. *Hoedus inhumani raptus ab ore lupi*, in frugalis coenae adparatu. Intempestiva ad h. l. est Mureti ac Lambini doctrina, hoc ideo ab Horatio adjici monentium; quod caro pecudum a lupis admorsarum tenerior ac delicatior sit, juxta Plutarch. Sympos. II. p. 831.

v. 61. *Ut juvat*, magnam voluptatem adfert, (contemplando divitias suas rusticas et fructus ex agricultura percipiendos animo praecipiendo;) *oves* bene *pastas*, saturas h. e pastu domum properantes videre, textis cratibus includendas, v. 45. — 62. 63. Solennis vespertini temporis descriptio. Vid. ad IV. 6. 42. Adde Oppian. Cyneg. I. 138 sqq. iisdem coloribus utentem; ἢ πάλιν ἑσπερίῃσιν, ὅτ᾽ ἠέλιος ζυγὰ κλίνῃ (*Sol juga demeret bobus* l. l.) ὁππότε σημαίνουσιν ἑαῖς ἀγέλῃσι νομῆες, εὖτε κατασπείχουσι ποτὶ σφετέρους πάλι σηκοὺς βριθόμεναι μαζούς τε καὶ οὔθατα κυμαίνουσαι. Operis diurni absolutionem copiose adumbrant *b. fessi*, collum *languidum*, et ipsum verbum *trahentes*. Vom. *inversum*, h. aratrum vomere inverso, s. suspenso, ut Virgil. Ecl. II. 66.

Versa jugo h. inverso jugo *aratra* Ovid. Fast. V. 497. — *Vernae, ditis examen domus,* vernarum examen, copia, turba opulentiae rusticae argumentum. Tibull. II. 1. 23. *turbaque vernarum, saturi bona signa coloni.* — *positi*, discumbentes circa *Lares*, ambientes focum, epulisque indulgentes. Cruqu. laudat Colum. XI. 1. 19. *consuescat rusticos circa Larem domini focumque familiarem semper epulari.* — *renidentes*, refulgentes a foco luculento. Ad hunc enim positas fuisse Larium icunculas, satis constat. Primaria autem τῷ *renid.* ignis in foco lucentis inest notio, foci puri ac purgatorum Larium (quod idem Cato 143. praecipit; *Focum purum circumversum quotidie priusquam cubitum eat, habeat*) omninoque munditiei rusticae tantum secundaria. Evincit hoc Martialis imitatio, III. 58. 22. 23. *Cingunt serenum lactei focum vernae, et larga festos lucet ad Lares silva.*

v. 67 — 70. Vid. Argum. Alphius ista secum *loquutus* (male nonnulli Horatium ista loquutum autumant, interpunctione post hanc vocem insulse facta), reputansque vitae istius commoda, certus jam, rus commigrare (*jamjam futurus rusticus*); *omnem pecuniam*, in foenore collocatam, *redegit Idibus*, h. edixit debitoribus, quum Idus essent, pecuniam s. sortem cum usuris proximis Calendis pernumerandam; eandem tamen, quum eae advenissent, iterum *ponit* foenori, abjecto rusticandi consilio. Ex h. l. recte poni posse arbitror, capitis s. pecuniae in foenore positae solutionem Calendis faciendam, *Idibus indici* solitam fuisse; nam his vere coactam fuisse parum probabile videtur, quum usurae cujusvis mensis initio persolvi consuevissent. Atque in hanc sententiam forte Cic. Catil. I. 6. *Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere proximis Idibus senties. Ponere*, proprium hac de re verbum, ut βάλλειν, καταβάλλειν, τιθέναι gr. Vid. Tayl. ad Lys. p. 580.

ARGUMENTUM III.

Quum Horatius, coenae a Maecenate adhibitus, allium seu potius moretum, edulii ru-

stici genus, serpyllo aliisque acribus herbis, maxime allio (unde moretum alliatum vocat Donat. ad Terent. Phorm. II. 2.) confectum, atque inter exquisitiores dapes per jocum (id quod praeter v. 20. res ipsa arguit) a Maecenate mensae adpositum, degustasset, tetrosque illud stomachi cruciatus cieret; percitus atque commotus inde, quo scilicet dignam ei gratiam rependeret, omne bilis suae virus in pestem istam hoc carmine evomit, illudque dirissimis venenis aequiparat. — Levitati hujus argumenti miram gravitatem ac tragicum fere spiritum poeta admiscuit, quo scilicet Maecenati, auctori istius tragoediae, risum exprimeret: atque haec propria hujus carminis virtus habenda est. Accedit sententiarum enuntiatio elaboratissima ac vere lyrica.

Adnotationes.

v. 1. Allium nulli venenorum generi secundum ostensurus, primo cicutae comparat, eique adeo anteponit poeta. Quae quum apud Athenienses publica capitis damnatorum poena esset, poeta, augendae rei causa, colores inde exornandae sententiae admiscuit, ita quidem, ut allium utique cicutae substituendum censere. Jam pro generali: si quis scelus capitali animadversione dignum commiserit, huic allii edendi poena statuitor, cicuta quippe efficacioris, speciem sceleris, idque, quo atrociori poenae locus esset, immanissimi, parricidii, posuit. Igitur *si quis olim*, posthac, aliquando (minus commode ad praeteritum tempus nonnulli referunt) *impia manu*, ἀνοσίᾳ χειρὶ, ἀνοσίως, eo usque impietatis processerit, ut *guttur parentis senile*, patris senis, *frangat*, elidat, eum occidat (at quam ἐναργέστερον alterum! cf. II. 13. 6.); auctor sim, ut is *edat allium*, ut allii huic edendi poena irrogetur, atrocissima, cicuta quippe dirioris. — 4. Quam *dura*, fortia, robusta credere par est messorum esse *ilia*, quibus

nihil inde noxae inferatur, quae allio minime laedantur. De allio cum aliis herbis contrito, s. moreto, consueto messorum edulio Virg. Ecl. II. 10. *Thestylis et rapido fessis messoribus aestu allia serpyllumque, herbas contundit olentes.*

v. 5. *Quid hoc veneni saevit,* quid hoc veneni est, quod hoc venenum dicas, quod adeo *saevit*, tam rapide agit, tantos cruciatus ciet *in praecordiis.* Doctus ac frequens apud poetas est usus verbi *saevire* de rebus, quae cum vehementia agunt. Ita *amor et libido saevit circa jecur* I. 25. 15. Petron. c. 17. *major dolor saevit in praecordiis. Praecordia, φρένες,* membrana s. musculus, qui medius est inter thoracem et abdomen, et respiratione tollitur, h. l. propter irritabilitatem suam cum delectu ad partes vocatus. — 6. Num venenum his herbis *incoctum me fefellit*, h. incoctum, admixtum fuit, quod *me falleret,* lateret, fugeret: omnino pro: num forte veneno herbae istae infectae sunt? Pro veneno speciatim est *cruor viperae,* in acutissimis olim venenis habitus. Vid. I. 8. 9. — 7. 8. Ex adfusi veneni suspicione eo statim defertur poeta, ut hoc scelus a Canidia designatum dicat. Cf. infra XVII. 61 et Serm. II. 8. extr. — *tractavit*, delecte pro, adparavit; adjectam enim illud verbum habet veneficii notionem, ut II. 13. 10. adde Senec. Med. 719. — *malas,* noxias, veneno infectas, ut *mala gramina* Virg. Aen. III. 471. Tibull. I. 2. 51. *malae herbae,* et passim.

v. 9 — 14. Neque alio veneno Medeam usam esse crediderim. Duobus statim exemplis illustratam proposuit hanc sententiam, quae artis ejus maxima essent documenta, poeta. In primo spectanda unice τοῦ φαρμάκου efficacia, quae Iasonem adversus taurorum violentiam igneumque spiritum tutum praestaret; alterum φάρμακον vere δηλητήριον. Notandum hoc propter morosius Scaligeri judicium Poetic. VI. p. 342. Medea, *ut,* ὡς, postquam *praeter o. Argonautas mirata est,* oculos et animum deposuit in *duce candido,* pulchro, Iasone, pulchritudine ejus capta est, hincque servandi ejus consilium cepit. *Mirari* ut I. 4. 19. IV. 9. 15. cf. I. 36. 18. *Candor* de pulchritudine passim. — *hoc* alii succo Iasonem *perunxisse,* ἐγχρίσασθαι, credere consentaneum est. Parum consulunt Horatio, qui veri quid huic poeticae rei exaggerationi subesse, ad alliique naturam, quae venena praesentiora efficiat, respici contendunt. Ad rem cf. Pind. Pyth. IV. 393. Apoll. Rhod. III. 1041. et Val. Fl. VII. 463. — *juga ignota,*

quae nondum experti essent tauri, a Iasone primum domandi. — 13. 14. *Hoc* allii succo eadem inunxit dona nuptialia, pallam et coronam, quae Glaucen s. Creusam, novam Iasonis nuptam, ad quam missa essent, magica vi sua perurerent atque exstinguerent. Sed variavit orationem poeta, adjecta fugae ejus, re perpetrata statim factae, mentione; plane ut infra V. 63. — *dona delibuta* φαρμάκῳ κεχρισμένα. — *fugit serpente alite*, curru alatis serpentibus juncto Athenas petiit. Res nota ex Euripidis Medea et vel Apollod. I. 9. 28.

v. 15. 16. Nec *vapor*, fervor, aestus *siderum*, sideris, h. Sirii, ejus exortu excitatus, *tantus insedit Ap.*, tantus unquam per Apuliam fuit ferventissimo aestatis tempore, quanto viscera torrentur. *Sedere*, *insidere*, *premere*, *incubare* solennia de coeli intemperie, vel frigidiore, vel calidiore. Lucan. X. 251. *Phoebus pressit Meroën, tellusque perusta* cet. Val. Fl. I. 683. *populator Sirius agri incubuit* Senec. Oed. 47. *gravis et ater incubat terris vapor.* De crasso aëre Idem Herc. fur. 704. *immotus aër haeret, et pigro sedet nox atra mundo*, et Lucan. VI. 649. *non Taenareis sic faucibus aër sedit iners.* — *siticulosae*, aridae, torridae πολυδιψίου, Homerico epitheto. Cf. III. 30. 11.

v. 17. 18. *Munus*, vestis, Nessi cruore tincta, quam Dejanira Herculi misit, quo constantiorem ejus amorem experiretur, *humeris ejus non aestuosius*, majore cum aestu, vehementia, magis *inarsit*, artus ejus invasit, adedit; non majore aestu correptus est Hercules. De fabula adeant, quibus opus est, Sophocl. Trachin. 581. sqq. Ovid. Metam. IX. 130 sqq. — *efficacis*, impigri, strenui, invicti, perpetuo Herculis epitheto.

v. 19 — 22. Allii foetorem extremo loco notat poeta, facetissima ad Maecenatem conversione facta. *Si concupiveris* comederis, *tale quid*, allium; sed illud praeclare prorsus, quasi ipsum allii nomen exhorreat, ut bene Gesn. *Jocosum* Maecenatem adpellari vult Porphyrion, „cui velit jocos suos commendatos esse" inscite prorsus. Ita tamen Schol. quoque Cruqu. Reliqui fere omnes ad jocos Maec. amatorios, de quibus statim verba faciat poeta, referunt: haud incommode. Mihi tamen multo probabilius videtur, rem ipsam, quae huic carmini ocassionem dedisset, a poeta designari. Scilicet jocos fecerat Maecenas, inter exquisitas dapes alliatum, vilissimum rusticorum edulium, adponendo. — 21. Manu opposita prohibeat, arceat te osculari se volentem puel-

la. Propert. II. 22. 39. *opposita propellens suavia dextra prosilit in laxa nixa pedem solea.* — 22. Et in *extrema sponda*, diversa lecti parte extrema *cubet*, longe a te discumbat in lecto sc. ne acri foetore offendatur.



ARGUMENTUM. IV.



Temere eos agere arbitror, qui satis adfirmate de homine, quem virulentis his iambis proscindit poeta pronuntiant, quum oppido multi infimae plebis atque servilis adeo conditionis exstiterint, qui inter extremi belli civilis furores in nobilissimarum familiarum, quae per factiones aut extinctae aut proscriptae essent, amplissimas possessiones involassent, perditissimisque moribus suis ad summos honorum gradus evecti essent; quos quidem importuno fastu suo, quo novi isti homines efferrentur, maximam bonorum omnium, quibus factionum insania pepercisset, in semet indignationem concitasse, ipsa rei natura fidem adstruit. Ex ipso carmine discimus, hominem, quem notat Noster, fuisse natum servili genere, quod flagitiosissimae insuper vitae inquinasset labe, mox, ubi maximas divitias tribunique militaris potestatem adeptus fuisset, insolentissimum mortalium factum esse: quae quidem quomodo in Maenam, Cn. Pompeji libertum, congruant, adeo quidem, ut justam morum ejus imaginem exhibeant, ii viderint, qui nimis cupide Scholl. auctoritatem, in talibus non admodum gravem, amplectendam statuunt. Ac gravissimam perfidiae

infamiam, qua laborabat Maenas, quis non in homine, quem ex suis ornatum vellet virtutibus poeta, silentio praetermissam jure cum Gesnero miretur? Neque enim, quod opponunt quidam, timendum erat poetae, ne, si vel maxime hos iambos tum temporis evulgatos fuisse statuas, Augusti gratia excideret, quem solum proditionis fructum in proditore amasse satis constet; in cujus tamen notitiam ne adductus quidem tum erat, quum hos scriberet poeta. Ut taceam, multo ampliores tribunicia potestate (quam eum tenuisse ne memoratur quidem ullibi) Maenae honores contigisse, quorum commemoratio multo graviorem ei excitatura fuisset invidiam, et alia, quae Scholl. fidem admodum sublestam faciunt. Vid. Sanad. et Boettig. ad h. l. Ceterum, quod jam Toupius vidit (Epist. crit. p. 180.), Anacreonteis coloribus (in fragm. XXVII. Fisch.) nonnulla ab Horatio adumbrata esse, admodum probabile est. En Teji poetae verba:

Ὁ παμπόνηρος Ἀρτέμων
Κίβδηλον εὕρισκεν βίον,
Πολλὰ μὲν ἐν δουρὶ τιθεὶς
Αὐχένα, πολλὰ δ' ἐνὶ τροχῷ,
Πολλὰ δ' ἐν νώτῳ σκυτίνᾳ
Μάστιγι θωμιχθεὶς —
Νῦν δ' ἐπιβαίνει σατινέων
Χρύσεα φορέων καθέρματα
Παῖς Κύκης,
Καὶ σκιαδίσκην ἐλεφαντίνην
Φορεῖ γυναιξὶν αὔτως.

Adnotationes.

v. 1. Archilochia libertate initio statim acerrimum adversus hominem, quem petit, profitetur odium poeta, illudque, ut, quale sit, probe intelligatur, per comparationem ostendit. Pedestre erat: quam discordes natura lupi et agni sunt; tanto tui flagro odio. *Sortito* istis animalibus discordia *obtigit*, sortiti eam sunt; ἔλαχον, h. e. naturae lege ita comparatum est, ut mutua exerceant odia agni et lupi. Sors enim μοῖρα, τὸ εἱμαρμένον, quod fatali quadam necessitate constitutum est, ad quod natura facti sumus, quod nobis attributum est. Plaut. Merc. I. 2. 25. Ac. *Periimus.* Ch. *Principium inimicis dato.* Ac. *At tibi sortito id obtigit*, h. tibi destinatum est malum. Senec. Phoeniss. 245. *fata quis tam tristia sortitus unquam!* De naturali luporum et ovium odio Homer. Il. XXII. 263. οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν, ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.

v. 3. 4. Acerbe admodum pristinam, quae ei exidisse videbatur, conditionem suam in animum revocat, neque solum, quod servus fuerit, exprobrat, sed etiam quod nequam. Hoc poenis servilibus, quas perpessus sit, poeta innuit. Anacr. l. in argum. loco: πολλὰ δ' ἐν νώτῳ σκυτίνᾳ μάστιγι θωμιχθείς. *Peruste latus*, cujus tergum (pro quo significantius est *latus*, quatenus funis, tergo impactus, lateri se adplicat, insinuat) *funibus* s. loris *perustum* est, h. laceratum, notatum, in cujus tergo adhuc servilium flagrorum signa conspicua sunt. *Urunt verbera*, quae altius sedent; exquisite. Noster Epp. I. 16. 47. *loris non ureris aio* et Serm. II. 7. 58. *uri virgis ferroque necari.* Catull. XXV. 10. *ne laneum latusculum — inusta turpiter tibi flagella conscribillent*, h. καταγράφωσι, ut Lucian. Catapl. I. p. 649. — *Ibericis*, e sparto Iberico tortis; nam Iberia s. Hispania sparti feracissima. Cf. Plin. XIX. 2. Unde *herbas Ibericas* spartum orator quidam, quamquam ridicule atque inepte judice Quintil. VIII. 2. 2. dixerat. Ornat adeo simpliciter h. l. et auget rei ideam. Quod enim inde cogunt nonnulli, hominem in Pompeji classe, quum Hispaniam tenderet, remigem fuisse, hoc paullo reconditius arbitror. — 4. *crura perusta*, attrita, στιγματισθέντα (v. Obss. misc. II. p. 242.) *dura*, ferrea *compede.* Cf. Tib. I. 7. 42. II. 6. 25. Servum ex ergastulo designat, qui opus in compedibus faceret, adeoque infimae sortis mancipium. Nisi potius ad poenam ser-

vilem referas. Terent. Phorm. II. 1. 19. *Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes.* Res notissima.

v. 5. Licet *ambules*, magnifico gradu te inferas, incedas, sis *superbus pecunia*, divitiis efferaris, omnino quaesito ornatu, ac graphice prorsus de homine divitiis superbiente, *quales fere sunt, quos ex humili magna ad fastigia rerum extollit, quoties voluit Fortuna jocari*, Juven. III. 39. Vulgare utique erat, utcunque opulentus sis. *Ambulare* praeclare de statu ac gressu basilico, ut Plautus loquitur. Ad Nostrum Claudian. XVIII. 305. *erecto pectore dives ambulat.* Commode comparat Boettig. gr. σοβαρῶς βαδίζειν. — 6. *Fortuna*, opes, et, quos hae largiuntur, honores, *non mutant genus*, non abolent, delent generis ignobilitatem, illud efficere nequeunt, ut sordidos natales tuos, conditionem tuam pristinam illustrem reddant. Aliter de divitiarum vi Menander apud Stob. Grot. p. 867. τοῦτε μόνον ἐπισκοτεῖ καὶ δυσγένειαν, καὶ τρόπου πονηρίαν, τὸ πολλὰ κεκτῆσθαι.

v. 7. Illud *superbus ambules* admodum ἐναργος jam ab effectu declarat poeta, nimirum publica, quam inde in se concitet, indignatione, quam populus rei indignitate commotus prae se ferat, atque palam ipso effundat. Multum amaritudinis habet, quod hujus rei veritatem ipsi extorqueat. — *te metiente viam*, gradu magnifico atque ad gravitatem composito incedente per viam Sacram, cum delectu, pro, te prodeunte in publicum. *Metiri viam*, διαμετρήσασθαι, alias simpliciter est, conficere iter, cursum; h. l. de gradu ad aequabilem mensuram descripto (μετὰ ῥυθμοῦ βαίνειν), qualis jactabundi hominis esse solet. Ovid. A. A. III. 301. *Haec movet arte latus, tunicisque fluentibus auras excipit*, extensos *fertque* superba pedes. *Viam sacram*, delecte ponit poeta; nam ea maxime otiosorum trita atque obsessa erat hominum turba, cui adeo se spectandum iste ingereret. — 8. Cum toga sex ulnas ampla, quae divitum ac delicatulorum hominum erat. Unde *velis non togis amictos* Cicero tales adpellat Catil. II. 10. laudante jam Schol. Cruqu. Tib. I. 6. 40. *Effluit effuso cui toga laxa sinu.* Vid. Brouckh. ad Tib. I. 9. 70. Arcta contra tenuiorum. Noster Epp. I. 18. 30. *Arcta decet sanum comitem toga.* — 9. 10. Ut omnes, *huc et huc euntes*, praetereuntes, commeantes ista via, *ora* in te *vertant*, convertant, te oculis, manu, defigant, signent, neque dissimulate, sed liberrime indignentur, quod, quum olim servus nequam fueris, opes

et honores amplissimos consecutus sis, insolentissimeque te geras. Pro hoc ipsas indignabundi populi voces refert atque adponit poeta; in quo summa ἐνάργεια est. Alii, ut jam Porphyr., *ora vertat*, volunt esse, detorqueat a te adspectum, male vel propter *liberrimam* indignationem; tum talis demonstratio non usquequaque honorifica erat. Ovid. Amor. III. 6. 77. *Quid moror? en digitis demonstror adultera vulgi.* — Indignatio *libera*, non obscure aut dissimulanter prodita, sed *erumpens animo ac pectore* (Vellei. II. 66.), ac palam professa. Ita *libera verba animi* Juven. IV. 90. et *libera bilis* infra XI. 16.

v. 11. Hic, inquit praetereuntium turba, servorum quondam nequissimus, summaque ideo ignominia notatus, jam vero in summa opum affluentia constitutus, et tribunus militum factus, vide ut insolentius se effert, ut luxu diffluit! Pristinam ejus nequitiam atque ignominiam declarant *flagella Triumviralia*, h. flagra a Triumviris rerum capitalium tergo ejus inflicta. Nam hos in sceleratos servos etiam animadversionem habuisse, satis constat. Vid. Pignor. de Servis p. 13. Ad poenae atrocitatem designandam spectat *sectus* h. plane concisus, laceratus flagris (ut Martial. X. 6. 14. *severi sectus Aeaci loris.* Adde Juvenal. X. 316. Tib. I. 9. 22.) et ad ejus diuturnitatem, *praeconis ad fastidium*, h. eo usque caesus, ut praeco clamando defetisceretur, vox eum deficeret. Praeconi enim hoc datum erat negotii, ut, quamdiu lictor virgis expeditis in tergum malefici saeviret, poenae causam praedicaret. — 13. Generatim quidem accipi potest fundum mille jugerum, ampla latifundia in Campania, fertilissimo et amoenissimo Italiae tractu, *arat* h. possidet (ut Serm. II. 1. 35.); significantius tamen ad notandam ejus luxuriem (etiam propter epith. *Falerni*), erit, si speciatim vineas, per Campaniae partem, vini optimi feracissimam, longe porrectas intelligas. Neque obstat *arat*, quum satis constet, vineas inter vitium ordines arari consuevisse. — 14. *Manni*, equi Gallici paullo brevioris staturae (unde et *mannuli* dicti Plin. Epp. IV. 2. Martial. XII. 24. 8.) beatioribus Romanis, ob velocitatem ipsorum, in deliciis habiti. Cf. Lucret. III. 1076 et Senec Ep. 87. — *Appiam terit*, voluptarium iter ista via instituit, Appiam frequentat: quam notionem v. *terit* forte adjunctam habet h. l. ut apud Virg. Ge. I. 380. *Angustum formica terens iter.* Alias terere iter, viam, τρίβειν ὁδὸν simpliciter, ire, incedere via.

Ad velocitatem vix bene referas. Ceterum *Appiam* (ut paullo ante *viam sacram*) delecte posuit poeta, utpote commeantium turba celebratissimam.

v. 15. L. Roscius Otho a. U. DCLXXXVI. legem tulerat, ne quis in XIV. Ordinibus, orchestrae proximis, sederet, nisi qui eques esset, aut equestrem censum (quadringenta sestertium. Cf. Epp. I. 1. 57.) haberet, atque ideo in istum Ordinem adscriptus esset. Parem equitibus dignitatem habebant Tribuni militum, quibus adeo in istis gradibus sedendi jus erat. Martial. III. 95. 9. *vidit me Roma tribunum, et sedeo, qua te suscitat* h. proturbat designator *Oceanus. Othonem* igitur *contemnebat* ille, h. non metuenda ipsi erat lex Othonis theatralis, audacter invadebat istos gradus, cujus divitiae equestrem censum longe superarent, et qui tribunus militum equestri dignitate gauderet. Sed invidiae metum subterfugere haud poterat, quod infimae conditionis homo tantam potentiam, tantasque opes sibi acquisisset, iisque tam arroganter uteretur. Summam enim arrogantiam prodebat, dum in *primis* istorum graduum *sedilibus* sese tanquam *eques magnus*, splendidus, illustris, jactaret, semper primos gradus occuparet. Totius igitur sententiae vim in *primis* et *magnus* verti, in promtu est animadvertere. *Contemni* res eleganter dicuntur, a quibus non satis tutos putamus, unde nihil periculi timemus. Tibull. I. 3. 37. *Nondum caeruleas pinus contemserat undas.* Bentl. laudat Juv. X. 123. *Antonî gladios potuit contemnere, si sic omnia dixisset.*

v. 17 — 20. Nos classi, quam adversus piratas atque collectam servorum fugitivorum manum paramus, hominem praeficimus, qui ipse piraticam exercuerit, servusque fuerit, quo quidem nihil magis praepostere ac monstrose cogitari potest. Spectat ista Octaviani expeditio, magna mole adparata, ad a. U. DCCXVIII, quo Sex. Pompejum, qui infelicis belli reliquias armatis ergastulis contractisque piratis adauxerat, persequendum opprimendumque statuit. Cf. Dio XLVIII. 20. Flor. IV. 8. et infra IX. 9. 10. Eaque res exitum habuit, pugna navali ad Mylas, in Siciliae ora, commissa. *Quid attinet*, stomachabundi est, quid expedit, quid commodi inde in remp. redundaturum credas? — *tot ora* cet. tam adparate bellum navale adversus *latrones* s. piratas instruere. Naves bellicas designant *ora gravi pondere rostrata*, h. ora rostris gravis ponderis, aeratis, in-

structa, rostratae; cum virtute, quatenus rostra figendis mergendisque hostium navibus inserviebant. — 20. *hoc*, *hoc*, maxime ἐναργῶς repetitum, tam flagitioso servo regendae classi admoto.

ARGUMENTUM V.

Parum utique vim hujus carminis adsequuti mihi videntur ii, qui, quum illud omnino in traducenda diffamandaque artis magicae disciplina occupari viderent, hoc primarium poetae consilium fuisse opinarentur, quae quidem Venusina lucerna parum digna fuisset materies; sed utitur tantum iis poeta ad majorem Canidiae, quam contumeliosissime tractandam sibi proposuisset, conflandam invidiam, inurendamque infamiam. Quam quum eum in finem magicas artes tam diro adparatu adgressam poeta fingat, ut insulsi senis animum a se alienatum recuperet; satis probabiliter inde colligas, fuisse mulierem propudiosae libidinis atque ejus quidem aetatis, quae ipsam, explendae istius causa, vilissimos homines expetere (infra XVII. 20. de eadem: amata nautis multum et institoribus) et ad hujusmodi artes, avolante formae iynge, confugere cogeret. Jam quum eas potissimum puellas exagitet, omneque acerbitatis suae in illas virus evomat poeta, quae, quum vegeta ac florente aetate fastuoso amatores aspernatae fuissent supercilio, obrepentibus annis ultro, incitatae importuna libidi-

nis prurigine, viros adscitis omnibus, quibus formae damnum resarciretur, lenociniis aliisque artibus venarentur, sicque acerbas arrogantiae pristinae poenas luerent; satis probabiliter statui posse existimo, Canidiam iisdem praeditam fuisse moribus, gravissimamque inde Horatio, qui ipse quondam fastidium atque arrogantiam ejus expertus fuisset, bilem in se commovisse. Quo acriores igitur contumeliarum, quibus insequendam eam statuisset, aculei essent, non satis habet, libidinosas ejus intemperias exagitare, sed rumore, qui forte de magicis Canidiae conatibus increbuerat, in rem suam verso flagitiosissimi, quod aliquando per magicas artes patratum innotuerat, eam insimulat sceleris, in puero ingenuo, ab ista subrepto atque crudelissima morte adfecto, designati. Quod quo majorem haberet veritatis speciem, operis administras ei adjungit veneficas, per universam Italiam, maxime Neapolin, artis suae exercitio famigeratissimas, Saganam, Vejam, Foliam. Ipsa repraesentatio istius maleficii, omninoque sacri, inter quod patrabatur. magici, plane consummatae artis est: Inducitur puer, obtestans Canidiam, a qua truci se vultu defigi animadvertebat, ne male quid, quod quidem animus ejus inde augurabatur, in se statuat: quas tamen illa preces aspernata vestes ei ceteraque ingenuitatis ornamenta deripit, scrobique mento tenus indit, ut desiderio cibi saepius mutati contabesceret. Inter haec parantur omnia, quae ad rem magicam pertinent; accenditur ignis, eique cumulate imponuntur, quae Varum. de quo laborabant, attractura putarentur, lustratur domus, instructisque rite omnibus Canidia incantatio-

nem peragit, sed frustra: hinc ad philtrum ex arefacto jecinore ac medulla pueri parandum, utpote ceteris efficacius, accingitur. Sequuntur dirae pueri, atrocissima mala scelestis istis veneficis imprecantis.

Adnotationes.

v. 1. In summam statim exspectationem adducit lectorem abruptum orationis initium, quo aestum pueri, rei novitate perculsi, et ex sagarum, per domum tumultuantium in se converso vultu dirissima quaeque sibi augurantis, explicat ac plane repraesentat poeta. Adposita statim exclamatio in summo ejus timore ac stupore: *O quidquid Deorum*, quicunque Dii *regitis terras et humanum genus*, ἐπόψιοι τῶν κατὰ γῆς, rerum humanarum curam geritis, ἐναργῶς, injecto Deorum, scelera graviter vindicantium, metu, pro tenui: in coelo estis; quod omnino est pro, o Dii magni (ut Catull. XIV. 12.) ὦ μεγάλοι θεοί, solenni; tragicisque maxime, *mare coelo confundentibus*, ut Juvenalis VI. 284. (unde et Plautina: *mare, terra, coelum, Dî vostrûm fidem!* ait, frequentata exclamationis formula. Male de obtestatione nonnulli capiunt, quae v. 5. demum subjicitur. *Quidquid deorum*, quaesite, ut Liv. XXIII. 9. *jurantes per quidquid Deorum est, dextrae dextras jungentes, fidem obstrinximus*, laudante Lamb. Adde Juven. XIII. 83. *jurat per — — quidquid habent telorum armamentaria coeli.* — 3. *Quid fert*, sibi vult *iste tumultus*, ista discursatio, ista intentior adparatio; nam utrumque innuit hoc vocabulum. — *aut* praeclare turbatam cum animo linguam arguit (Vid. infra VII. 1.); quod et praecipitata oratio ostendit. — *quid omnium vultus truces sunt*, efferantur, conjecti sunt *in me unum*? quid me tam torvo vultu signatis, destinatis?

v. 5. *sqq.* Quum apud veteres obsecratio fieret per res, quas scirent alteri esse carissimas; aut omnino sanctas; utriusque rationem habuit poeta, quo efficaciores pueri preces forent. Jam dubitanter de Canidiae liberis, per quos obtestantem inducit puerum, poeta pronuntiando, subreptique adeo partus eam insimulando, quamquam omnem precum vim perverti probe intellige-

ret poeta; sugillandi tamen lacerandique eam vel hanc datam occasionem arripuit, ut evidentissime ostenderet, Canidiae sibi omnibus probris atque contumeliis proscindendae, declarandaeque artis ejus in summa vanitate crudelissimae primarium fuisse carminis consilium, reliqua vero, quae proposito isti substerneret, secundarum partium. Alii, ut Torrentius et Dacer., generatim accipiunt: si modo mater es, liberos enixa es, non adoptivos tantum habes; quo sane vix dilutius quidquam cogitari potest. *Si vocata adfuit*, praesto fuit (vid. ad III. 23. 3.) *veris partubus*, tibi vere parienti, si vere peperisti, non subripuisti, quos habes liberos. Cf. Infra XVII. 50 — 53. — 7. *Per hoc purpurae decus*, hanc purpuram, hanc purpureo limbo praetextam togam, ingenuitatis ornamentum (ut Cic. Verr. I. 44. vocat) atque argumentum. Maximam ita Canidiae invidiam a poeta concitari, quod tam atrocem injuriam in puero ingenuo ac nobili committat, facile perspicitur. Tum praetexta erat res sacra, qua adeo impuberem aetatem adversus injurias munitam vellent. Commode Dac. laudat Quinctil. Declam. CCCXL. extr. *Ego vobis allego etiam ipsum sacrum praetextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiae sacram facimus ac venerabilem.* — *inane*, quamquam te parum isto commotum iri intelligo. — 8. *improbaturum haec*, sceleris, quod paratura es, vindicem. — 9. Quid *novercali* h. maligno, saevo vultu *me intueris*? Famigeratissima novercalis in privignos odii infamia; unde cujuslibet immanis saevitiae processit notatio. Ad Nostrum Seneca Excerpt. Controv. IV. 6. *Hic tuus est: quid alterum novercalibus oculis intueris?* — 10. *ferro petita*, lacessita, vulnerata, omnino pro, exasperata. Ad rem Virg. Aen. XII init. *Poenorum qualis in arvis saucius ille gravi venantum vulnere pectus tum demum movet arma leo.*

v. 11. Paullo impeditior horum vv. structura, ac sententiarum ordo. Primum, quod se offert, est: *ut haec tremente questus ore*, vixdum haec effatus erat: eo ipso momento *constitit insignibus raptis*, derepta ei praetexta erat, nudus stetit puer, *impube corpus*, per adpositionem, pro puer impubes, vel., ut sqq. melius adnectantur, puer, cujus denudatum impube corpus vel Thracas movisset. Ita vero parum commode procedit narratio: *Canidia brevibus* cet. Igitur praestat ab hisce verbis apodosin exordiri, et sententiam ita constituere: ubi puer ita conque

stus esset, et insignia ei a sagis detracta essent, ita; ut nudo corpore consisteret, quo vel impios Thracas ad misericordiam perduceret; *Canidia* cet. Jam intelligis, poetam maximam orationi virtutem a concisa rei gestae narratione quaesivisse, sagarum in puerum involantium, eodemque momento corpus, dereptis insignibus, nudum statuentium impetum verbis exprimendo. Omnino pedestris narrationis ordo erat: Vix ista eloquutum puerum sagae cerripiunt, detractaque uno impetu praetexta nudum constituunt, vel Thracibus hoc statu miserabilem: tum Canidia reliqua, quae opus erant, exsequi pergit. — *Insignia*, praetexta cum bulla, collo adpendi solita, quam Cicero quoque *ornamentum pueritiae, indicium atque insigne fortunae* adpellat Verr. I. 58. — *impii* h. saevi, immites Thraces; quorum nota immanitas.

v. 15. Progreditur jam poeta ad ipsam sacri magici adparationem, quod, ut in genere de hac anili superstitione quaedam moneamus, a νεκυομαντεία exortum: quum inferis Diis, quorum praesentia et auxilium a sagis exposceretur, potissimum fieret, satis consentanea erat ratio, cur eae maxime res, quae conjunctionem aliquam cum rebus inferis haberent, a sepulcris adeo, tumulis ac triviis petitae, sacrificio adhiberentur, vique aliqua pollere crederentur. Quumque antiquissimae de rebus inferis notiones ad animos horrore quodam imbuendos comparatae essent, descripta ad summam deformitatem ac squalorem Inferni facie, hoc ipsum ad sacrificia magica translatum est, in quibus adeo omnia, quae tetri adspectus infaustique ominis essent, exposcendae deorum inferorum paci atque auxilio profutura putarentur. Neque tamen in his substitit paullo rudior haec superstitio, sed ex allegorica loquendi ratione, qua animi adfectiones repraesentarent, e rerum natura succrevit seges, ob similitudinem, quae cum iis intercederet, ad partes vocata et vi quadam, ut ita dicam, symbolica in corpus atque animum agere credita; unde tandem difficilibus nugis ac lusibus plena ars effecta est. — Quo foedior Canidiae adspectus esset *implicata est crines*, implicitos habet *crines et incomtum caput*, h. incomtos, horridos crines *videris*, instar Furiarum (unde eandem et Saganam *Furias* adpellat Serm. I. 8. 45.) tum ad potentiam ejus spectat, quod viperas impune tractet. — *brevibus*, tantoque magis venenosis. Incomti autem crines non tam horroris, quamquam et hujus,

causa memorati, quam potius ex artis istius disciplina, quae nihil adstricti patitur. *Canidiam pedibus nudis, passoque capillo* noster exhibet Serm. I. 8. 24. Ovid. Met. VII. 182. de Medea, sacris magicis operatura: *Egreditur tectis vestes induta recinctas, nuda pedem, nudis humeris infusa capillos.* Adde Virg. Aen. IV. 518. Senec. Med. 732. Lucan. VI. 654. de Erichto: *vario Furialis cultus amictu induitur, vultusque aperitur crine remoto, et coma vipereis substringitur horrida sertis.* Ex adparatu magico primo loco poeta ponit ligna infelicia, quibus ignis excitetur alaturque, *caprificos sepulcris erutas*, iis innatas, quarum solus in sacris infernalibus, qualia erant magica, usus erat. Efficaces eae habitae, quod vi sua monumenta finderent (Martial. X. 2. 9.) ac convellerent. Infaustis arboribus adnumerabantur propter sterilitatem suam, tum quod e sepulcris sponte provenirent. Cf. Propert. IV. 5. 74. Radicem ipsarum potissimum adhibitam fuisse, haud inepte colligas ex *erutas*: nisi omnino artis magicae leges eas caedi prohiberent. — *cupressus funebres*, funeribus adhibitas, et tumulo imponi solitas; unde *ferales, atrae, funestae* poetis dictae. Cf. II. 14. — 19. 20. Tum *ova* et *plumam strigis ungi*, conteri ac misceri jubet cum *sanguine* s. veneno (nam in sanguine ejus, ut in viperae, venenum contineri creditum. Juven. VI. 659. *At nunc res agitur tenui pulmone rubetae*) *ranae turpis*, rubetae. Simile intrimentum magicum habet Senec. Med. 731 sqq. *Mortifera carpit gramina, ac serpentium saniem exprimit, miscetque et obscoenas aves, moestique cor bubonis et raucae strigis exsecta vivae viscera. Strix*, inauspicatissima avis, e noctuarum genere, *quae quondam in bustis aut culminibus desertis nocte sedens, serum canit importuna per umbras*, ut Virg. Aen. XII. 863. *funerea* inde dicta, cujus ideo maximus in re magica usus. Cf. Ovid. Fast. VI. 139. sqq. Plumae ejus in sepulcris inventae maxime praesentaneae. Propert. III. 4. 27. eadem fere enumeratione: *Illum turgentis ranae portenta rubetae et lecta exsertis.* (ita omnino legendum. Noster Serm. I. 8. 22. *quin ossa legant — — et scalpere terram unguibus.* Unde mox *irresecti v.* 47.) *unguibus ossa trahunt: et strigis inventae per busta jacentia* (h. in cinerem collapsa) *plumae.* Ovid. Met. VII. 268. *Addit et exceptas Luna pernocte pruinas, et strigis infames ipsis cum carnibus alas. Rana* turpis, foeda adspectu, ideoque in inferis quoque paludibus

collocata a veteribus, veluti Aristoph. Ran. 211. et inde Juven. II. 150. *Esse aliquos Manes, — et Stygio ranas in gurgite nigras* cet. Multifariam ejus vim optime cognoscas ex Plin. VIII. 31. et XXXII. 5. — *Herbas, quas Iolcos atque Iberia mittit*, Thessalas ac Ponticas, quibus Medea usa est (unde *venena Colcha* II. 8. et infra v. 62. simpliciter *Medeae venena* adpellat; nam *Iberia* Ponti regio, Colchis vicina), adeoque efficacissimas. Virgil. Ecl. VIII. 95. *Has herbas, atque haec Ponto mihi lecta venena ipsa dedit Moeris.* Tibull. II. 4. 55. *Quidquid Medea veneni, quidquid et herbarum Thessala terra gerit. Feracissimae* autem *venenorum* proventu (Virg. l. c. *nascuntur plurima Ponto*) hae regiones habitae, quoniam ibi superstitio ista maxime viguit. *Mittit* suaviter, tanquam mercem istas exportans: ut *India mittit ebur* et passim. — 23. *Ossa* combusti cadaveris *rapta*, erepta, extorta *aris canis jejunae*, famelicae, quae adeo in cineres redacta, ardentissimum amoris desiderium excitatura putabantur, a cane quippe cibi appetentissimo admorsa. Lucan. VI. 550. *Et quocunque jacet nuda tellure cadaver — — nec carpere membra vult ferro manibusque suis, morsusque luporum exspectat siccis raptura a faucibus artus.* Eadem de causa *extorta dentibus ferarum trunca calvaria* adhibet saga apud Apulei. III. p. 55. Pric. — 24. Medicamina haec bene trita atque commixta imponi *flammis* jubet, quibus *adurantur*: ut scilicet Varus eodem aestu correptus ad se recurrat. — *Colchicis*, incantatis, seu omnino rei magicae adhiberi solitis puta cupressi, caprifici cet.

v. 25. At Sagana, Veja, et Folia, operis administrae, promtissimo animo partes suas exsequuntur. Sed has speciatim statim adnumerat poeta. Ad ritus magicos pertinebat etiam lustratio, quae h. l. *aqua avernali*, h. quae Acheronticam repraesentabat, absolvitur. Virg. Aen. IV. 512. *Sparserat et latices simulatos fontis Averni.* Alias taedae et sulsura adjecta. Vid. Broukh. ad Tib. I. 2. 61. et I. 5. 11. *Sagana expedita*, succincta, vel omnino, alacri cum studio, nihil cunctata. — *spargens horret capillis*, docta inversione pro, horrens cap. asperis spargit aquas per totam domum, lustrat eam aqua Avernali. *Horret capillis asperis*, φρίσσει ὀρθὰς τρίχας (ut Hesiod. Sc. Herc. 391. de apro), hirtam, erectam comam habet, echini aculeati instar. Calpurn. Ecl. VI. 13. *hirsuta spinosior histrice barba.* Ena-

tum inde proverbium ἐχίνου τραχύτερος, de quo adi Erasm. Adag. p. 474. — *Aper currens*, a canibus latibulo exagitatus, atque in venatores objectos subsidentesque incurrens, Stat. Theb. XI. 530. *Fulmineos veluti praeceps quum* cominus egit *ira sues*, *strictisque erexit pectora saetis* cet. Sil. Ital. I. 421. *Fulmineus ceu Spartanis latratibus actus*, *quum silvam occursu venantum perdidit*, *hirto horrescit saetis tergo et postrema capessit proelia.*

v. 29. Veja scrobem fodit, cui puer indatur. *Abacta nulla conscientia*, tantum abfuit, ut ab opere tam inhumano, sceleris cui illam pararet, conscientia absterreretur, ut potius *ingemeret*, insudaret *labori*, summis viribus ad maturandum opus incumberet, impigre ei sese accingeret. Forte tamen posterius simpliciter de duro labore accipiendum, cui vetulae istius vires haud sufficerent. Similiter *ingemere agris*, *illaborare domibus*, Tacitus Germ. 46. extr. — *lig. duris* naturali ferri epitheto, ut *bipennes durae* IV. 4. 57. et passim. Mire argutantur intpp. — 32. Quo defoderetur puer, ut *dapis bis terque mutatae spectaculo inemori posset*, h. ut dapum exquisitissimarum, quae adponerentur, ac per momenta, acuendae cupiditatis ejus causa, cum aliis permutarentur, desiderio lente conficeretur; miserrimaque morte periret. *Inemori spectaculo dapis*, ἐνθανεῖν τῇ ὄψει, pro mori defixis in dapes oculis, spectando dapes enecari. — *posset*, otiosa περιφράσει, ut saepissime. — *die longo*, qui puero fame excruciato longissimus videbatur; ut I. 25. 7. Contortior junctura foret: *longo spectaculo.* — 35. *promineret ore*, exstaret terra, mento tenus; pro hoc ornatius poeta: *quantum corpora natantium aqua exstant mento suspensa*, elevata, sursum erecta; sed alterum plane ex oculorum sensu. Hebetiorem tamen visum prodidit Scalig. Hypercrit. p. 342. patibulum circumspiciendo, quum de poetica ratione quaerendum fuisset. — 37. 38. Breviter pro, ut medulla et jecur exsugeretur, arefieret fame ac siti, sicque temperando amoris poculo idonea essent. *Medulla exsucta*, retorrida, exsiccata, succo per famen subducto. *Amoris poculum*, φίλτρον, potio amorem injiciens alteri; paranda h. l. e medulla et jecinore, tanquam amoris sede. Vid. ad I. 13. 4. Arefactis autem, idque e longo desiderio, opus erat, ut alter, qui peteretur, similiter amore consumeretur. Apud Theocr. II. 58. lacerta ξηρανθεῖσα (ut Schol. notat) cumque farina contrita

philtro adhibetur, eadem ratione. Pervulgatissimum autem, de gravi amore dici, *exedere cor*, *animum*, *medullas*, *Amorem exsugere sanguinem* et sim. Hinc facile perspicitur, omnem hujus philtri efficaciam in metaphorico loquendi usu verti. — 39. 40. Quum semel *pupulae cibo intabuissent*, h. quum oculi defixis in cibum pupulis defecissent atque obriguissent. Τάκεσθαι ὀφθαλμοὺς Theocr. I. 91. *Pupulae*, κόραι, interior oculi tunica, quae lucis radios excipit, per quam adeo cernimus. Cf. Lucret. III. 409. *interminato*, interdicto, cujus potiundi copia non erat. — *semel* arcte τῷ *fixae* jungendum; sunt adeo pupulae, quae immota acie cibis inhaerent prae nimio desiderio. Male Torrent. et alii.

v. 41 *sqq.* Ex rumore tantum, qui Neapoli ejusque vicinia percrebuerit, poeta ponit, Foliam detestando huic sacro magico interfuisse; in quo summa amaritudo est. Inde enim colligendum dat, Foliam maxima apud Neapolitanos maleficiorum, quae per artis suae exercitium ibi fecisset, infamia notatam perustamque fuisse, adeo quidem, ut facile in animum inducerent, eidem in exsecrando hoc facinore partes suas fuisse. — *Non defuisse* forte cum vi, gnaviter, strenue se in isto negotio gessisse. — *masculae libidinis*, τριβάδα, de qua prodigiosa Venere Martial. I. 91. et Juven. VI. 310. Neapolis *otiosa*, quo secedere solebant Romani, amoenitate regionis invitati. Unde *in otia natam Parthenopen* adpellat Ovid. Metam. XV. 711. Ad docta otia Musarum, quae ibi viguerint, a nonnullis referri videas; sed h. l. utique et in Ovidio, generatim accipere praestat. Ornat adeo simpliciter h. l. Paullo enim argutius fieri existimen, si ad sententiam accommodare velis; quae vacat magicarum artium praestigiis, delectatur iis. — 45. 46. Folia, potentissima pharmacentria. Pro hoc, declarandae ejus potentiae causa, *qua lunam et sidera excantata coelo deripit* h. cantu movet ac in terram deducit, tralatitia teratologia. *Excantare*, ἐκσοβεῖν, ἐκκρούειν, proprium artis verbum inde a XII. tabulis: *qui fruges excantasset* cet. Cf. Broukh. ad Prop. 2. 49. — *voce Thessala*, carmine magico, ut saepius.

v. 47. *Hic*, rebus omnibus rite praeparatis, Canidia incantationem peragit. Habitum animi ejus, ira atque indignatione, quod amorem Vari alio conversum animadverteret, aestuantis praeclare atque ἐναργῶς exprimunt adjecta: *rodens pollicem ir-*

resectum, ungues irresectos admordens *dente livido*, vel proprie ad notandam ejus deformitatem, vel causam furoris continet, ex Zelotypia excitati. Martial. IV. 26. 5. *Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues. Pollicem* ira furentis *usque ad periculum rosum* e Petronio laudat Cruquii Schol. Adde Propert. II. 3. 3. *Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues*, *et crepitum dubio suscitet ira pede* et III. 23. 24. *Ungue meam morso saepe querere fidem.* Hinc *saeva*, furibunda, animi impotens; vel, si ad rem trahas, atrocia meditans; adposito, utrovis modo accipias, epitheto. — *irresectum*, ex more veneficarum. Cf. Serm. I. 8. 26. — 49. *Quid dixit? aut quid tacuit?* paullo quaesitius pro, fanda, nefanda, ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα h. horrenda, atrocia eloquuta est; omnino pro, carmen dirum, incantationem exorsa est. Inest simul furoris, quo illam peragit, notatio.

v. 49. *sqq.* Cum hac invocatione conf. Ovid. Met. VII. 192. sqq. Senec. Med. 740 sqq. et Lucan. VI. 695 sqq. Noctem et Dianam invocat, utpote sacri nocturni praesides. Unde *arbitras*, testes, conscias, praesentes adpellat *rebus suis*, quae moliatur, *non infideles*, vel, quae fidem praestent in tacendis, quae videant, taciturnas; ut Ovid. l. l. *Nox*, ait, arcanis *fidissima tuque triceps Hecate quae coeptis conscia nostris adjutrixque venis*, vel, quod doctius, quae certam mihi opem fertis, quae auxilio me vestro numquam destituistis; hocque adpositius videtur v. 53. — *Silentium regis*, efficis: dum per noctem, cujus proprium est silentium, luces, adpares, *arcana cum fiunt sacra*, quo tempore sacris magicis operamur, fere ut Senec. Med. 6. *tacitisque praebens conscium sacris jubar Hecate triformis*; ita simpliciter ornans esset epitheton, Luna νυκτιφαής, noctiluca; quo eodem ornatu Statio Theb. X. 365. *arcanae moderatrix Cynthia noctis* audit. Forte tamen concinnior altera est haec ratio: quae silentium praestas, ut arcana sacra rite peragi possint; ut alludat poeta ad εὐφημίαν, in solennibus sacris a praecone indici solitam. — 53. *nunc in hostiles domos iram atque numen vertite*, ex antiquo precandi ritu (vid. ad I. 21. extr.) pro, mihi propitiae sitis, ira vestra in hostes ablegata. Male plerique cum Schol.: in Varum vestram iram effundite.

v. 55. *sqq.* Agedum efficite, ut Varus intempesta nocte ad me compellatur. In enuntianda hac sententia adfectui loquentis

praeclare adcommodata a poeta oratio, Varum *senem adulterum*, h. meretrices Suburanas sectantem (quod docte *canibus Suburanis* innuit poeta) idque *nardo perunctum* seu unguentatum indigitando, in quo utroque; in sene deprehenso, summum dedecus. Nota Ovidii: *Turpe senex miles, turpe senilis amor.* Cf. Tib. I. 2. extr. Ad alterum Plaut. Cas. II. 3. 22. *vix teneor, quin, quae decent te, dicam. Senecta aetate unguentatus per vias, ignave, incedis?* Ad haec igitur spectant verba: *quod omnes rideant*, quo importuna ejus libido palam fiat atque derideatur; quamquam ipsam Canidiam, quae talem pusionem tam efflictim periret, traducere voluisse Horatius putandus est. Alterum quod Canidiae iram mirifice decet, in eo est, quod canum latratu atque insectatione Varum ad se agi cupiat. Ita enim accipienda verba, *latrent* h. latrando persequantur (ut in illo Petronii (Poet. min. IV. p. 286.): *canis in somnis leporis vestigia latrat*) abigant e Suburra *canes*, et ad me compellant; quod ex adornatione rerum suppleri debere arguit v. 60. ubi redeuntem Varum opperiens Canidia inducitur, quamquam frustra, *Suburra*, Romae regio, meretricibus ibi quaestum facientibus famosissima. Laudant Pers. V. 32. Pessime autem Cruqu. Schol. jungit; quod omnes rideant, *et* (haud dubie post *adulterum* inserto) latrent S. canes, hoc sensu: cum eo jocentur, eum derideant canes Suburanae, i. e. meretrices de Subura. Noctem intempestam suaviter designant; *dum ferae, dulci sopore languidae*, oppressae, fessae (ut in Homerico: ἀδδηκότες ὕπνῳ; vid. ad III. 4. 11.) *silvis latent*, in latibulis suis quiescunt. *Quum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres*, similiter in mediae noctis descriptione Virg. Aen. IV. 525. Mire argutantur Schol. Cruqu. et Baxt. — 59. 60. *nardo, quale* ἀπὸ κοινοῦ, structura Graecis familiari, pro, cujus generis s. quale unguentum *nec meae manus perfectius*, melius, *laborarint*, ἐκπονήσαιεν ἄν, adeoque exquisitissimum; auget ridiculi speciem. Male de philtro cum Cruqu. Schol. congitabat Gesn. Dacer. autem venenum intelligebat, quod Canidia Vari imagunculae, quam in manibus teneret, adspersisset; haud magis probabiliter.

v. 61. *sqq.* Ante hunc versum Canidia incantationem, qua Varum cum summo dedecore ejus ex meretricum lustris exagitatum ad se revocare conabatur, sistere, Varique adventum exspectare putanda; quae ubi longe secus, quam ab venenorum ef-

ficacia sperari poterat (vv. 61 — 68.) rem procedere animadvertit, de fraude alius veneficae, cui Varus obnoxius esset, nonnihil suspicata, ad majorem incantationem accingitur, quam nulla opposita vis magica infringat ac destruat. Eadem fere rei adornatio in Virg. Ecl. VIII. 101. ubi fortissima remedia itidem extremo loco adhibita videas. — *Quid accidit* cet. Quid causae est, cur praesentissima venena efficaciam suam in Varo perdiderint, Varum non arcessant? Venena sua *Medeae* vocat h. Medeae venenis aequipollentia, ac iis quidem, quae maximam vim exseruerint (63 sqq.), plane ut sua praedicat Theocritea pharmaceutria II. 15. φάρμακα ταῦθ' ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκης, μήτε τι Μηδείας, μήτε ξανθᾶς Περιμήδας. Tibull. I. 2. 51. de saga: *Sola tenere malas Medeae dicitur herbas.* In tanta luce mireris utique, interpretes contortam hanc et ad sensum ineptam rationem sequi potuisse; cur mea venena minus valent, efficacia sunt, quam Medeae? Ita Rutgers. quoque Lectt. Ven. X. p. 286 ut Scaligeri (Poet. VI. 342.) praeposteras cavillationes mittam. — *dira*, vel omnino ornat, φάρμακα λοίγια, οὐλόμενα, qualia Circes Homerus vocat, vel effectus respicit, quos dirissimos Medeae venena in Creusa habuere. — *barbarae*, Colchicae, notissima adpellationis ratione. — 63 sqq. *quibus* pallam, Creusae muneri mittendam, infecit. — *ulta fugit pellicem*, plane ut c. III. 14. *Hoc delibuta donis ulta pellicem serpente fugit alite.* — *superbam* ad generis quidem regii nobilitatem haud inepte referas, etiam propter adi. *magni Creontis filiam*; praestat tamen, respectu Medeae ab Iasone rejectae, dictum, accipere pro, praelatam sibi, ideoque se susque deque habentem; quod ipsum acuebat ultionem Medeae. — 65. *palla*, *tabo*, h. veneno *munus imbutum*, ornate pro, palla, quam novae nuptae dono misisset, veneno infecta, tincta, *incendio* eam *abstulit* consumsit, conflagravit ea induta Glauce s. juxta alios, Creusa. — 67. 68. Atqui nullum in velocissimis venenis conquirendis laborem defugi, omnia tentavi. — *me non fefellit*, οὐκ ἔλαθε, non fugit, rimata sum herbas ac radices *in locis asperis*, inter rupes *latentes*, nascentes. In his enim virtus praecipua. Lucan. VI 438. *Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes rupibus ingenuit.* Ad aconita in specie refert Lambinus, *quae nascantur dura vivacia caute*, juxta Ovid. Met. VII. 418.

v. 69. 70. Sententia esse videtur: neque tamen quidquam promoveo, mei ille plane oblitus est, *nihil ille deos, nil carmina curat*, Virg. Ecl. VIII. 103. Pro hoc poeta seu Canidia, adjecta morae ejus causa: *indormit pellicum cubilibus*, detinetur aliarum feminarum amoribus districtus, mei prorsus immemor. Pro hoc cubilia *uncta*, perfusa dicit *oblivione*, inducentia oblivionem; quatenus Varum ita tenent, ut medicamine, oblivionem *omnium* aliarum rerum; adeoque etiam Canidiae) inducente irrigata videantur. In qua ratione nihil plane est, quod recte offendat, nisi forte τὸ *omnium*, quod, absolute acceptum, nimis ambigue a poeta positum videri possit. Si igitur *omnium pellicum* jungas, generatim accipiendum erit: omnium aliarum feminarum cubilia perambulat (ut de Caesare Catull. XXIX. 8.) illarum amore flagrat, me neglecta, mei solius oblitus. Alii cum Scholl. jungunt: indormit cubilibus, omnium pellicum oblivione unctis, quod Klotzius maxime hac satis speciosa interpretatione exornavit: omnia tentavi, omnes radices et herbas adhibui: indormit Varus cubilibus, unctis succis et herbis, quae reliquarum omnium pellicum, praeterquam mei, oblivionem inducere valent et debent. Tamen nil prosunt nunc cet. Sed veneficii ratio, quae ita infertur, inaudita prorsus atque importuna h. l., Varo in lustris Suburanis degente; tum elocutio sententiae obscura admodum est ac dura. Quod Scholl. habent: dormit oblitus omnium pellicum, suique adeo, hoc refragatur vv. 57. 58. et mire languet.

v. 71. Etiam haec, interposita aliqua mora, subjici putanda a Canidia, impedimenti causam acquirente; quam animo subito objectam τῷ *ah! ah!* declarat poeta. Dolentis vocem statuit Schol. Cruqu. — *solutus ambulat*, ornate et ad notandam Vari incuriam praeclare pro, solutus est, veneficia mea repelluntur, ipsorum vim retundit *carmen* s. incantatio efficacior veneficae cujuspiam *scientioris*, quae se peritiorem jactat, gravior incantatio Varum tutum praestat a mea, qua hactenus usus sum: igitur (pergit Canidia v. 73.) potentiore opus esse intelligo, qua istam destructum iri Varumque mihi obsequentissimum fore certa sim. *Solvi* ac *defigi* verba propria in re magica. Vid. ad I. 27. 21. Hoc loco notatu dignum est, quod saga adversus sagam artis suae experimentum facit, alterius vim inhibitura.

v. 73. Duobus fere, quae sequuntur, accipi possunt modis. Alter continuat orationem: Alia te exsolvit meo carmine venefica, video adeo, te non usitatis his potionibus ad me recursurum, *neque* cet.; ergo *majus parabo* cet. Sed ἐναργεστέρῃ, ac propter interjecta, *o multa flet. caput*, verior haec altera ratio: *Non usitata potione*, quaesitiore, potentiore incantationis genere *ad me recurres*, efficiam, ut ad me redeas (sed delecte *recurres* ad vim istius potionis declarandam), *nec vocata* cet. adeo quidem, ut, ubi semel ad me recurreris, *mens, tua*, tu, quamquam *voceris*, avoceris a me *Marsis vocibus*, quamquam te iterum saga quaepiam a me alienare, meo carmine exsolvere cupiat, non rediturus sis, ut nulla iterum a meo te amore saga expeditura sit. *Majus enim parabo* cet., quae ultima ἐπεξηγητικῶς adjecta, loquentis adfectui mirifice accommodata. Posterius comma: *nec vocata mens tua redibit*, ita fere accipi video: mens tua, magico carmine semel a me evocata, nunquam redibit h. sana mens, ubi semel tibi carmine meo exciderit, semel alienata erit, nunquam tibi reddetur, amore semper insanies; quod quidem adstruere licet Ovid. A. A. II. 106. *philtra nocent animis, vimque furoris habent*: sed expeditior atque concinnior altera ratio videtur. *Marsae voces* ut *Marsa naenia* infra XVII. 29. *Marsus cantus* Ovid. Med. Fac. 39. vid. ad Sil. VIII. 496. — *o multa fleturum caput*, qua quidem potione misere excruciaberis, solenni apud Graecos comminationis formula, πόλλ᾽ οἰμώξεις. Vid. Lamb. Rem eventum habuisse adparet ex c. XVII. init. ubi Varus animi angorem atque cruciatus, quos Canidiae incantatio sibi conciverit, ipse expedit. Male nonnulli: pessime te tractabo, ubi te iterum potestati meae subjecero. — 77. *majus poculum*, majoris efficaciae *infundam*, miscebo, temperabo tibi poculum. — *fastidienti*, venuste admodum adjectum, qui priora pharmaca fastidieris, aspernatus sis, ipsis vim abjudicaveris. Minus docte Lamb. fastidienti me.

v. 79 — 81. Priusque omnis rerum per naturam ordo confundetur, adeo quidem, ut, quod ex naturae legibus effici nequit, levissima imum, gravissima contra summum locum occupent; *quam non* cet. Ἀδύνατον hoc docte et ornate extulit poeta. Coelum *sidet*, *inferius* subsidet, ita ut inferius sit *mari*, mare ei superfundetur, *tellure porrecta super*, et huic tellus superinsternetur, plane inverso ordine; nam ex antiqua opinione coe-

lum summum, terra medium et aqua ultimum locum possidere credita. Cf. Ovid. Met. I. 26 — 31. — 81. 82. Nisi *meo amore* sic flagres, mei desiderio ita incendaris, consumaris, *uti bitumen his ignibus*, comparatione a re praesenti desumta. Bituminis enim usus in his sacris notus vel e Virg. Ecl. VIII. 82. idque propter spissum fumum, quem illud egerit (hinc *fumans bit.* Ovid. Met. XIV. 792.), tali sacro, quod ad inferos pertinet, accommodum. Unde *atros i.* adpellat, h. crasso fumo circumvolutos; ut *atro lumine fumantes taedas* Virg. Aen. VII. 457. Alii aliter. Ceterum his respondent Vari verba (XVII. 30.), *o mare et terra! ardeo, quantum neque* cet.

v. 83 *sqq.* Inter funestum hunc adparatum furoremque Canidiae, ultima experiri statuentis, puer, salutis spem prorsus decollatam, seque ad extremas lineas admotum animadvertens: ne sua mors impune Canidiae esset, jam ad imprecationes, quae sola miseri sui fati reliqua videbat solatia, convertitur, quas quidem imbecillis adversus atroces fortioris injurias munimentum esse volebat prisca religio, diis ultionem demandando, quam ipsi optinere haud possent. Ita Drusus, *exspes vitae, meditatas compositasque diras imprecatur Tiberio* apud Tacit. Ann. IV. 24. *Sub haec*, debacchante ita Canidia, puer non amplius *mollibus verbis lenire*, μειλιχίοις ἔπεσι καθάπτεσθαι, μαλακοῖς λόγοις θέλγειν (Hom. Od. I. 56. XXIV. 392.), h. precibus, quibus pertinacem istarum saevitiam frangeret, eas ad misericordiam perduceret, adgredi statuit *impias*, scelestas, graviter pro, illas mulieres. — 85. 86. *Dubius*, praepeditus irae impotentia, prae ira nescius, *unde rumperet silentium*, unde loquendi initium faceret, quid primum in maleficas istas mulieres evomeret, animo atrocissima quaeque, quae iram suam explicarent, circumspiciente. Sicque statim diris simis exsecrationibus agere constituit. *Preces Thyesteae*, ἀραὶ, exsecrationes horrendae, atroces; quales Thyestae in Atreum fuere. *Mittere preces*, ut *mittere vocem*, ἱέναι φωνὴν, adeoque precari, devovere h. l.

v. 87 — 90. Vix ullum Horatianum locum dari arbitror, in quo magis tumultuati hariolatique sint interpretes, suum quisque sensum secuti, quam hic. Nec mirum utique, quum sententiae paullo obscurior sit enuntiatio, neque uno modo verborum junctura institui possit. Quod primo utique loco sese offert, est, ut *magnum fas nefasque* adpositio τοῦ *venena* habeatur; sed quo

idoneo sensu (Schol. enim Cruqu. ineptas argutias nihil moror) venena magnum fas dici queant, quae semper nefas putata sint, nec liquet, et, si vel maxime liqueret, vix dicas, quae hujus adpositionis esset vis ad totam sententiam, quae et ipsa inde laborat. Igitur praestat ista verba ad sententiam trahere hac interpretatione: *Venena* φάρμακα, veneficia, incantationes, *valent*, hoc quidem efficere possunt, ut *fas nefasque convertant*, commutent, commisceant, confundant: atrocissima quidem facinora patrare possunt: *non* item *humanam vicem* ἀμοιβὴν, *convertere*, immutare possunt, ita ut ultionem s. vindictam istorum scelerum effugiant. — Γνωμικῶς haec a poeta elata, ad sensum ita revocanda: Vos veneficae atrocissimum jam in me scelus designaturae estis, cujus tamen poenam nullis incantamentis, nullis herbis, avertere potestis, cujus vos certissima vindicta manet. Quam quo minus effugiatis, diris vos defigam cet. Jam intelligitur; cur τὸ *valent* ad posterius comma, ad quod proxime spectat, rejecerit poeta. Atque haec demum sententia videtur commoda, pueroque atque poeta adeo digna. Restat, ut quae enuntiatae e linguae legibus sententiae ratio sit, doceatur. *Fas nefasque convertere*; conturbare pro, nefanda perpetrare, solenne ex usu loquendi poetico. Vid. ad I. 18. 10. *Fas magnum*, venerandum, quod non impune laeditur, conculcatur; adposito epitheto. Ita *magni dii* infra 15. 3. *Justitia potens* II. 17. 15. et sim. *Vices humanae*, poenae (vid. ad I. 28. 32.) quibus homines obnoxii sunt, quae fato s. divinitus constitutae sunt in homines, idque, quod contextus ratio docet, improbos, scelestos. Longius petitum est, si *v. humanas* explices poenas, quas homines a diis infligendas ex imprecationibus poscunt, quas quidem subterfugere haud liceat, quum aliae precibus, victimis, καθαρμοῖς averti possint; quamquam adposite ad sqq. — 89. 90. *Diris* vos *agam*, quaesite dictum videri possit pro: invocabo Diras seu Furias excitabo, quae vos agitent, persequantur (uti Clytaemnestra Furias Orestae ἐπισείειν dicitur Eurip. Or. 941.); quarum selennis in devotionibus invocatio; v. c. Catull. LXIV. 192 sqq. Sed obstant sequentia. Igitur simpliciter accipiendum; diris vos devovebo, exsecrabor vos. *Agunt* dirae, quatenus poena, diris expetita, sontem persequitur, urget; vel, quod simplicius, quatenus certus poenarum, diris intentatarum, eventus reum agit, h. inquietat, excruciat, angit; unde mox *inquie-*

ta praecordia. Liv. XL. 56. *umbrae insontis interemti filii eum diris agitabant.* — *dira detestatio* cet. Simplicior continuatio erat; diris a. v., nulla victima expiandis. Sed ornatior et explicatior poeta. — *Dira detestatio*, dirarum imprecatio (nam *detestatio* fit, quando deos ultores vindicesque injuriae testamur, comprecamur. Plenius Plin. Epp. II. 20. *iram deorum in caput pueri detestari.*) h. ira, deorum diris excitata, *nulla victima*, nullis sacrificiis *expiatur*, averruncari potest. Cf. omnino I. 28. 31. sqq.

v. 91. *Quin*, neque his contentus, exsatiatus, ipse, ubi *exspiravero* animam, vitam (ita ἐκπνέειν simpliciter Eurip. Electr. 1220. et passim), *perire jussus*, cujus quidem miserandae necis vos auctores estis, adeoque post mortem omnibus vos excruciabo modis, poenas a vobis exigam. Has speciatim adnumerat poeta, revocatis ad Furiarum ministeria coloribus. *Nocturnos occurram Furor*, noctu me vobis objiciam, vos exterrebo Furiali habitu: sed *Furorem* posuit poeta, quum de puero agatur. Apte ad rem Torrent. laudat Suet. Ner. 34. de Nerone; *neque sceleris conscientiam — ferre potuit, saepe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum ac taedis candentibus.* Similiter moribunda Dido apud Virgil. Aen. IV. 384. *Sequar atris ignibus absens, et, quum frigida mors anima seduxerit artus, omnibus umbra locis adero.* Nostrum respexit Quinctil. Decl. 314. *Sunt illa vera, quae extremo miseri spiritu dicebantur, Dabis mihi, scelerate, poenas: persequar quandoque et occurram.* — *Nocturnus*, nam *nocte vagae feruntur* (Propert. IV. 7. 89.) umbrae; tum major terroris species inest. — 93 *petam*, impetam, involabo in vultus vestros, eosque dilacerabo *unguibus* Ovid. in Ibin 146. *Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum, insequar et vultus ossea forma tuos.* — 94. *Quae vis Deorum Manium est*, qua potestate gaudent Manes, sc. ut insectentur eos, a quibus peremti fuerint. Insignis in hanc rem locus est Valer. Flacc. III. 386. *patet illis* (misere necatis) *janua leti, atque iterum remeare licet: comes una Sororum additur — — quisque suos sontes inimicaque pectora poenis implicat, et varia meritos formidine pulsat.* Enate inde φάσματα s. terriculamenta nocturna, quae Ἐριννύων πρόσωπα adpellat Aelian. H. V. L. IX. 29. *Dii manes* adposita adpellatione, in declaranda eorum potentia. Male totum locum cepit Dac. — 95. *Ad-*

sidens non quod alias est, fovendi, solandique causa, sed ut continuo vexet, angat *praecordia*, animum, quod alias de Cura, Amore cet. dicitur. — *pavore* injecto *somnos auferam*, excutiam, abigam. Cf. II. 16. 15. Ceterum ultimis h. vv. totius figmenti rationem respici ac tangi, in promtu est animadvertere. Luculentus in hanc rem exstat Ciceronis locus (Pro Rosc. c 24): *Nolite putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos, qui aliquid impie sceleratequе commiserint, agitari ac perterreri Furiarum taedis ardentibus; sua quemque fraus et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque adficit: suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Hae sunt impiis* assiduae domesticaeque *Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant.*

v. 97. Praeclare *contundet — different*, tanquam de re, certissimum eventum habitura; pro, precor ut cet. Ad exsecrationem hos vv. pertinere, vix opus est monere. *Turba*, concitata scelerum vestrorum atrocitate multitudo hominum vos *vicatim*, per omnes vicos insectata *hinc et hinc*, undique *saxis petens contundet*, lapidibus obruet, ad necem usque lapidabit. — *obscoenas*, abominandas, detestandas, scelestas *anus*. — 99. *Post*; ubi lapidibus peremtae fueritis, corpora vestra *insepulta* jacebunt, projicientur in monte Esquilino; *lupis*; atque *alitibus differenda* discerpenda, iis praedae relicta; quod utrumque extremae miseriae habitum, ut in vulgus notum. Similis imprecatio apud Martial. X. 5. 10. *Et, quum supremae fila venerint horae, diesque tardus, Sentiat canum litem*; quod *differendi* notionem plane repraesentat. In aggere autem s. colle extra portam Esquilinam „locum sepulcrorum, ad corpora pauperum, aut sceleratorum comburenda aut canibus projicienda, fuisse" monent Schol. ad h. l. et ad Serm. I. 8. 1[illegible]. Hunc docte poeta indigitat *Esquilinis alitibus.* — 101. 2. *Non effugerit parentes hoc spectaculum*, fruentur, exsatiabunt sese parentes mei hoc miserabili exitii vestri spectaculo; utinam hoc ex vestrum supplicio solatium iis contingat! In *heu mihi superstites* magnum πάθος; non tam miserandum fatum suum, quamquam et hoc, dolet puer, quam quod, turbato naturae ordine, parentes suos immatura morte sua graviter adfligat.



ARGUMENTUM VI.



Invehitur Horatius hoc carmine in hominem, qui integrae famae homines, maximeque eos, a quibus nihil sibi periculi metuendum esset, maledictis laceraret, quique ostenso aliquo lucello statim obmutesceret, atque a convitiando absisteret. Quae ne impune ei essent intemperiae, utque aliquando pravae isti libidini modum figeret, ultro eum adgreditur, exprobrataque acerbe ignavia ac timiditate ejus in se his iambis irritari conatur poeta. Quod quidem ἀλληγορικῶς ita instituit, ut eum cum cane, latratu praetereuntes quosque territante, objectaque ossa conticescente comparet, se contra animosissimum atque acerrimum canem ferat, qui non nisi in ferociori quocunque animali virtutis suae experimentum faciat. Cassium Severum, hominem sordidae originis vitaeque maleficae (Tacit. Ann. IV. 21.), *qui viros ac feminas illustres procacibus scriptis diffamaret (Id. Ann. I.* 72.), *adeo quidem, ut Augustus, istac libidine commotus cognitionem de famosis libellis tractandam decerneret, a poeta designari notarique tradunt Scholl. idemque nomen plerique Codd. et edd. vett. praeferunt; quos quidem quo minus sequendos statuamus, quamquam nihil impediat; quae enim Gesnerus contra monuit, adulationem, quae v.* 9. 10. *ei objicitur, in hominem vix cadere, qui, quod idem Tacitus refert, ob improbam linguam Cretam amotus sit, et in Seriphiis saxis consenuerit, neminem facile morabuntur, qui*

Cassium non adulando h blanditiis atque obsequiis sed dicacitate sua invitis fere munera ista extorsisse reputaverit, quum tamen plures, Cassio similes, canina ista facundia infames Romae ista aetate exstitisse haud absurdum sit credere, consultius videtur, rem in medio relinquere.

Adnotationes.

v. 1. Quid *vexas*, incessis latratu, allatras *hospites*, homines tibi plane ignotos, obvios quosque, adeoque *immerentes*, nulla te injuria lacessentes, ab iis non irritatus? h. quid conviciaris, maledictis insectaris, quemquem adspicis? *Latrare*, ut gr. ὑλακτεῖν, βαΰζειν, solenne de conviciandi libidine, contumeliosaque insectatione. Aristoph. Tesmoph. 902. βάϋζε τοὐμὸν σῶμα βάλλουσα ψόγῳ. Id. Vesp. 1393. Αἴσωπον — θρασεῖα καὶ μεθύση τις ὑλακτεῖ κύνων sc. ἀρτόπωλις. Vid. Valken. ad Phalar. Epp. p. XV. et ad Ammon. p. 231. Martial. II. 61. 5. *Uteris ore aliter, nimiaque aerugine captus allatras nomen quid tibi cunque datum est.* Id. V. 60. 1. *Allatres licet usque nos et usque, et gannitibus improbis lacessas — — nos hac a scabie tenemus ungues*, Facundia inde *canina* rabulis forensibus tributa. Colum praef. 9. *ne caninum quidem studium praestantius locupletissimum quemque allatrandi, et contra innocentes e pro nocentibus — — concessum intra moenia et in ipso foro latrocinium*; et κύων κατήγορος constitutus in Aristophanis Vespis. Cf. Cic. pro Rosc. Am. 1. 20. — *hospites* obvios quosque vocat, canis domestici, qui omnes, qui extra familiam sunt, allatrat, ratione habita. — 2. *Ignavus*, imbellis, timidus, *adversum lupos*, adversus fortes, audaces, promtos paratosque ad propulsandas injurias, ubi haud impune te laturum intelligis. Adprime huc facit Pind. Pyth. II. 154. φίλον εἴη φιλεῖν· ποτὶ δ' ἐχθρὸν ἅτ' ἐχθρὸς ἐὼν λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι.

v. 3. *Quin* est exhortantis, age vero, quidni potius *huc*, in me, *si potes*, sustines, audes, *vertis minas*, mihi malum minitaris latratu tuo, *me allatras*. — *inanes*, utpote canis timidi et ignavi. — 4. et me impetis satis animi habentem tecum congre-

di; pro quo fortius est, *remorsurum*, qui vanas tuas minas morsu graviter vindicaturus sum. Verbi compositi vis in oppositione sola quaerenda; audacter resistam tibi; nam morsus alterius canis inanes ejus minae excludunt. Nisi ad mordacia ejus dicta referre malis, quo tamen poetae parum consulas. Comparat autem poeta se fortiori animosiorique cani, hancque comparationem ἀλληγορικῶς in seqq. persequitur.

v. 5 — 8. Acerrimorum enim canum instar cuicumque ferae fortiter instabo pertinacique eam alacritate persequar. Est adeo oppositio v. 2. *ignavus adversum lupos.* Pro acerrimis canibus sunt Molossi s. Epirotici, *amica vis pastoribus*, robore suo pastoribus commendatissimi. Virg. Ge. III. 406. *Nunquam custodibus illis* (Spartae catulis aerique Molosso) *nocturnum stabulis furem, incursusque luporum — horrebis. Genus est audax avidumque ferae* de spartanis Senec. Hippol. 35. Cf. Varro II. 9. 6. — 7. 8. *Agam quaecunque praecedet fera*, graeca structura et ornate pro, quamcumque feram insectabor. *Per altas nives* et *aure sublata*, ὀρθῇ, praeclare ad studii pertinaciam et alacritatem declarandam adjecta. Callim. H. Del. 230. οὔατα δ' αὐτῆς ὀρθὰ μάλ'; nam timidorum est, aures demittere.

v. 9. 10. Tum contra sola lucri spe maledictis tuis homines incessis, os tibi obturari vis. Pro hoc, servata allegoria, *ubi voce tim. complesti nemus*, omnino pro, ubi ingentes clamores, latratus, edidisti (nam alterum de cane venatico, quod in hunc proprie non cadit propter v. seq.), *odoraris* statim, investigas, circumspicis, si quis tibi cibus objectus sit, quo mansuetior fias. Similis sunt coloris illa Martialis (IV. 53. 6.): *Cui dat latratos obvia turba cibos, esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa. Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? canis.*

v. 11. 12. *Cave, cave* solennis hujus de vitando malo admonendi formulae iteratio. Vid. Intpp. ad illa Petron. c. 35. *Cave, cave canem.* — namque in *malos*, qui immerentes vexant, *asperrimus* sum, efferatissima ira odioque feror, insurgo, adversarios mihi eos deposco ac destino. Παροιμιακῶς haec poeta, desumta a tauro feroci ac petulco imagine: *parata tollo cornua*, promtissimus sum, cornibus impetere, tauri instar efferor, εἰς κέρας θυμοῦμαι. Idem usus τοῦ ταυροῦσθαι apud Graecos; veluti Aeschyl. Choeph. 272. Eurip. Med. 92. Plaut. Pseud. IV. 3. 5. *ne nunc mihi obvortat cornua*, h. obnitatur, adversetur.

v. 13. Archilochi instar, Lycamben quod pactam sibi filiam, Neobulen, alteri collocasset, iamborum contumelia ad laqueum compellentis. Initium istorum exstat apud Hephaest. p. 70. Adposita adeo adpellatione h. l. audit *gener Lycambae*, a Lycambe repudiatus; ob hoc ipsum enim rabiosum iambum in socerum strinxerat. Cf. Epp. I. 19. 25. Rem passim attigere poetae in Anthologiorum fascem collecti, veluti Meleag. LI. 3. Cn. Lentulus Gaet. c. VI. in Anal. Br. II. 167. — 14. Aut veluti Hipponax, acerrimis in Bupalum et Anthermum iambis invectus, quod imaginem suam, foeditate notabilem, ridentium circulis proposuissent, Plin. XXXVI. 5. De eo est Philippi c. LXXXIII. (Anal. Br. II. 235.).

v. 15. 16. An impune mihi obtrectari patiar, aliorum contumelias patienter feram? Archilochia sententia apud Suid. v. καταπροΐξεται· ἐμεῦ δ' ἐκεῖνος οὐ καταπροΐξεται, ex emendatiore Toupii (ad Suid. II. p. 76.) lectione. — *Ater dens* maledicentiae obtrectationisque proprius. Martial. V. 28. 7. *Rubiginosis cuncta dentibus rodit*, et passim. — 16. *ut puer inultus*, qui, quum illatam injuriam ulcisci nequeat, inani fletu dolorem suum solatur.

ARGUMENTUM VII.

Devicto atque occiso S. Pompejo, Lepidoque armis exuto, quum respublica, diutinis bellis civilibus fessa, respirandi aliquando tempus nacta esse videretur, haud multo post (a. U. DCCXXII.) simultates, quae aliquamdiu Octaviano cum Antonio intercesserant, impatiente consortis imperio, prorumpere et ad vim spectare coepere: unde, maxime quum intentiore cura bellum, quandoquidem ultima experiundi animus esset, utrimque adparare-

tur, in summum remp. discrimen adductum iri in promtu erat perspicere. Contactus igitur hac miseranda patriae suae vice poeta Romanos hoc carmine ab insano integrandi belli civilis consilio avocare adnititur, proposita sceleris, cui se obstricturi essent, atrocitate atque vel belluinam feritatem excedente immanitate, certissimoque, quod in ipsus inde redundaturum sit, exitio. Animatur totum carmen dramatica rerum adornatione, adfectui poetae perquam adcommodata. Rapi nos sentimus in medium discursantium atque arma deposcentium tumultum, poeta instat graviter increpando, summaeque dementiae eos adcusando: illi sceleris pudore confundi neque tamen arreptum cupide ferum dimittere; unde tandem funestissimam hanc cladem ex fatali Deorum ira pristino scelere, quod posteris luendum sit, contracta reip. impendere pronuntiat. Hoc quidem satis prudenter poeta, ne alterutri parti invidiam faceret.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Initio statim poetae erumpit indignatio, atrocitate facinoris, quod in se admissurus esset populus Romanus; plane conturbati; quod ipsum vegeta ac praecipitata oratio insigniter ostendit. Inest simul vivida civilis tumultus ὑποτύπωσις. *Quo ruitis* quanto fortius quam, quid molimini, quid struitis? Nam alterum praeclare praecipitem civium furorem impotentiamque animi adumbrat, qua ad mutuam ipsorum caedem impelluntur. Qua temeritatis notione hoc verbum nec pedestris oratio ponere reformidat. Vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. *Furor* autem. *rabies, insania* obvia ratione bellum civile moventibus adscripta, v. c. Lucan. I. 8. Iidem eadem de causa *scelesti ἐναγεῖς*, dicti, scelus gravissimum, bellum civile, adorti. Cf. I. 2. 29. et 35. 33 qq.

— *aut* egregie confusum poetae animum manifestat; tanquam diversae enuntiationis sit, quae sequitur sententia, quum perspicuitatis causa tantum τοῖς *quo ruitis* subjecta sit. — *cur* iterum enses stringitis? cur novo bello civili accingimini? — enses *conditi* non παρέλκει, sed docte et graviter, qui modo vagina conditi sunt, vixdum finito bello civili. Ultimum, quod respicit poeta, erat inter Octavianum Caesarem et Sex. Pompejum, cujus finem pugna ad Mylas commissa attulerat. — 3. Tanquam parum adhuc *Latini*, nostri, civilis (ut II. 1. 29.) *sanguinis* fusum sit, re Romana multis bellis civilibus jam satis attrita; ut adeo vel hac de causa a novo abstinere oporteat. — *campis atque Neptuno super*, terra marique. Cf. omnino II. 1. 29—36.

v. 5—10. Armis accingimini, quibus non exteras nationes, sed vosmet ipsos perditum itis. Eadem adeo sententia, quae I. 2. 21 sqq. Pro hostibus in genere delecte posuit Carthaginienses, Britannos, et Parthos, quos Romano nomini infestissimos eleganter designat v. 9. In sqq. observa divitias poetae in varianda *perdenti* notione effusas. — ut *arces Carthaginis*, Carthago *ureretur*, incendio vastaretur, exscinderetur, regnum Carthaginiensium everteretur. — *invida Romani imperii aemula* (ut Sallust. Cat. 10.), de principatu contendens cum Roma, infesta Romanis. Quo eodem arrogantiae sensu arces ejus *superbae* dictae, Romanum jugum dedignantes, sibique imperium adserentes. Pro quovis autem graviori hoste Carthaginienses ad partes vocari putandi a poeta, quandoquidem nullum capitaliorem hostem olim experta esset respublica, cujus adeo belli internecini memoria Romanis inusta esset. Nam multo post eversam Carthaginem bella civilia exarsisse, Africamque Augusti tempestate in provinciae formam redactam et in colonos divisam fuisse, satis constat. — 7. 8. Aut ut Britanni perdomarentur, de iis triumpharetur. Adgressus quidem fuerat Jul. Caesar Britannos, ignotos antea, superatisque pecunias et obsides imperavit, juxta Sueton. c. XXV.; speciem tamen magis, quam veram deditionem praestitit ista expeditio. Recte adeo *intactus*, bello quidem tentatus, necdum tamen victus ac perdomitus. — *descenderet Sacra via*, in triumpho duceretur per sacram viam, sed alterum signate, nam ubi pompa triumphalis Clivum Capitolinum adscenderet, triumphati in carcerem *deducebantur*, ibi necandi. Rem expedit Ciceronis locus, a Torr. et Gesn. jam ad partes vocatus, Verr.

V. 30. *At etiam qui triumphant, eoque diutius vivos hostium duces servant, ut, his per triumphum ductis, pulcherrimum spectaculum fructumque victoriae populus Romanus percipere possit: tamen quum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent, idemque dies et victoribus imperii, et victis finem vitae facit.* — *catenatus*, ex more Cf. II. 12. 11. sq. — 9. 10. Sed ut *haec urbs*, cum virtute, hoc *imperii ac gloriae domicilium* (ut Cic. de Orat. I. 105. vocat), hoc splendidissimum imperium suamet manu eversum concideret. Infra XVI. 2. *Suis et ipsa Roma viribus ruit.* — *secundum vota Parthorum*, acerbe admodum, ut votis Parthorum, vos aliter atteri haud posse probe intelligentium, satisfaciatis. Lineae ductae jam ab Hom. Il. I. 255. ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες, ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ, εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιϊν.

v. 11. 12. *Hic*, tam immanis *mos* ne in saevissimis quidem bestiis *fuit*, ἀορίστως, est, deprehenditur, sc. ut in suum ipsae genus saeviant. Postrema docte invertit et cum antecedentibus copulavit poeta; *numquam feris*, efferari solitis, non pugnantibus *nisi in dispar*, nisi adversus feras disparis naturae. Sententia ipsa passim frequentata vett., quamquam, quod jam Gesn. animadvertit, nec satis vere sit, nec subtiliter satis ad rem accommodata. Cf. quos laudat Boettig., Plin. Praef. l. VII. extr. et Juven. XV. 159. sqq. Ad tyrannos transtulit Senec. de Clem. I. 26. *Illa rationis expertia et a nobis immanitatis crimine damnata abstinent suis, et tuta est etiam inter feras similitudo: horum a necessariis quidem rabies temperat sibi* cet.

v. 13. 14. Quae causa subigit vos, tam perverse agere, impellit vos, in mutuam caedem cum summo dedecore vestro ac scelere tam cupide grassari? num *caecus furor*, temerarius animi impetus, vos *rapit*, praecipites agit? an exstimulat vos *vis acrior*, gravior, cui resisti nequeat, h. divina, fatalis quaedam necessitas, an *culpa*, an pro magno flagitio, ἄτη, qua obstricti estis, hoc (sc. ut male in vos consulatis) tanquam poena vobis inflictum est? In plura membra dispertivit, ac tamquam diversa sejunxit poeta, quae, si curatius examines, unius sententiae sunt. Vide enim pedestrem enuntiationem: num sceleris vindicandi causa divinitus vobis hic furor, haec animis vestris injecta est amentia, num ἄτῃ quapiam tenemini, qua offensi Dii

mentem vobis eripiunt? Ita enim accipiendum esse locum docent vv. 17. 18. Sed altera ratio incitato ac perturbato indignatione poetae animo multo accommodatior. Ceterum quemcunque insolentiorem animi habitum, ut h. l. emoti atque a se alienati, a rudioris aetatis hominibus ad deos auctores referri, vel ex Homero satis constat. Etiam Eurip. Jon. 520. Εὖ φρονεῖς μὲν, ἤ σ' ἔμηνε θεοῦ τις, ὦ ξένε, βλάβη; Jam ista animi amentia homines praepediti quum ad nefaria quaevis, ipsis exitium allatura, praecipites ruant, satis consentanea ratio est, cur illam a Deorum ira, scelere quopiam, quod ita ulturi, provocata, profectam iidem statuant. Ut poetarum loca omittam, Cic. Mil. 31. *Est, est profecto illa vis* (plane ut h. l. de numine divino) — — *ea ipsa huic primum mentem injecit, ut vi irritare ferroque lacessere fortissimum virum auderet. — Nec vero non eadem ira deorum hanc ejus satellitibus injecit amentiam* cet. et mox: *Hic dii immortales mentem dederunt illi perdito ac furioso, ut huic faceret insidias. Aliter perire pestis illa non potuit.* Vide omnino doctissimam Ruhnkenii observationem ad illa Vellei. II. 57. *Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.* Ceterum simillimi coloris locus est apud Aristoph. Lysistr. 125. sqq.

v. 15. 16. Praeclara atque ἐναργεστάτη ὑποτύπωσις hominum scelerum suorum conscientia agitatorum atque oppressorum! *Tacent*, tacendo loquuntur, silentio confitentur scelus. Ejusdem index *pallor*, qui *ora* ipsorum *inficit*, tingit, mutato pristino colore: nota loquendi ratione. — *albus*, ut *luteus* infra X. 16. ornat. — 16. mentes *perculsae stupent*, fortius, quam, perculsae, attonitae sunt, sc. sceleris atrocitate; fatentur illud animi aestu, stupore.

v. 17. 18. Magnum πάθος in exitu. Poeta intelligens se frustra a bello civili revocare rempublicam, scelus confessam, Deorumque adeo ira ad illud compulsam, cum desperatione subjicit; *Sic est*, in confesso, palam est, Romanos ἐναγεῖς Deorum ira premi, et ad exitium suum cogi. *Fata et scelus agunt Romanos*, docte pro, fatorum, s. Deorum iratorum decreto *aguntur* h. ita agere coacti sunt, ad civile bellum praecipitantur Romani ut scelus fr. necis luant, s. ob parricidium, ἄγος, Remo occiso contractum. — *acerba*, funesta, interitum reip. allatura. — 19. 20. Scelus *fraternae necis*, occisi Remi parricidium *sacrum ne-*

potibus, cui expiando nepotes addicti, devoti sunt, posteris luendum, in posteris vindicandum. Sed diductius poeta: *ut* ex quo, postquam *cruor Remi in terram fluxit*, Remus caesus est. — *immerentis*, auget facinoris diritatem. Ceterum quum magnae calamitates antiquitatis sensus ad deos auctores, gravi aliquo scelere irritatos, referat, invidiae amoliendae causa solenne fere poetis, a majorum delictis, ac iis quidem, quae etiam in posteris vindicari putarent, irarum causas repetere, ut h. l. belli civilis mala a parricidio Romuli: quae adeo minime jejuna aut absona videri debet ratio. Ulterius progressus est Virgilius Ge. I. 502. *Laomedonteae gentis perjuria* praetexendo. Sed non ex nostro sensu talia dijudicari debent.

ARGUMENTUM VIII.

Praeclarum utique sui generis nec vulgaris artis carmen, si ad solam tractationem animum adtendas; sed ea ipsius argumenti ratio est, ut, quum humanitatis atque honestatis sensus illud plane reformidet atque exhorreat, magnopere dolendum sit poetam virtutem suam in hocce genere spectari voluisse, illudque prae tot aliis antiquitatis operibus, quae temporis injuria interciderunt, aetatem tulisse. Sed peccavit haud dubie poeta Archilochi exemplo, cujus rabiem in idem argumenti genus effusam fuisse, facile ostendi posset, si omnino in talibus cum nostro ac lectorum taedio curiosi esse vellemus. Hoc autem potissimum agit poeta, ut frigoris sui, quod in se puella experta fuisset, ac de quo graviter conquesta esset, causas expediat, eas-

que ab ipsa repetendas esse pronuntiet, adeo quidem, ut quaesito rerum ac verborum delectu in summum eam contemtum ac fastidium adducere studeat. Puellam fuisse divitem, nobilem, doctam, docet posterior pars carminis. Impense hariolantem si audire vis, adi Sivrium.

Adnotationes.

v. 1. Plenior oratio erat: Eho tune sustines, te haud dispudet, *rogare*, *quid* cet. Sed mirifice abruptum hoc loquendi genus animo quocunque vehementiore adfectu, ut h. l. indignatione percito convenit. It Juno iram suam in Trojanos evomitura apud Virg. Aen. I. 37. *Mene incepto desistere victam, nec posse* cet. Terent. Eun. II. 1. 3. *satne hoc mandatum est tibi*? P. *Ah rogitare!* Cf. infra XI. 11. et Lamb. ad h. l. Male nonnulli supplent; non me pudet rogare. — *te putidam*, rancidam, effoetam *longo seculo*, longa aetate, senectute, graviter pro, te vetulam, anum decrepitam. Similiter pruriens anus indigitatur in Priapeis c. LVII. 1. *Cornix et caries vetusque bustum, turba et putrida facta seculorum.* Pacuv. in Teucro (apud Scriv. p. 72.); *quamquam annisque et aetate hoc corpus putret. Trecentorum Coss. Vetustillam* eadem virulentia facit Martial. III. 93. 1. idemque *secula Lesbiae* tribuit X. 39. 3. Alii aliter idem exornarunt. Vid. ad IV. 13. 15. — *quid enervet*, debilitet, frangat *vires meas*, cur adeo enervis, segnis sim ad Venerem, nullo voluptatis sensu tangar. Basilius de Venere et vino, (in Scalig. Catal. p. 174) v. 3. *Venus enervat vires et copia Bacchi. Voluptatis enervationem* dixit Arnob. III. p. 105.

v 3. Quum languoris istius causae tam manifestae sint, atque a temet ipsa repetendae, anu quippe deformi ac foeda. Sed amarior partium singularum adnumeratio. Cf. IV. 13. 10. sqq. Ad sententiam Martial. VI. 23. 3. *Tu licet et manibus blandis et vocibus instes: contra te facies imperiosa tua est.* Juven. VI. 196. *Ut tamen omnes subsidant pennae — facies tua computat annos* h. hoc inde fit, quod vetula es. *Dentem atrum* singulari numе-

ro forte cum virtute posuit poeta, tanquam ceteros jam exspuisset, uti saepius Martialis. *Senectus frontem rugis exarat*, persulcat, faciem rugosa pelle induit. Mira vis compositi *exaret*, cute prorsus immutata. — *vetus*, ad extremas lineas admota: auget. Terent. Eun. IV. 4. 21. *Hic est vetus, victus, veternosus senex. Veteres senes.* pariter Tibull. I. 7. 50. Ad rem Martiall. III. 93. 4. *Rugosiorem quum geras stola frontem*; et ad verba Virg. Aen. VII. 417 *obscenam frontem rugis arat.*

v. 5. 6. Et plane arida atque exsucca sis. Depygem, quam designat h. l. poeta, Martialis III. 93. 12. ita describit: *et anatis habeas orropygium macrae, senemque Cynicum vincat osseus cunnus.* Idem XI. 100. 4. *Habere amicam nolo, Flacce subtilem, cui serra lumbis, cuspis eminet culo.* Paullo honestius in Priapeis. c. XXXII. init. *Uvis aridior puella passis* cet. *hiet*, pateat, propter *aridas nates.* Anum flagitiosa libidine εὐρύπρωκτον factam intelligunt Lamb. et Dacer. putida atque aliena ab h. l. doctrina. — *bovis crudae*, cruditate laborantis, atque ita macilentae.

v. 7 — 10. *Sed*, enimvero tale pectus habes, quod incitare, ad libidinem exstimulare possit. Εἰρωνικῶς haec accipienda esse, et elocutionis ratio, et quae perspicuitatis causa, ne quis erret, subjecta sunt, abunde ostendunt. — *mammae putres*, resolutae (ut *gleba putris* Virg. Ge. I. 44.) flaccidae, pendulae, quales equarum sunt; pro quo doctiore structura est, *equina quales ubera. Putrida pectora* similiter Catull. LXIV. 352. *Aranearum cassibus pares mammas* vocat Martial. III. 93. 5. Id. III. 72. 3. *tibi pannosae pendent a pectore mammae. Inclinatas* easdem Propert. II. 15 21. juxta Agathiam XIII. 4. μαζὸς ὑπεκλίνθη, πέσον ὀφρύες cet. — 9. Venter *mollis*, non adstrictus, laxus rugis; *sulcos uteri* vocat Martial. III. 72. 4 — *femur exile*, gracile, junceum (*cujus lacertos annuli mei cingant* Martial. XI. 100. 2.) *additum*, quod epimetri loco *tumentibus*, crassis *suris* adjectum videtur; quaesita enormitate. Τὸ *additum* optime similis illustrat Petronii locus, c. 91. *Habebat inguinum pondus tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes.* Hoc idem haud dubie voluit Schol. Cruqu. „eleganter dicit additum, quasi adplicitum et adpositum sit; quia nihil deformius, quam pedes genibus et femore crassiores. Ceterum totum hunc locum mutuatus videtur Horatius a graeco poeta, cujus fragmentum habet

Schol. Aristoph. Avv. 1619. παρὰ σφυρὸν παχεῖα μισητὴ γυνή. Observa in his vv. concinnam epithetorum collocationem.

v. 11 — 14 At es dives, nobilis, quaesiteque culta, quibus formae detrimentum satis, bene redimi repararique opinaris: quibus tamen minime tangor, — *Esto beata*, jactes opes tuas, placeas tibi divitiis tuis; nihil equidem moror. — esto generosissima stirpe oriunda. Delecte pro hoc poeta: *imagines* majorum tuorum *triumphales*, triumphalibus ornamentis insignes, in quibus adeo triumphatores exstitere, *ducant funus tuum*, praeferantur funeri tuo; in quo amara admodum amorum, quos praeter aetatem anus ista sectetur, irrisio inest. Bene jam Schol. Cruquii „Videtur latenter illi exprobrare intempestivos amores, praecipue quod morti esset proxima." Ceterum de more imagines majorum in funeribus gentilitiis praeferendi, pervulgata omnia. Ad feminas quoque hunc honorem pertinuisse docet vel Cic. de Orat. II. 55. *quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides?* jam Lamb. laudatus. Imagines *ducunt funus*, quatenus praecedunt illud, praeferuntur. Ita accipienda verba histrionis apud Suet. Cer. 32. *Orcus vobis ducet pedes.* Ovid. Fast. VI. 668. *Ducit supremos naenia nulla toros.* Similiter *Lucifer diem ducere* dicitur Virg. Aen. II. 802. atque ita passim. Atque hanc potiorem habuerim rationem prae altera, qua orationem ita invertere necesse est: ducantur in funere tuo triumphales imagines, quamquam *ducere* solenne de quavis pompa, maxime funebri. — 13. Cultu porro seu mundo muliebri exornes te magnificentissimo. Pro hoc comte et quaesite est: non sit *marita*, matrona Romana, quae plures pretiosioresque gerat *baccas* s. margaritas. Multitudinem baccarum invicem junctarum docte designat *onusta* (Petron. c. LV. *Quo margarita cara tribacca Indica? an ut matrona, onerata phaleris pelagiis* cet. Claudian. XXVIII. 528. *colla monili circuit, et baccis onerat candentibus aures. Oneratas aures* simpliciter Senec. Const. Sap. c. 14. Boeth. Conf. Ph. III. 3. *oneretque baccis colla rubri litoris.*) et ipsarum pretium epith. *rotundioribus*: Nam a rotunditate commendatissimas fuisse docet Plin. H. N. IX. 35. — iis onusta *ambulet*, quam delecte pro, tenui, sit. Propert. I. 2. 1. *Quid juvat ornato procedere, vita capillo.* Cf. supra IV. 5. 17.

v. 15. 16. Quid? quod philosophicis te studiis delectari si-

mulas, ut viros, iisdem deditos, hac iynge illectes. Vetulam libidine indomitam, luxuque ac mollitie perditam, quum philosopham dicere vellet, Stoicam facit poeta, non quod ipse Stoicus esset, sed quod mores ejus ab severa horidaque Stoicorum disciplina immane quantum discreparent. Hinc facile perspicitur, quam venusta irrisione *libelli Stoici*, horridi illi, *inter sericos pulvillos*, in culcitis sericis, mollissimis adeo ac delicatissimis, jacere dicantur. Qua eadem virtute poni a poeta puta: *amant*, volupe ipsis est, novo quasi voluptatis sensu perfruuntur quibus tam molliter cubare liceat. Nihil tamen contra moverim, si quis graeco significatu *amare* pro, solere, *φιλεῖν*, positum contendat, quum neque sic vi omni prorsus destituatur.

v. 17. 18. Enimvero ista omnia talia non sunt, quae vel tantillum tui desiderium proritent amoris tui fruendi cupiditatem injiciant. Pro hoc, relata ad proxime antecedentia sententia: *num ideo minus rigent*, torpent, frigent *nervi* mei, num libris istis Stoicis effici putas, ut nervi libidine inflammentur, *illiterati* illi, ad ista literarum, quae non intelligunt, illectamenta hebetes; doctis istis illecebris haud arrigentes; venuste admodum. Perimunt hanc venustatem, totiusque loci sensum pervertunt, qui *illiterati* gignendi casu, et *rigere* de vigore salaci accipiunt. *Nervus* et mox *fascinum* de ea dici parte, qua viri sumus, e Petronio et Priapeiis satis notum. — 19. 20. Ut illud *provoces*, excites, commoveas ab inguine, quo latet, vegetum reddas, ore morigerari (ut est apud Suet. Tib. 44) te oportet *Superbum* inguen dixit, quod proprium fascini erat; quod minus obsequiosum se praebet, istis haud movetur, sc. divitiis, nobilitate ac studiis tuis philosophicis.

ARGUMENTUM IX.



Carmen hocce post primam statim famam, de victoria, qua Caesar apud Actium potitus esset, Romam perlatam, scriptum esse, plura ipsum in se habet indicia, quae extra omnem dubitationem ponant (vide mihi v. 21 sqq.

29. *sqq. qui diserte ostendunt, de Antonii fuga, quorsum facta esset, necdum quidquam tum temporis Romae constitisse*), *utque adeo, si temporis, quo carmina, ut ita dicam, Actiaca composita sint, rationem ineas, hoc Epod. I. et ante I. 37. collocari debeat. Exponit isto Maecenati laetitiae suae sensus poeta, quos primus iste nuntius in se commoverit vividissimos, adeo quidem, ut victoriam istam adparatissimo statim convivio, non exspectata triumphali pompa, eidem celebrandam injungat, in eaque cogitatione ita defixum habet animum, ut ipsas istas epulas mente occupet, seque convivantium turbae immixtum ferat. Qua quidem vegeta rei adornatione, ad effrenem animi adfectum plane descripta, totum carmen mire animari, vel hebetior quisque animadvertat. Ut autem Romanum suum, ut ita dicam, sensum poeta ostenderet, Antonianae partis militem, a Caesare devictum, omni contumeliarum genere obruit, quod externam sub femina et spadonibus militiam, ignavam illam, luxuque infamen, sequi sustinuerit; atque hactenus metro suo ejusque indoli satis respondet hoc carmen, quod quidem, si argumenti tractationem spectes, a naturali simplicitate; si eloquutionem, a munditie, non operosa quidem, satis tamen concinna ac justa, maximopere se commendat.*

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. *sqq.* Morae impatientia, quam praefert exordium, exsultanti ob victoriam Augusti mire poetae animo adcommoda! Pro vulgari: ecquando Augusti victoriam celebrabimus? docte poeta convivii adparatius instruendi partes ponit, cantum et vinum, id-

que, pro diei solennitate, *Caecubum*, h. optimae notae, nobilissimum; unde *repostum ad festas dapes*, nonnisi festis conviviis adhiberi solitum. Idem eidem Actiacae victoriae celebrandae depromendum indicit I. 37. 5. Cf. III. 28 3. — 2. *victore laetus Caesare*, ornatius et significantius, quam: propter victoriam Caesaris. — 3. *sub alta domo* suaviter indicat, se illud convivium a Maecenate velle instrui. Ita enim adpellat turrem Maecenatianam in Esquilinis hortis sitam, quam III. 29. 14. *molem propinquam nubibus* vocat. Atque hujus, omninoque opulentiae ejus adparatu isto convivali explicandae, respectu Maecenatem *beatum* (uti Sestium I. 4. 14.) adpellat, adposito ad rem epitheto. — *Sic Jovi gratum*, οὕτω Διὶ φίλον, ad totam sententiam refer: quandoquidem ita Jovi placuit, Dii prosperum hunc rerum eventum dederunt. — 5. 6. Inter festos lyrae ac tibiae cantus. Lyra *sonante carmen*, edente sonos, cantus, *mixtos tibiis*, una cum tibiis, lira ac tibiis, resonantibus, *hac* quidem *Dorium* modum, severum ac gravem (nam ἴδιον τῆς Δωρίου ἁρμονίας τὸ σεμνὸν Lucian. I. 851), illis *Barbarum* s. Phrygium, effrenem ac bacchico furore tumultuantem (ἔνθεον Lucian. l. l.) edentibus. Admodum probabile est, poetam Dorio modo grave Martis opus h. ipsum pugnae conflictum, (τὴν Δωριστὶ ἁρμονίαν τοῖς πολεμικοῖς ἀνδράσι ἁρμόζουσαν diserte vocat Plut. de Mus. p. 1136. E.), Phrygio autem, eventum ejus, victoriam Caesaris, atque adeo laetitiam, qua inde efferretur, exprimi repraesentarique voluisse. Unde adparet, lyram ac tibiam per vices, non mixtim et una, adhibitas intelligi oportere; hocque ut statuamus, ipsae Harmoniae leges, postulant.

v. 7 — 10. Quod idem (sc. ut solenne convivium agitaremus) nuper fecimus, devicto ad Siculum litus S. Pompejo. Factum illud a. U. DCCXVIII. Praeclare poeta, quasi aliud agens, recentem hanc Augusti laudum materiem intexuit, in quam obvium erat eum incidere, quum par fere ignominia, quam novissima victoria avertisset, ista a populo Romano propulsata fuisset; id quod enuntiatae rei ratio abunde ostendit, servis fugitivis in altero bello, in hoc muliere externa cum spadonibus Romanos sibi subjicere connisis. Quum S. Pompejus, mari feliciter usus (Conf. Dio XLVIII. 19.) *Neptunius* h. Neptuni filius ipse dici haberique vellet, facile perspicitur, quam quaesitae acerbitatis ista h. l. adpellatio sit in exponenda ejus, quam mari expertus esset, gravis-

sima clade, miserabilique cum sex septemve navibus, quum modo trecentarum quinquaginta dominus fuisset (Flor. IV. 8.), fuga. — *actus*, exactus, expulsus *freto* Siculo *fugit*, fuga sibi consulere opus habuit. Asiam eum, perditis omnibus, petiisse, ibique ab Antonio devictum sub percussore, ab eodem immisso, mortuum esse, ex historia satis constat. Quae eadem cum Nostro nimirum naves ejusdem, litori allisas, ab Octaviano combustas fuisse tradit Dio XLIX. 10. p. 576. — 9. 10. Qui armatis in supplementum classis et exercitus ergastulis colle tisque piratis remp. Romanam servitii jugo subdere in animo habuerat. Hoc cum summo invidiae acumine, quod rei indignitas suppeditabat, eloquutus est poeta, Pompejum ea ipsa vincula, quibus servitia exsolvisset, civibus Romanis *minatum*, h. iis Romanos oneraturum professum, adversus adeo hos crudelissimum, *amicum* contra ac benevolum *servis* idque *perfidis*, h. fugitivis, detrahendo iis vincula, donandoque libertatem, perhibendo. *Servitia* eum *fugitivosque in numerum exercitus sui recipiendo magnum modum legionum effecisse* diserte tradit Vellei. II. 73 adde Dio XLVIII. 19. Quamquam omnino perfidia servili indoli genuina fere vett. habita.

v. 11 — 16. Persequitur jam, amareque exagitat poeta ignominiam, quam Antonii exercitus, Aegyptiae mulieris et spadonum imperiis parere haud dedignatus, pertulerit. Nam cum hoc flagitiosum Antonii dedecus a poeta communicari, ipsa elocutionis docet ratio. Vide autem, quam exacuerit vulgarem sententiam: Romani sub femina militant, et imperia a spadonibus accipiunt. *Romanus* civis, oblitus pristinae libertatis ac dignitatis, *emancipatus* est, se addixit, in potestatem ac dominium tradidit *feminae*, Cleopatrae, in ejusque gratiam. *miles fert vallum et arma*, graves militiae labores, impigre tolerat, militat. Male de Antonio plerique cogitant, quamquam illud (*emanc. feminae*) proprie ad eum spectat, qui *patriae oblitus, totus in monstrum illud ut mente, ita animo quoque et cultu desciverat*, juxta Flor. IV. 11. Militiae aerumnas declarant *valli* et *arma*, a gregario milite ferenda. Adposite laudant Cic. Tusc. II. 16. *Militiae nostri exercitus qui labor, et quantus agminis, fere plus dimidiati mensis cibaria; ferre, si qui ad usum velint: ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant quam humeros, lacertos, manus: arma enim membra militis esse dicunt.* — et *spadonibus servire potest*, quam invi-

diose pro, ductores eos patitur, sustinet. Ex eunuchis Mardionem potissimum belli auctorem memorat Plut. Ant. p. 345. D. — *rugosis*, rugis ante tempus deformatis; quod quidem proprium truncati corporis perhibetur infortunium. Vid. ad I. 37. 9. Illa, *Eheu* et *posteri negabitis* h. vix credent posteri, Romanos olim sese hoc dedecore maculasse, graviter indignationem poetae, rei indignitate incensam, produnt. — 15. 16. Inter *signa militaria*, aquilas Romanas. *Sol adspicit*, conspicitur (sed alterum ἐνεργῶς, ob indignum spectaculum, quod Soli ita objiceretur. Hujus enim vultum καθαρώτατον res pudendas aversari, notum vel e Thyestea fabula.) conopium. *Conopium*, κωνώπιον, velum apud Aegyptios ad arcendos culices, ex Nili illuvie abundantes, lectis praetendi solitum, mox inter luxus instrumenta habitum, intextis ei filis aureis, adspersisque tenuissimis maculis. Cf. Plut. Ant. p. 927. et Schol. Juv. VI. 80. Hinc causa intelligitur, cur illud, extremae mollitiei Aegyptiae argumentum, tanto *turpius* Romanis videri debuerit, quod inter aquilas Romanas conspiceretur. Ex hac ipsa autem adornatione colligas, pro militari Aegyptiorum signo illud aut omnino a Romanis habitum fuisse, aut certe invidiose h. l. a poeta designari. Ita et accipi possit in Propert. III. 9. 45. *Foedaque Tarpejo conopia tendere saxo*, tanquam vexillum ibi statuere, castra in Capitolio collocare. Eadem lasciviae ac mollitiae nota sistro classicum cantum fuisse perhibent idem el. l. v. 34. et Virg. Aen. VIII. 696.

17 — 20. Ex Antonii copiis, quae in continenti stabant, quibusque Canidius praeerat, Gallograecos s. Galatas Dejotaro et Amynta ducibus, ante pugnae discrimen ad Octavianum transmisisse, diserte tradunt Plut. Anton. p. 945. et Vellei. II. 84. qui addit, Amyntam *numquam reginam nisi nomine salutasse.* Hoc exaggeravit poeta, quo magis degeneres Romanorum, Antonio adhaerentium, animos argueret, Gallograecos hac sola de causa Antonium destituisse, quod castra ista, femineo luxu marcida aversarentur, id quod Romanos facere par fuisset, significando. Ita jam optime Porphyrion: Gallorum ideo mentio facta est, ut Romanos, qui sub praepositis spadonibus aequo animo militarent, magis oneraret per comparationum Gallorum, qui hoc dedignati ad Caesarem se contulerunt. Igitur Galli *frementes* aegerrime ferentes, indignantes *ad hoc con.* ob foedum hoc conopii spectaculum *verterunt*, averterunt *equos*, aversati sunt ejus adspectum (sed

alterum signate de equitatu) deseruere ista castra, *canentes*, laudantes clamore bellico *Caesarem*, potiores ejus partes rati, pro vulgari, transeuntes ad Caesarem. Illud autem posuit poeta ex more istius gentis, cum cantu pugnam ciere solitae; quamquam etiam de adclamatione Romana, v. c. Salve, Imperator, haud absurde, intelligas. — 19. 20. Jam navales copias poeta memorat, quae eadem indignatione, quod feminae eunuchis parendum esset, motae pugnam detrectassent, et in portum, dum confligeretur, recessissent. Facile intelligitur poetam in rem suam vertisse, quod ex ignavia atque timore factum esset. Exaggerasse autem poeta putandus est, quod tradunt Historici, male omnia ante pugnam in Antonii classe administrata fuisse (τὸ ναυτικὸν ἐν παντὶ δυσπραγοῦν, καὶ πρὸς ἅπασαν ὑστερίζον βοήθειαν Plut. Anton. p. 1729. Steph.) aut utique primum, qui rem ita gestam exposuisset, nuntium secutus esse, id quod e vv. 29 — 32. de Antonii fuga, quum hoc carmen scriberet, necdum certi quid constitisse prodentibus, satis probabiliter statuas. Jam pars ista navium, quae post primam congressionem in portum refugeret, quo minus discessio ista animadveteretur, *puppes ciebat*, h. ita retrorsum agebatur, puppes praecederent, prorae sequerentur (Gr. πρύμναν κρούσασθαι, *remis inhibere*); idque *sinistrorsum* fieri oportebat, acie Antonii dextrorsum Italiam versus directa atque explicita. Alienam ac prorsus incommodam sententiam inferunt, qui de fuga Antonii et Cleopatra cogitant, quod vel vv. 17. 18. docent, et adjecta *portu latent*, quae quominus de Alexandrino portu interpreteris, vetat v. 29 sqq.

v. 21 — 26. Vix primo allato victoriae nuntio pompam statim triumphalem exspectat poeta, quod effreniori ejus laetitiae adfectui adprime convenit. Vulgaris enuntiatio erat: Ecquando ducetur triumphus, vel splendidissimis Marii et Scipionis anteferendus? Pro hoc ad Triumphum Deum orationem convertit poeta, queriturque quod Urbem non illico intret, pompamqe adeo triumphalem ac solenne sacrificium moretur. Nam pompae isti praeesse, eam ipse ducere creditus. Quae eadem adclamationi solenni, *io triumphe*, (ut ἰὼ Βάκχε) ad quam alludit poeta, subest ratio. — *currus aureos*, currum triumphalem, auro et ebore ornatum; omnino pro pompa triumphali. Sacrificium Jovi Capitolino a triumphatore faciendum declarant *boves intactae*, jugum haud passae; ex more, ut notissimum. Vid. Intpp. ad Petr. c. 105. — 23. Pul-

chre continuatur conversae orationis ingenium pro: non tam magnificus triumphus fuit, quem Marius de Jugurtha reportavit. *Triumphus reportat ducem*, quatenus cum eo Urbem intrat, eum antevolat, ut Victoria. — 25. Quaesitum est, quod Scipionem simpliciter *Africanum* indigitat, quandoquidem hac ipsa adpellatione virtus ejus bellica, de qua hic agitur, condecorata fuit. — *cui super Carthaginem* cet. Vulgare utique erat, qui Carthagine, virtute sua eversa, aeternam sibi nominis famam acquisivit. excidio isto immortalis factus est. Pro quo ornatius erat, si dixisset: qui eversam Carthaginem virtutis suae monumentum fecit, uti plane de eo Vellei. I. 12. Sed vividior augustiorque species est, qua animavit sententiam poeta, a Virtute dea monumentum ei super Carthaginem, cujus eversione promeruisset, conditum perhibens.

v. 27 sqq. Triumphi magnitudinem praeclare poeta miserabili Antonii fuga, quam cum summa omnium rerum desperatione, deletis quippe navibus, copiisque ejus terrestribus ad deditionem compulsis, capessere coactus fuit, illustratam subjicit. In verbis, *Punico lugubre* cet. gravis luxus ejus prioris notatio atque irrisio est. Ita enim de cultu ejus Flor. IV. 11. *Aureum in manu baculum*; *ad latus acinaces; purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis; diadema aderat* cet. Quamquam etiam *Punicum sagum* simpliciter accipere licet de paludamento, φοινικίδι, Impp. insigni, quod abjecisse eum dicit poeta, non tam ut lateret in fuga, quam quo se imperio dejectum regnoque, quod adfectaret, exutum ipse fateretur. Solennis autem v. *mutare* structurae inversio; ut passim vidimus. Sagum *lugubre*, pullum, sordidum, vile; ex opposit. *Punici* s. purpurei. Junge autem: *mutavit s. iturus* quod docte est pro mutato sago fugit, iturus cet. — 29 — 32. Cretam aut Africam petiturus. Vid. Argum. — *centum urbibus nobilem*, ἑκατόμπολιν. Vid. III. 27. 33. — 30. *Ventis non suis*, sibi faventibus. Ovid. Met. XIII. 106. *Orba suis essent etiamnum lintea ventis*. Martial. X. 104. init. *I nostro comes — — longum per mare, sed faventis undae; et cursu facili* tuisque ventis *Hispanae pete Tarraconis arces*. Senec. Quaest. nat. I. Praefat. *Quantum est, quod ab ultimis litoribus Hispaniae usque ad Indos jacet? Paucissimorum dierum spatium, si navim suus ventus implevit*; et ita passim. — 31. Syrtes Noto *exercitatas*, agitatas, turbatas. Cf. Sallust. Jug. 78. — 32. *fertur incerto mari* vel est, ipse incertus consilii mari fertur, errat, animo ista clade penitus

perturbato; vel simpliciter, mari procelloso agitatur, Diis Augusti victoriam persequentibus; malim tamen prius ut exquisitius, quod etiam Scholl. habent.

v. 33 *sqq.* Ad propositum suum redit poeta, confususque impotenti laetitiae adfectu futuram convivii hilaritatem animo praeceptam repraesentat; discumbunt convivae, majoribusque poculis quae istius diei solennitas poscat, celebrandam indicit. Quo quaesito ad rem oculis subjiciendam artificio passim poetam usum vidimus v. c. II. 7. 21. et III. 19. 9. II. 18. Eadem extollendae ex merito victoriae causa cumultate adponi jubet vina *Chia*, *Lesbia, Caecubum*, h. generosissima. — *metire* infunde Caecubum; sed alterum signate; quoniam cyathi, quibus infundebatur, vel pocula quae replebantur, certi, cujuscunque demum, moduli erant. Possis etiam ad vini certis aquae partibus temperandi modum referre; illud tamen ποιητικώτερον. — *quod nauseam*, infirmioris ventriculi indicem, *coërceat*, tollat, ventrem adeo corrigat, roboret, vinum εὔτονον, uti audit Athen. I. 21. — *fluentem*, alvum solventem. Proprie stomachus laxatur, languet fluit. — 37. 38. Par utique est, animum vino exhilarare, Caesare victoria potito. Cura et metus *Lyaeo solvitur*, vino diluitur, abstergetur (ut *cadus amara curarum eluere efficax* IV. 12. 20. unde Bacchus λυσιμελής et similia provenere loquendi genera), animo expellitur; qui istis tenebatur, constrictus erat, dum nondum de praelii exitu constraret. — *rerum Caesaris*, ob res, Caesaris, ejus victoriam; graeca prorsus ellipsi ac locutione. Si proximis curam et metum jungas, erit: metum, quem propter Caesarem sustinuimus. Sed alterum dignius poeta, si quid judico.

ARGUMENTUM X.

Quum in omnibus fere, quae contumeliosa prostant, Horatii carminibus causas ac rationes, quae acuendi ipsi styli evomendaeque bilis occasionem dederint, satis diserte expositas, saltem haud obscure proditas animadvertas; tanta utique Maevium quemdam, quem

petit hoc carmine, apud omnes bonos infamia laborasse credibile est, ut omnino legentium fastidio, tacendis iis, poeta consuluisse videri debeat. Quae quidem etsi nos plane fugiant, haud difficulter tamen eas e versu Virgilii (Ecl. III. 90. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi) expediri posse arbitror. In quo quum inficetissimi aetatis istius poetae notam ferat, isti autem homines non solum jactantius fere arrogantiusque induant ingenium (quod ipsum jam boni cujusque stomachum moveat), sed etiam, ut insipidae scilicet plebi sapere videantur, bonorum ingeniorum famam bonamque existimationem arrodere soleant; recte mihi colligere videor, Maevium non solum insulsum versificatorem sed praestantiorum quoque poetarum, Virgilii, Horatii et aliorum obtrectatorem fuisse acerrimum, ideoque a Nostro hoc carmine misere habitum. Ut enim bonorum omnium risum captaret, tragica quadam gravitate ei, peregre, forte Athenas, ituro, naufragium, mortemque miserrimam imprecatur, lautissimumque, si precum suarum rationem habiturae essent, Tempestatibus sacrificium vovet. Atque hoc ipsum, ne inhumanum poetae pectus incuses, praeter incessum totius carminis, abunde comprobat, Nostrum ludum potius Maevium dare voluisse, quam veros animi sensus protulisse. Ceterum acerbitatem, qua sententiae tinctae sunt, terribilium, Maevio impendentium, adparatu haud parum adjutam facile sentias, quamquam in hoc paullo luxuriantius poetae ingenium animadvertas.

Adnotationes.

v. 1. Utinam Maevius, iter mari ingressus, tempestatem gravissimam experiatur, eaque obruatur! Votum hoc, vide qua colorum ἐναργείᾳ adumbraverit, quantaque virulentia acerbaverit poeta. — Navis *soluta* retinaculis *exit* e portu, altum petit, solvit, (quod proprium hac de re verbum) *mala alite*, ἀκαισίῳ ὄρνιθι, inauspicato, infausto omine, infelix iter factura est (contra in Prop. IV. 1. 40. *O quali ducta est Dardana puppis ave*, est quam prospera navigatione usa est D. p.). quandoquidem (inprosperae enim navigationis causa a poeta subnecti putanda) *fert*, vehit *Maevium*, ob Maevium, quem vehit; in quo statim magna amaritudo inest. — *olentem* hircini odoris hominem. Alii tanquam Rutgers. lectt. X. 10. carmina Maevii notari volunt, obsoletis verbis, quae adfectaret, putentia ac sordida. Quod etsi loquendi usus ferat (Auctor de caus. corr. Eloqu. c. XXII. *quaedam vero procul arceantur et jam obliterata et olentia* cet.), acerbior tamen videtur vitii corporis exprobatio, quamquam illud a nimia pinguedine (quod plerique v. 21. innui autumant) ortum statuere nolim. Sed ipso poeta iniquiorem Maevius expertus est Cruquium, qui hoc epitheto se insulsum poetam, libidinosum (propter v. 23.) timidum denique atque insipidum (propter agnam v. 24.) hominem ab Horatio notatum argueret.

v. 3—8. Conflictus plurium ventorum (μισγόμενοι ἄνεμοι Hom. Od. II. 315.) solennis poetis in gravioris tempestatis descriptione, quod ad naturae leges non exigendum. In hac autem, quum res ad speciales notiones revocanda erat, cum variata per apostrophen structura plurimum suavitatis habet, tum, quod cuique fere vento, quas quemque partes tueri velit, injungit. Majorem quoque vim habet praecipiendi formula *memento*, tui officii putato, tibi curae sit, hoc sedulo ages, quam optandi, *utinam*. — *utrumque* navis *latus*, navem utrimque *verberes*, pulses, labefactes, convellas excitatis atque allisis *fluctibus*, attolle fluctus, qui laterum compagem dissolvant. Val. Fl. I. 939. *Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus.* Noster ornatior, quod Burmannum fugit. — *horridis* tumidis, adposito epitheto. — 5. 6. Ornatissimi versus! Eurus mare conturbet, remosque ac rudentes auferat. Eurus *niger*, nubes conglobans, δνοφερὴ θύελλα (Orph. Argon. 1180.) Val. Fl. II. 365. *Insequitur niger, et magnis cum*

fratribus Eurus intonat Aegaeo. Forte tamen magis poeticum erit, si jungas *niger inverso mari*, ab inv. mari, inter nigros maris tumultus invectus tenebris involutus. Pro mari commoto, turbato gravius est *inversum*, a fundo versum. *Imis stagna refusa vadis* Virg. Aen. I. 125. Id. II. 419. *imo Nereus ciet aequora fundo.* Philipp. Thess. XII. 2. (A. Br. II. 214.) ἐκ ζαοῦς Νότου συνεζοςωθη κόντος, ἐκ δὲ νειάτων μυχῶν βυθῖτις ψάμμος ἐξηςεύγετε, ἱστὸς δὲ πᾶς ὤλισθεν εἰς ἅλα κτυσας cet. loco valde adposito, Boeth. Conf. Ph. II. 3. 11. *Saepe ferventes Aquilo procellas verso concitat aequore.* Cf. III. 17. 10. — 6. *fractos differat*, ornate pro, frangat, detergeat (quod proprium hac de re. Vid. ad I. 14. 4.) ac *differat*, dissipet, per fluctus spargat. Ennius apud Non. II. 880. *Alia fluctus differt, dissupat visceratim membra.* διαχεύειν eadem de re adhibuit Q. Cal. XIV. 503. Cf. Lambin. — 7. 8. Aquilo summa vi in navem impetat. *Insurgat* potest simpliciter esse, exoriatur; nam surgere venti dicuntur, qui flare incipiunt, notissima loquendi ratione. Sed suavior et exquisitior imago exsistet, si Aquilonem hostili impetu navem invadere, adgredi cogites, verbo a lucta petito Cf. Virg. Aen. V. 443. Simili phantasmate Africus Icariis fluctibus *luctatur* I. 1. 15. Vividius adeo ac fortius est quam gr. ἐπιχρᾶειν, ἐπισκήπτειν, quod solenne de ventis. Summam Aquilonis violentiam ἐναργῶς explicant ac repraesentant sqq.: *quantus frangit il.*, h. quantus ejus impetus est, quum frangit, convellit, eruit *ilices.* Exornandae rei imagini augendaeque Aquilonis vehementiae inserviunt adjecta: *altis montibus*, quandoquidem firmioribus radicibus arbores iis inhaerere, fortiusque ibi surgere creditae (vid. ad V. 12. 20.) tum *trementes*, nutantes pondere ac proceritate sua, altas, proceras. Possis quoque jungere *trementes altis montibus*, quod quaesitius esset pro, stantes in montibus. Sed alterum adpositius. Languidius quoque foret, si *trementes*, concussas, commotas acciperes, τῷ *frangit* subjectum Cf. Catull. LXIV. 105 sqq.

v. 9. 10. *Nec sidus* Dioscurorum *adpareat*, in conspectum veniat *amicum*, quod navi *atra nocte*, nocturna tempestate deprensae subveniat, quod quassam ratem naufragio eripiat. Cf. I. 3. init. IV. 8. 30. *Optati* inde *Tyndaridae* dicti Propert. I. 17. 18. Procellosam noctem ulterius declarant, *qua tristis Orion cadit*, ad occasum vergit, nota ratione. Vid. ad I. 28. 21. III. 27. 17. Orion *tristis* στυγνὸς (Anacr. 15. 9.), ob tempestates, quas ciet.

v. 11 — 14. *Nec quietiore*, pacatiore, turbulentiore, adeo aequore *feratur*, jactetur, eandem tempestatem experiatur, quam *Graja victorum manus*, docte pro, victrix Graecorum manus, Graeci eversa Troja domum redeuntes pertulere, a Pallade, Ajacis ulciscendi gratia excitatam. Haec ultima vv. 13. 14. splendide et ornate a poeta exposita. Pallas *iram*, qua in Trojanos ferebatur, cum ipsorum excidio (*usto Ilio*) exsatiatam, convertit in *Ajacem impiam ratem*, fluctibus immergendo classem Ajacis *impii*, propter illatam Cassandrae in ejus templo stuprum. De naufragio Graecorum ad cautes Euboicas facto, et, quam ejus causam poetae epici graeci faciunt, intempestiva Ajacis Oilei libidine pervulgata omnia. Vid. Heyn. ad Virg. Aen. I. 39.

v. 15 — 20. Miram δεινότητα habet animo praecepta ac specialibus coloribus vivide atque cum tragico vaticinantis spiritu repraesentata naufragii facies, in qua maximum momentum habet animi ejus abjecti exprobratio. Maevius pallet, ejulatur, ad preces confugit, dum nautae, servandae navi intenti, sudore diffluunt. Idem plane color I. 15. 9. *Eheu quantus equis, quantus adest viris sudor!* cet. — *quantus sudor instat nautis*, quantum sudabunt, laborabunt remiges tui! — pallor *luteus*, subflavus, color buxeus, qualis arquatis est. Tib. I. 8. 52. *nimius luto corpora tingit amor.* — 17. *illa non virilis*, virum dedecens, muliebris (ut *muliebris luctus* infra XVI. 39. *querelae muliebres* Claudian. XVI. 270.) illa ejulatio. Spectat huc Cic. Tusc. II. 23. *Ingemiscere nonnumquam viro concessum est, idque raro: ejulatus vero ne mulieri quidem* — 18. Quantis precibus obtundes, fatigabis, Jovem *aversum*, concise pro, qui tamen nullum tui rationem habebit, preces tuas aspernabitur, nota loquendi ratione. Vid. Brunkh. ad Tib. III. 3. 28. — 19. 20. *sinus Ionius*, h. mare Ionium in sinus curvatum (ut *Calabri sinus* I. 33. 16.) turbatum, procellosum, fluctus maris Ionii *Noto* agitati, pro quo ornatius est, *remugientis*, resonantis Noto. Cf. III. 10. 6. *udo*, ὑγρὸν ἀέντι (Q. Cal. IV. 486.); ὄμβρου γενάρχῃ (Orph. H. LXXXI. 3.) δροσερῷ (Oppian. Cyneg. III. 497.), epitheto pro rei atrocitate minus efficaci. — *carinam ruperit*, navis compagem solverit, navem diffregerit, ut ῥήσσειν gr.

v. 21. Quod si naufragio isto interieris, voti compos factus lauto sacrificio me exsolvam. Sententiam amaritudinis affatim habentem vide quomodo acuerit poeta! Non simpliciter optat

mortem ejus, sed ut corpus ejus, in litus ejectum, avibus marinis praedae sit. Si *praeda opima mergos juveris; porrecta in litore*, docte pro, si corpus tuum porrectum, in litus rejectum, ibi jacens, jucundam mergis escam praebuerit, praedae iis fuerit, ab iis devorabitur. Ornatum *opima* et *juverit* fere ad Maevii pinguedinem trahunt, quod sane vim aliquam sententiae addit. Simplicius tamen fuerit, de lautiore pabulo, quod raro mergis contingat, accipere. — *porrecta in lit.*, ornatius quam projecta in litore, quatenus extensum cadaver jacet. Ceterum quum Maevium tristissimo mortis genere poeta adfectum vellet, in mergos, qui sepulturae cadaver ejus subducerent, incidit, in litoralibus plagis commorantes; quamquam eos cadaverina abstinere constet. — 23. 24. Tempestates religiose cultas fuisse satis ex Ovid. Fast. VI. 193. constat. Vid. ibi intpp. et ad Virg. Aen. V. 772. Adde Fabrett. Inscr. VI. p. 461. *Agnae*, quam et Virg. l. l. ponit, *caprum* immolandum adjungit poeta, quo consummatior votis suis exitus esset; nihil amplius. Argute alii, epitheto capri perpetuo (*libidinosus*) in tranversa rapti.

ARGUMENTUM. XI.

Et argumenti ratio ludicra, adfectatiorque atque obscurior subinde sententiarum enuntiatio facile fidem faciunt, graecum poetae, quod nunc presse nunc liberius exprimeret, hoc carmine exemplum ante oculos fuisse, omninoque illud inter prima ejus, graecos latinis redhibendi numeris, referenda esse conamina. Lycisci (quod ipsum statim graecum nomen est, a Lyco forte, Alcaei amasio, deminutum) pueri delicati, quem amaret, arrogantia ac superbia (v. 26.) intime commotus poeta incusat, dolenterque apud Pectium, sodalem suum, profitetur miseram sortem suam, quae ipsum, discussis, quae vel ipse fortiter ceperit, vel amici suggesserint,

sanioribus conciliis atque objurgationibus, continuo amoris, idque parum prosperi, laqueis irretiat. Explicat adeo poeta hoc carmine aestum animi sui, amoris igne incensi, incertisque consiliis perturbati; atque in hoc, egregie prorsus descripto, maxima horum vv. laus continetur. De Pectio egregie, ut solet, hariolatur Sivrius, homo putide doctus.

Adnotationes.

v. 1. Cum exordio compara Nostri I. 19. 9. sqq. et infra XIII. 6 sqq. Adde Propert. II. 13. 33. *me nec cura theatri, nec tetigit Campi, nec mea Musa juvat. Nihil me juvat*, οὐδὲν μέλει μοι, taedet jam (ut IV. 1. 31.) poeticis studiis vacare, non amplius delector iis, *Amore perculsus*, Ἔρωτι ἐκπληγεὶς (veluti Eurip. Med. 8. et passim) attonitus, κάτοχος ἐξ Ἔρωτος, pro vulgari amore correptus, districtus. Multo enim magis poeticum est, si Amorem Deum cogites, hocque sequens versus postulare videtur. Amor *gravis*, δεινὸς, βαρὺς Θεὸς (ut Theocritus et alii), graviter instans, urgens. *Sicut antea*, quum ab amore immunis essem. Monendum hoc propter Cruquii ineptias. *Scribere versiculos*, contemtim de suo studio poeta, quod jam nihili faciat. Saltem probabilius hoc Gesneri commento, *versiculos* ad metra lyrica breviora trahentis. — 3. *Amore* graviter repetitum ut infr. XIII. 6. — *me praeter omnes*, unum omnium, solum *expetit*, ex omnibus deligit, quem petat, invadat, quo collineet Meleagro aliisque frequentato phantasmate. — 4. *urere*, ut urat, pectus meum amore puerorum ac puellarum incendat, eos me amare cogat. *Urere* pro, amore incendere, satis pervulgatum; ut Tibull. IV. 2. 11. Ovid. A. A. I. 23. et passim. Sed virtutem locutioni conciliavit structura poeta. Ovid. Met. VII. 22. *Quid in hospite regia virgo ureris.* Similia sunt ardere, suspirare in aliqua, de quo loquendi genere multi sunt Passerat. et Burm. ad Propert. I. 13. 7. — *mollibus*, ἁπαλοῖς, delicatis.

v. 5 sqq. Ex continuis amoribus suis Inachiam poeta ponit, maximam fundi calamitatem, gravissimorumque cruciatuum causam; unde vix expeditus in Lycisci denuo casses deciderit. Hic *tertius December*, tertia hiems, annus est, ex quo Inachiam

amare desii. Pro *est*, quam delecto ornatu, ratione hiemis habita: *silvis honorem*, ornamenta sua, folia *decutit*, privavit iis. Virg. Ge. II. 404. *Frigidus et silvis aquilo decussit honorem* Senec. Med 715. *Aut rigida quum jam Bruma decussit decus nemorum, et nivali cuncta constrinxit gelu.* — *Inachia furere*, ἐπιμεμηνέναι (ut Lucian. Dial. mar. I. p. 288.), efficax verbum in summo amoris aestu declarando. Ceterum furere, insanire aliqua, non minus frequens structura est. quam ardere in aliqua, aliquam.

v. 7. Animo ab insano Inachiae amore recepto castigat jam se ipsum atque dementiae adcusat poeta, qui indigno isti amori (erat enim Inachia avara puella, quae auro amorem venderet), succubuerit, indeque, quum celare haud potuerit, se amicis ac toti adeo populo deridendum traducendumque praebuerit; quod animi humani naturae, saniora sequentis, consentaneum est. Jam vulgaris sententiarum ordo erat: Pudet jam, fabulam totius urbis fuisse (nam amor, dum viget, placet, minime ista curat, Tibull. IV. 7. 9. *peccasse juvat; vultus componere famae taedet; cum digno digna fuisse ferar*), pudet, amorem in conviviis prodidisse atque evulgasse. Utrumque similiter conjungit Propert. III. 23. 16. et 21. *Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu* — — *risus eram positis inter convivia mensis, et de me poterat quilibet esse loquax.* — *quanta fabula fui!* quantam apud populum infamiam subii, quam sinistros pudendo isto amore rumores de me excitavi! Ovid. Am. III. 1. 21. *Fabula, nec sentis, tota jactaris in urbe, dum dua praeterito facta pudore refers.* Propert. I. 5. 25. *Quod si parva tuae dederis vestigia culpae, quam cito de tanto nomine rumor eris.* Idem II. 16. 21. *Septima jam plenae deducitur orbita lunae, quum de me et de te compita nulla tacent.* *Al popol tutto favola fui gran tempo,* mellitus Petrarcha p. 11. Plura vide apud Lamb — *pudet tanti mali*, potest esse: pudet, Inachia insaniisse, eam deperiisse; rectius tamen videtur: fabulam Urbis fuisse, pudet tantae infamiae. — *Poenitebat* Horatium non tam *conviviorum* ipsorum, quam quod amorem suum variis modis detegerent, a convivis exagitandum ac deridendum. Vim igitur sententiae quaere in adjectis; *in queis amantem* me *arguit*, amorem meum manifestis signis prodidi, idque *languore*, aegritudine animi, omnem convivii hilaritatem a se repellente (Ita *languens cor* Ariadnae tri-

buit Catull. LXIV. 99.); quo et pertinet *silentium*; maxime quod medium sermonem abrumpit. Cf. IV. 1. 35. *cur facunda parum decoro inter verba cadit lingua silentio?* Denique *spiritus imo latere petitus*, suspirium alte ductum. Callim. Ep. XLV. 1. ἕλκος ἔχων ὁ ξεῖνος ἐλάνθανεν· ὡς ἀνιηρὸν πνεῦμα διὰ στηθέων, εἶδες, ἀνηγάγετο. Adposite ad totum locum Plaut. Cistell. I. 1. 56., *quid cedo, te obsecro tam abhorret hilaritudo? — hoc sis vide; ut petivit suspirium alte! et pallida es:* unde mox (v. 70.) concludit: *amat haec mulier.* Spectat etiam huc Asclepiadae c. X. (A. Br. I. 213. οἶνος ἔρωτος ἔλεγχος. ἐρᾶν ἀρνεύμενον ἡμῖν ἤνυσαν αἱ πολλαὶ Νικαγόρην προπόσεις. Καὶ γὰρ ἐδάκρυσεν, καὶ ἐνύσταξε, καί τι κατηφὲς ἔβλεπε, χὼ σφιγχθεὶς οὐκ ἔμενε στέφανος.

v. 11 *sqq.* Repraesentat jam animi sui, qualis tum fuerit, faciem poeta, amoris aestu pariter atque indignatione perciti. Vigorem ac venustatem huic tabulae addit rei tractatio, ad vivum h. ad animi humani naturam plane delineata. Generalius erat: Fatebar tüm meum tibi amórem, bene potus. Sed speciali, quem amor suus infelix ipsi suggereret, colore poeta: *querebar adplorans tibi*, cum multis lacrimis apud te conquerebar, indignabar, *candidum pauperis ingenium nil contra lucrum valere*, hominem pauperem cum animi sui candore, probitate maxime fide, constantia in amore ostensa, nihil prorsus valere, nullam ejus rationem haberi *contra lucrum*, quod e beatioribus amatoribus Inachia faceret, contra divitias, munera rivalium suorum, h. me pauperem at fidum amatorem lucupletioribus posthaberi. Sed acuit orationem exclamatio, et *nil valere* pro, nil valeat, praeclare commotum poetae animum decet. Vid. supra ad VIII. 1. Notatur autem Inachia tanquam avara, rapax puella. Ad sententiam laudant Anacreontea: σοφίη, τρόπος πατεῖται, ἄργυρον μόνον βλέπουσιν. Alia, quae pauperes amatores prae divitibus commendent; adnumerat commoda Tib. I. 5. 61 — 6. — 13. Simulac plus paullo adbiberam, vino incensus. Haec ornatissime poeta. *Bacchus* s. vinum *arcana calentis* amore, h. mea, amorem meum, quo jam satis calerem, *mero fervidiorem* factum, auctum, incensum, *loco* suo, quo tegi oportuerat, h. ex intimo pectoris *promoverat*, proturbaverat, propalaverat, h. me eum eloqui coëgerat. Hinc *inverecundus*, qui verecundiam abstergit, tacenda proloqui jubet. Aliter idem *verecundus* audit I. 27. 3. Achill. Tat. II. 3. Ἔρως δὲ καὶ Διόνυσος — ψυχὴν κατάσχοντες ἐκμαίνουσιν

εἰς ἀναισχυντίαν, ὁ μὲν καίων αὐτὴν τῷ συνήθει πυρί, ὁ δὲ τὸν οἶνον ὑπέκκαυμα φέρων. Hinc οἶνος ἔρωτος ἔλεγχος in Asclepiadae e. l. De vino arcani prodigo Eratosth. I. 3. (A. Br. I. 477.) τὰ δὲ καὶ κεκρυμμένα φαίνει βυσσόθεν, ἐκ δ' ἀνδρῶν πάντ' ἐτίναξε νόον. Adposite ad sententiam Meleag. LVII. 3. (A. Br. I. 18.) de Baccho: ἐν πυρὶ γενναθεὶς στέργεις φλόγα ταν ἐν Ἔρωτι. — ἦ προδότας ἔφυς, τέα δ' ὄργια κρύπτειν αὐδῶν, ἐκφαίνειν τάμα σὺ νῦν ἐθέλεις.


v. 15 — 18. Sententia horum vv. paullo impeditior, maxime propter *ingrata fomenta*, quae qualia h. l. sint, quum tam amplae notionis sit vocabulum, vix explorate dicere habeas. Scholl. *fomenta* explicant, querimonias, satis docte, et τῷ *haec*, quod manu quasi ad superiora, querelarum plena, ducit, admodum convenienter. Nec dubitandum, querimonias fomenta dici posse, utpote quae, altero in doloris societatem vocato, aegritudinem minuant, vel quod omnino animus, dolore oppressus, evulgando eo se levari sentit. Exemplum vide in Propertio de Cynthia querente I. 18. Nec impediunt adjecta: *ingrata* vel per se, vel quibus nihil proficitur, et: *vulnus nil malum levantia*, quae amoris cruciatus parum levant, quae miserum solatium praebent. Unde sententia totius loci satis concinna evadit: Si aliquando ira ita abripiar, ut queri amplius taedeat, quandoquidem istis nihil promoveo, *desinet imparibus* cet. h. non amplius pugnabo cum rivalibus meis, deseram puellam. Cruqu. in omnes partes se, Protei instar, vertit, neque tantillum sani extricat. Paullo meliora, quamquam haud magis probabilia, habent Lamb. ac Torrentius, quae ideo adferre nihil attinet. Equidem *fomenta* latiore sensu h. l. accipi oportere existimem, et quidem de omnibus iis, quae amorem nutriunt, excitant, amori novos stimulos subjiciunt. Jam quum Horatii amor in puellam avaram incidisset, quae divites amatores potiori loco haberet, ipse adeo eam in se superbam experiretur, hoc ipsum erat, quod novos ei insistendi proposito suo subdere stimulos, et ad fastum puellae expugnandum, rivalesque, a quibus vinci pudor erat (v. 18.), amoliendos eum instigaret. Fomenta adeo cum acumine h. l. indigitat injurias puellae, quae poeta excluso (v. 31. 32.) alios amatores admitteret, quae ipsi tamen pro fomite atque incitamento essent, ulteriora tentandi, adeoque in amore perseverandi. Noti satis graeci vv.: ὕβρις ἔρωτας ἔλυσε· μάτην ὅδε μῦθος

λᾶται ὕβρις ἐμὴν ἐρέθει μᾶλλον ἐρωμανίην. *Quod* enim *datur ex facili, longum male nutrit amorem.* Ovid. A. A. III. 579. cujus omnino praecepta hac de re vide sis. Hinc *ingrata*, molesti amoris aculei, quatenus non ex mutuo amore proveniunt, sed ex objectis potiundi ejus difficultatibus; ideoque ἐπεξηγητικῶς subjungi puta *vulnus malum*, infelicem amorem *nil*, κατ' οὐδὲν, minime *levantia*, juvantia, nihil omnino ad leniendos amoris cruciatus adferentia, quod alias a fomentis exspectari solet. Egregie huc facit Lucretii locus (IV. 1054 sqq.), unde Horatium profecisse admodum probabile est: *Sed fugitare decet simulacra, et pabula amoris absterrere sibi, atque alio convertere mentem — — nec retinere semel conceptum unius amorem*, et servare sibi curam, certumque dolorem. Ulcus enim vivescit, et inveterascit alendo, inque dies gliscit furor, atque aerumna gravescit, *si non prima novis conturbes vulnera plagis — — aut alio possis animi traducere motus:* quorum ultima itidem cum exitu hujus carminis plane conveniunt. Atque ita tandem de sententia loci tutius statuere licet, quae haec est: Quod si aliquando ira excandescam, adeo quidem, ut aerumnis atque difficultatibus, quibus hactenus me ad amorem persequendum excitari passus sum, non amplius movear, injurias ulterius perferre pigeat; certo apud me constitui, amorem istum missum facere. Conf. omnino infra XV. 12 — 16. Restat ut de orationis ornatu, qui non uno loco in transversum VV. DD. abripuit, paucis dispiciamus. Pro, si ira mea exarserit, docte est, *bilis inaestuat.* ζέει, ὑπερβλύει, exundat *praecordiis*, cor tumet bile; vid. ad I. 13. 4. Davis. ad Cic. Tusc. I. 9. p. 18. — *libera*, quae sibi non temperat, omnem animi moderationem excludit, non amplius graviori amoris adfectu retinetur. — *ventis dividat*, a ventis diripi sinat, non curet. Vid. ad I. 25. 20. et I. 26. init. — *vulnus*, de amore, pervulgato loquendi usu. Vid. ad I. 27. 12. — *malum* cum vi, propter parum prosperos ejus successus. — 19. *Desinet imparibus certare summotus pudor*, ego, submoto pudore, desinam cum *imparibus*, h. rivalibus, quibus impar sum, me potentioribus contendere, ego haud erubescam palmam ipsis concedere, adeoque priores partes eos apud te habere sinam, quod ipsum, mollius atque urbanius est, quam, te relinquam. *Pudori* antea erat Horatio, rivalibus cedere, se, omisso certamine, victum fateri. Possit etiam *submoto pudore* accipi, victa verecundia, animi mo-

deratione, qua rivales hactenus tulerim. *Impares* quoque interpretari licet, amorem haud convenientem, haud mutuum, ut generali sententia poeta usus sit pro: desinam eam amare, me non redamantem. Sic *par* est XV. 14. *et quaeret iratus parem.* Sed praestat ad impar s. iniquum cum rivalibus certamen referre.

v. 19—22. *Ubi haec palam*, coram *te laudaveram*, hoc consilium ceperam, hoc sequendum statueram, *severus*, serio, animo ad id obfirmato. *Laudamus*, quae ex duobus eligimus, praeferimus, noto loquendi usu. Vid. ad I. 1. 17. adde Pind. Ol. 8. 73. Male ad laudabile poetae propositum trahunt. — 20. *jussus*, admonitus a te, ut hujus rei experimentum darem, re, quae dixissem, comprobarem, itaque e commissatione (nam inde ad amicarum domus se conferebant bene noti, quod e Propertio et aliis satis constat. Plerique Horatium e Pectii domo prodeuntum fingunt) *domum* recta *abirem*, ecce! animo statim fluctuabam, et in ista haesitatione, animo quantumvis reluctante *ferebar* ad Inachiae aedes. *Pes incertus*, quatenus ipse animi incertus, dubius erat Virg. Cir. 171. in eadem re: *Multum illi incerto trepidant vestigia cursu.* Ita quoque a Propert. II. 4. 4. *et crepitum dubio suscitet ira pede*, pedem *dubium* dici sibi persuadebat Broukh. cum aliis. Sed ibi est pes instabilis, utpote hominis irati, prae ira terram pulsantis, ac toto corpore contremiscentis. Possis quidem pedem incertum pro instabilem hactenus accipere, ut pro amoris signo habeatur (Rusin. XX. 1. in A. Br. II. 395. *ἀρνεῖται τὸν ἔρωτα Μελισσιὰς, ἀλλὰ τὸ σῶμα κέκραγεν — καὶ βάσις ἀσταθέουσα καὶ ἄστατος ἄσθματος ὁρμή*), sitque sensus: ferebar *incerto pede*, trepido, qui redintegratum meum amorem argueret; sed alterum simplicius. Ad *ebria* poetae *vestigia* (ut Propert. I. 3. 9. vocat), quae non suum officium faciant, a plerisque trahi videas, parum venuste. Ad sententiam Tib. II. 6. 13. *Juravi quoties, rediturum ad limina nunquam. Cum bene juravi, pes tamen ipse redit.* Et Prop. I. 19. 59. *Ultro contemtus rogat, et peccasse fatetur laesus et invitis ipse redit pedibus.* — *postes non amici*, et *limina dura*, amori meo parum faventia, difficilia, propter dominam asperam ac difficilem, quae Horatium non admitteret, e constanti poetarum eroticorum loquendi usu. — 22. Ad quae jacui. Haec signate poeta. *quibus infregi*, in quibus attrivi *l. et latus*, de duro cubili, et quod saepius hoc infortunium ipsi accidisset.

v. 23. ***Nunc***, amore isto vix expeditum me ***Lycisci amor tenet***, ἔχει, amore ejus teneor, ἐνδέδεμαι; cui respondet *expedire* v. 25. Notae amoris *compedes, vincula, laquei, retia* et sic porro. — *Lycisci*, pueri mollissimi, delicatuli. *Gloriatur*, ex victoriae notione, pro, qui vincit mollitia, mollior est muliercula. Forte tamen cum vi, qui jactat se, superbit ista mollitie; unde arrogantia ejus adversus sui cupidos; adposite ad *contumelias* v. seq. Cf. III. 20. extr. — *muliercula* auget mollitiae notionem. Sic Verrem Cicero *impuram inter viros mulierculam* adpellat Or. II. 192. — *Unde*, ex cujus laqueis *expedire*, liberare, me nequeant *amicorum libera consilia*, h. amici, quantumvis satis libere ac graviter castigent istum amorem, me inde severiori admonitione revocare conentur. — *expedire* ut I. 27. 24. — *libera* cons. ut *liberrima indignatio* h. libri c. IV. 10. *liber amicus* Serm. I. 4. 132. Ad sententiam Menander apud Stob. Griot. p. 265. φύσει γάρ ἐστ' Ἔρως τοῦ νουθετοῦντος κωφόν. Cf. Propert. I. 1. 25. *contumeliae graves*, ὕβρις fastus, fastidium pueri acerbum, molestum. *Nec me contumeliae lassant*, eadem de re Petron. c. 138. Fere cum proxime antecedentibus conjungunt, et contumelias amicorum intelligunt, quas tamen ab Horatii amicis vix exspectares. — 27. 28. *Sed*, πλὴν praeterquam, nisi *alius ardor*, novus amor Vide Lucretiana ad v. 16. — *pueri teretis*, τερείνου, teneri, mollis. Male Scholl. obesuli. — *longam comam renodantis*, nodo non adstringentis, cujus *coma humeris involitat*, ut de Ligurino IV. 10. 3. τῶ τὰν πλοκαμῖδα φορεῦντος, de Hyla Theocr. XIII. 7 Solennis autem comae longae, idque solutae in puero delicato mentio. Cf. III. 20. extr. Male de coma in nodum collecta cogitant Scholl. et intpp.



ARGUMUNTUM XII.



Virulentia, Archilochioque felle amariori maledicendi petulantia, quam genuinam Nostro

in insectandis vetulis dixeris, anum quamdam (Canidiam praefert Cod. Bland. parum probabiliter: nam hujus nomen, quod ponere amat, sicubi in eam insurgit, etiam hic haud desiderari passus fuisset) pudendae ab ea mollitiei adcusatus poeta hoc carmine proscindit, in summamque cum fastidio plenae turpitudinis, tum flagitiosae atque prodigiosae libidinis infamiam quaesitissimis verbis ac sententiis adducere laborat. Atque in hoc ipso, in quo ulciscendi studio abreptus peccavit Horatius, praecipua carminis virtus quaerenda est. Ceterum cum Quinctiliano, ab Horatii quibusdam interpretandis refugiente, libenter in hoc carmine fecissemus, si animo nostro obsequi licuisset, quamquam omnino intemperantiorem hanc licentiam minus insidiosam castitati existimem, quam mellitis verborum globulis conditas nuptasque talium descriptiones.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Gravissima statim objurgatio: *quid tibi vis?* quae et intemperiae agitant, satin sana es? ex solenni formula. Noster Serm. I. 2. 69. Prop. I. 5. 3. *Quid ibi vis insane?* Jam Varro Atac. apud Non. I. 186. *Quid est, quod latras? quid rabis? quid tibi vis?* Τί σὰς παρήειρε φρένας; in Archilochi fragmento apud Hephaest. p. 70. Minus bene Gesn. „perdis operam; nam nihil proficies. — *mulier*, contemtim, ut Propert. III. 23. 1. *Falsa est ista tuae*, mulier, *fiducia formae*, et passim. — *dignissima barris*, digna quae rem habeas, subjiciaris elephantis, cum ob formae, qua eos aequas, foeditatem (uti recte Scholl. Cruqu.), tum maxime, quod animali isti luculenta admodum natura sit. De barris elephantis h. l. cogitari debere dubitare non sinunt *barrire, barritus*, quae propria soni ipsorum vocabula sunt. Monboddo

tamen de Orig. et progressu LL. T. I. p. 276. ed. 2. et nuper Goldson on the Passage between the Atlantic and pacific Ocean. p. 116. genus simiorum intelligunt, qui quidem barri Buffono audiunt; in quo adeo libidinis esset notatio. Sed ignota Romanis ista adpellatio. Ceterum eadem vi Priap. LII. 9. *Ad partem veniet salax asellus nihilo deterius mutoniatus.* — *nigris,* cinerei coloris, foedis adspectu. Turnebus tamen inde *Barros,* h. homines intelligendos statuit, qui Barro sunt similes, quem deformem et nigrum fuisse cogit ex Serm. I. 7. 8. parum docte. — 2. Sequi debebat: quod meos amplexus expetas, me sollicites, juvenem nec firmum nec cet. pro hoc statim, quibus pelliceret anus Horatium, ponuntur *munera* (vid. v. 20.) et *tabellae,* quas missitaret, ardoris ejus interpretes. Cf. Juven. IX. 36. — 3. *nec firmo,* satis valido ad praestanda tibi opera, ad explendam tuam insatiabilem libidinem. — *naris obesae,* quae prae pinguedine odorandi vi destitutae sint, quae foetore tuo non graventur. Pinguedo enim sensuum aciei obesse credita. Ita *aures obesas* Calpurn. Ecl. IV. 148. opponit *acutis* v. 12. ejusd. carminis h. delicatis, subtilibus, uti *nares acutas* Noster, quamquam metaphorice, dixit Serm. I. 3. 29. Pervulgata inde ad ingenium obtusum translatio. — 4. Namque *unus* omnium, *sagacius* magis *odoror,* multo sagacior sum in odorando, tam sagax sum, ut facile deprehendam, me non lateat, utrum *polipum* an *hircum* oleas. Igitur utraque hac nasorum peste anum laborasse credi vult poeta. De polypo nares maxime infestante vid. Cels. VI. 8. Athen. VIII. 349. et Pollux VII. 13. *Hircus cubat in alis,* suaviter pro, alae hircinum odorem emittunt, instar hircorum foetent: qui odor simpliciter *hircus* poetis dictus. Catull. LXIX. 5. *Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur Valle sub alarum trux habitare caper,* ad quem locum vid. Doering. Adde Intpp. ad Petron. 128. — 6. *canis acer* naribus (uti plenius habet Ovid. Met VII. 806.) sagax. — *ubi lateat sus,* latibulum suis. Cf III. 12. 10.

v. 7 — 12. Importunissimae libidinis anum, vide quam ἐναργῶς repraesentet poeta! *Qui sudor et quam malus odor crescit membris,* docte pro, quantum ingravescit odoris foeditas, diffluentibus sudore artubus! quantum foetorem exsudant membra ejus; quum cet. — *vietis,* senio putridis, flaccidis. — 8. Quum illa *pene soluto* συνουσίᾳ ad finem perducta, opere peracto, necdum tamen satiata *sedare,* restinguere cupit *indomitam rabiem,* libidi-

nem suam inexplebilem. Describit anum καθιππάζουσαν s. κελητίζουσαν poeta, secutus Archilochum, cujus fragmentum habet Schol. Eurip. Med. 679. καὶ πίσει δρηστὴν ἐπ' ἀσκόν h. ἐφιππάζει, μηροὺς τε μηροῖς — —. Sosipater II. 3. (A. Br. I. 504.) ἡ γὰρ ὑπερφυέεσσι μέσον διαβᾶσα μὲ ποσσὶν ἤνυεν ἀκλινέως τὸν Κύπριδος δόλιχον. Epigr. CXCII. 9. (Anthol. Burm. T I p. 653. *lecto pendeat illa meo; nec pudeat quicquam; sed me quoque nequior ipso exsultet toto non requieta toro.* Cf. Priapei. XXV. 3. 4. Multo autem efficacius ad denotandam anus rabiosam libidinem est, si p. *solutum* intelligas resolutum, languidum, quam paratum, expeditum πρὸς τὰ ἀφροδίσια, quod Lamb. et Dacer. volebant, laudantes hanc in rem oraculum Aegeo ab Apolline datum apud Eurip. Med. 679. ἀσκοῦ μὲ τὸν προύχοντα μὴ λῦσαι πόδα. Schol. Cruqu. eviratum interpretatur, haud male. — *Rabies indomita,* libido quae sedari, satiari nequit. Petron. c. 55. *Tollat pedes indomita in strato extraneo.* Male ad istum locum Wernsd. in Poet. min. III. 68. — 9 sqq. adeo quidem, ut totum σμῆγμα, quo facies incrustata est, defluat. Quo minus quaesita haec rugosae ejus pellis notatio videtur, tanto acerbior atque aptior est ad propudiosae vetulae imaginem omnibus numeris absolvendam. *Creta* inducebant faciem mulieres, ut rugas absconderent, et cardorem genis conciliarent. Ovid. A. A. III. 199. *Scitis et inducta candorem quaerere creta;* et Martial. VIII. 33. 17. *Crassior in facie vetulae stat creta Fabullae.* Adde ejusd. VI. 93. 9. et passim alibi. Cf. Plin. XXXV. 16. Jam fundamento cretaceo illini solebant fuci, a quibus genae colorem ducerent Ex his poeta memorat *crocodili stercus; molestias in facie enascentes tollens,* juxta Plin. XXVIII. 8. Cf. Clementis Paedag. III. 240. a Victorio V. L. XI. 4. et Lamb. laudatum. Sententiam illustrat Petron. c. 23. *Super inguina mea diu multumque frustra moluit. Perfluebant per frontem sudantis acaciae rivi, et inter rugas malarum tantum erat* (f. effluxerat) *cretae, ut putares detectum parietem nimbo laborare.* Lamb. et Dousa commode laudant Pl ut. Most. I. 3. 117 sqq. *isthaec veteres, quae se unguentis unctitant, interpoles, vetulae, edentulae, quae vitia corporis fuco occulunt; ubi se sudor cum unguentis consociavit, illico itidem olent, quasi quum una multa jura confundit coquus.* — *creta humida,* humefacta, liquefacta sudore, *non illi manet,* defluit. — *color fucatus,* fucus confectus e st. crocodili. — 11. *subando,* καπρῶσα,

libidinando, h. l. supra virum se agitando, uti recte Cruqu. schol., rumpit *tenta cubilia*, lectum funibus tentum, funes lecti, ejusque *tecta*, integumenta, vestes stragulas. Forte tamen satius erit tecta cubiculi intelligere, ut sententia sit: ita sese commovet ut lecti atque tecti cubiculi ruina timenda sit, satis ἐναργῶς. Prius tamen tuearis Catulli loco (VI. 9): *Pulvinusque peraeque et hic et illic attritus, tremulique quassa lecti argutatio mambulatioque*. *Concutere lectum* in eadem re Juven. VI. 22.

v. 13. Quae sequuntur, ita fere ab intpp. cum antecedentibus connecti videas: *Qui sudor — cum properat — vel cum agitat* cet. Sed vix intelligas, quomodo objurgatione (*agitat saevis verbis fast.*) novi sudoris rivi eliquentur; nam obscenum sensum quem Cruqu. schol. verbis: *agitat fastidia*, subjicit, ut sit: sollicitat, ciet incumbendo penem languescentem et illam fastidientem, fastidiunt adjecta, *saevis verbis*. Omnino imposuit VV. DD. hians oratio, quae animum indignatione commotum mirifice decet. Indignationem enim prodit e secunda in tertiam personam mutata oratio cum partic. *vel*, maximam ex indignate rei mirationem inferente, inchoata. Sententiae autem ita sese excipiunt: Insana atque importuna es, quandoquidem te putidam atque importunae libidinis anum, meos amplexus cupere, atque adeo languorem meum, in tanta oris tui foeditate, incusare haud pudet. Simillime Turnus ad Drancem apud Virgil. Aen. XI. 400 et 406. *Proinde omnia magno ne* cessa *turbare metu* — vel quum *se pavidum contra mea jurgia* fingit *artificis scelus* cet. Est igitur *vel cum*, quid? quod, tam impudens es, sustines, *agitare*, exagitare, exprobrare *verbis saevis*, contumeliosis, acerbis, *fastidia mea*, languorem meum, ex tui fastidio ortum. — 14. Mire animatur oratio repraesentata ipsius vetulae verbis exprobratione. *Minus langues*, fortior es in Inachia quam apud me. *Languere* ut Ovid. Am. III. 7. 27. et passim. De Inachia vid. praecd. carmen. — 15. *Inachiae* nomen cum summa acrimonia repetitum. Cf. I. 13. init. — *ter nocte potes*, suppresso, ex verecundiae sensu, subagitare. Strato X. 1. (A. Br. II. 361.) ἐχθὲς ἔχων ἀνὰ νύκτα — —, οὐκ ἐδυνήθην, κείνου, πῶς, εἴπω; πάντα παρασχομένου. Martial. III. 33. 1. *Num* possim vetulam, *quaeris Metrinia*? possum et vetulam: *sed tu mortua, non vetula es*. Idem l. l. 76. 4. *Cum possis Hecubam, non potes Andromachen*. Id. XI. 97. *Una nocte quater possum: sed*

quatuor annis si possum, peream, te, Telesilla, semel. — *mihi mollis es*, viribus deficis, defetisceris, langues. *Mollem maritum* ejusdem conditionis vocat Martial. VII. 58. 5. *Mollem in officio* Gratius Cyneg. 277. — *ad unum opus*, vix uno decurso amoris stadio. Opus, ἔργον, sensu obsceno passim. Priapei. III. 4. Martial. X. 55. *Idem post opus et suas palaestras loro quum similis jacet remisso.*

v. 16 — 20. Ad declarandam furiosam anus libidinem mire efficax est haec execratio Lesbiae, quae luculentioris, quam Amyntae, etsi valentissimi juvenis, conditionis quaerendae negotium, ab ea sibi mandatum, parum ex ejus animi sententia confecisset, Lesbiam, feminam perductricem intelligi oportere, in promtu est videre. — 17. *quaerenti taurum*, desideranti fortem ac validum sessorem. Vid. ad II. 5. 17. Valken. ad Ammon. p. 41. et Intpp. ad illa Petronii c. 25 *Posse taurum tollere, quae vitulum sustulerit.* — *te inertem*, frigidum, infirmum ad Veneris palaestram, *monstravit*, adduxit. — 18. Quum jam Amyntam haberem, te longe robustiorem. Graviter hoc ad pruriginem ejus, in lauta satis conditione lautiorem usque circumspicientis, notandam. Amyntam, graecum hominem obiter perstringit, qui Romae vetulas beatas sectando brevissima ad divitias via contenderet. — 19. *nervus*, vid. ad h. libri c. 8. v. 17. — *constantior in inguine*, firmior ab inguinibus erigitur, protenditur, iis inhaeret, quam arbor *nova* ac vegeta, cujus adeo radices firmissimae sunt, *inhaeret collibus*. Hoc quaesite pro, terrae: nam in editioribus locis arbores altiores radices agere, omninoque firmiores creditae. Cf. supra X. 7. Seneca de Provid. IV. *Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit. Fragiles sunt, quae in aprica valle creverunt.* — *indomitum* inguen dixit, quod *nervi* erat proprium, spectatae virtutis atque indefessi.

v. 21. In hac munerum, quibus poetam illaqueare studuisset, exprobratione inest simul amara turpitudinis ejus irrisio, quae, explendae libidinis causa, eo descendere necesse habuerit, evanidis formae suae illecebris. Eccui *vellera lanae*, lanam *iteratam muricibus Tyriis*, bis tinctam, vestem dibapham (vid. ad II. 16. 36.) *properabam*, texebam, parabam, muneri mittebam? Sed alterum quaesite, ut suum ipsi placendi studium adprobaret. Nota satis hujus verbi structura graeca. Virg. Aen. IX. 488. *veste* —

tibi quam noctes festina diesque urgebam. Cf. II. 7. 24. — 23. Tibi utique tam pretiosum munus misi, *ne inter aequales*, ὁμήλικας, sodales tuos quispiam esset, quem *mulier*, amica sua *magis diligeret*, h. qui pretiosius amoris pignus, ab amica sua acceptum, ostentare posset, ne quis magis in compotatione, uti fieri assolet, amica se sua jactare posset, quam tu tua: omnino pro, quo ardentissimum meum tibi amorem testatum facerem. *Mulier* de amica Catull. LXX. 1. et passim. — 25. 26. Vel sic tamen meum amorem aversaris, naturali quasi odio commotus. Theocriteo versu hanc sententiam expressit: φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα, XI. 24. Cf. ad 4. 1.



ARGUMENTUM XIII.



Ab hieme, tristiorisque per eam coeli facie sodales ad diem genialiter agendum exhortatus poeta, ad generalem vitae jucunde traducendae praeceptum progreditur, argumentis a juvenilis aetatis flore, cito marcescente, vitaeque omnino brevitate desumtis, hocque, quo gravius ad animum accideret, Chironis, sapientissimi ultimae antiquitatis viri, idem Achillem, ad bellum Trojanum profecturum monentis sententia eloquitur atque confirmat. E v. 7 sqq. imminentes turbas civiles occasionem huic carmini scribendo dedisse odorantur nonnulli; forte ut haberet illud, quod suum ei in Epodis locum faceret: sed temere arbitror. Ceterum quam barbarae atque insipidae subinde Horatii carminibus praefixae inscriptiones sint, grave luculen-

tumque hoc carmen exemplum suppeditat, in nonnullis, quos Torrentius inspexit, Codd. hoc lemmate insignitum: Ad Amicos Comicos, h. Como, comissationum Deo praesidi litantes, comissantes; cujus inscriptionis sensum quod Torrentianum acumen, ad comicam hanc, ut barbaris nobis in barbaro hoc loquendi modo esse liceat, latinitatem obtusum, extricare haud potuerit, hoc nemo maligniori ejus ingenio imputabit.

Adnotationes.

v. 1. Cum hacce hiemis descriptione comparanda Anecreontica apud Eustath. ad Hom. Od. XIV. p. 1012. Μεὶς μὲν δὴ Ποσιδηιὼν ἕστηκεν· νεφέλαι δ' ὕδει βαρύνοντο ϗ ἄγριοι χειμῶνες καταγοῦσιν. Etiam illa Alcaei, superius (Argum. I. 9.) laudata: ὕει μὲν ὁ Ζεὺς, ἐν δ' ὀρανῷ μέγας χειμών. *Tempestas*, χειμῶνες, procellae *contrahunt coelum*, quatenus nubes conglomerant, cogunt, coelum nubibus obducunt; suavi phantasmate. Virg. Aen. V. 20. *Consurgunt venti atque in nubem cogitur aër.* Nescio tamen, an ποιητικώτερον sit, si imaginem a vultu tristitia contracto (v. ad v. 5.) repetas, ut adeo coelum nubibus obductum tristitiae prae se ferat speciem. Ita Auster Virgilio *pluvio frigore* h. nubibus *coelum contristare* dicitur Ge. III. 279. uti contra frontem laetitia expansam ad coelum traduxisse videri debet Lucret. I. 9. *placatumque nitet diffuso lumine* (h. diffuso vultu) *coelum*, quod patet ex ejusdem III. 22. *innubilus aether integit et largo diffuso lumine ridet*, quod ipsum verbum ut gr. γελᾷν, eadem vi adhiberi passim notatum est VV. DD. Utrique rationi accommodus est Claudiani locus XXVI. 378. *qualis in atram* sollicitus *nubem* maesto *Jove* cogitur *aër.* — *horrida* quatenus coelum nubibus asperat, inaequale reddit. Ita sunt aequora horrida, inaequales procellae et sim. Vid. ad H. 9. 3. Gravem, vehementem alii intelligunt, minus docte. — *imbres nivesque deducunt Jovem* h. Jupiter s. aether in imbres ac nives resolutus decidit, h. maxima

nivis imbriumque copia defunditur; deorsum ruit. Lucret. VI. 289. *sequitur gravis imber et uber omnis uti videatur in imbrem vertier aether.* Virg. Ge. I. 322. *immensum coelo venit agmen aquarum, et foedam glomerant tempestatem imbribus atris collectae ex alto nubes; ruit arduus aether.* Jam hanc *coeli ruinam* (Virg. Aen. I. 129.), quod ipsum jam antiquum sermonem redolet, eadem animabat, atque ab effectis ita designabat antiquitas, ut Jovem s. Aetherem cum imbri in terram descendere, eam fecundare etc. perhiberet. Enata inde Aetheris et Telluris, Jovis Junonis connubia aliaque figmenta poetica, de quibus docte dispexere Duumviri principes, Heyn. ad illa Virg. Ge. II. 325. *Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether conjugis in gremium laetae descendit* cet. et Wernsd. ad Pervig. Ven. vers. 4. et 59. in Poet. min. T. III. p. 537 sqq. Ceterum imbrium commemoratio in hiberna tempestate satis usitata poetis Romanis, habita sui coeli, ob hoc ipsum tristioris, ratione. — Aquilonis vehementiam praeclare ab effectu h. a fragore per silvas ac maria excitato designat poeta. Vulgarius erat: Aquilo mare ac silvas percellit, turbat. Cf. II. 9. 6. 7. — *Threïcio*, v. ad I. 25. 11.

v. 3—5. *De die*, ab hac ipsa inclementiore anni tempestate *occasionem* vitae jucunde agendae *rapiamus*, sumamus, hoc triste coelum in rem nostram vertamus, utamur occasione, quam anni tempus praebet; satis commodo sensu. Forte tamen concise dictum pro: tristis coeli opportunitatem rapiamus, *de die*, ne tantillum quidem cunctantes, hoc ipso die genio litantes, crastino haud confisi; quod τῷ *rapiamus* et v. 6. adcomodatissimum est. Possis etiam *de die* ad tempestiviora convivia (v. ad I. 20.) trahere; quod tamen paullo durius videtur. Utraque saltem ratio magis poetica vulgari interpretatione, quam insuper vereor, ut latinitas commode ferat. *Rapere*, delecte poeta, omnis morae impatiens, ac metuens, ne elabatur. Ennius apud Cic. de Or. III. 40. *vive, Ulixes, dum licet; oculis postremum lumen radiatum rape*, eadem efficacia. Similiter *gaudium fatis properantibus rapere* Petron. c. 114. *luxum rape*, Senec. Hipp. 449. et passim alibi. — *dum virent*, vigent (v. ad I. 9. 17. et I. 25. 19. Adde μέλεα χλωρὰ Theocr. XXVII. 66.) vegeta, agilia sunt *genua*, h. dum in flore aetatis constituti sumus. Genua vigoris sedes, pro ipso vigore passim. Cf. Homer. Il. XXII. 388. Od. XVIII. 132. Nostrum praeivit Theocr. XIV. 70. ποιεῖν τι δεῖ, ἆς γόνυ χλωρόν.

Vid. plura apud Klotz. ad Tyrt. p. 68. Ab athletis loquendi hoc genus traductum putabat Stanl. ad Aesch. Agam. 64. male. Oppos. *genua* senectute *tarda* (Virg. Aen. V. 431.), γυῖα βαρύθεσκε, Apoll. Rh. I. 43. Apollonid. I. 4. (A. Br. II. 132.) ἄχρις ἐπὶ σφαλεροῦ ζωροποτεῖ γόνατος. Disjunxit autem poeta *dum vir. genua et decet*, quod pedestris oratio ita copulabat: dum per aetatem decet. — *obducta solvatur fronte senectus*, quam ornate pro, frontem exporrigamus, hilaritati nos demus, jucunde vivamus, imagine a coeli turbida facie petita. Proprie poetae dicendum erat: nubes detergeantur fronte, quibus obducta est, seu, frons nubibus solvatur obducta, explicetur; explanetur, quatenus nubibus coelum contrahi, iisdemque pulsis expandi dicitur. Frons adeo *obducta* non est, in rugas adducta, sed nubila, συννεφὴς (Eurip. Phoen. 1318.) tristis, aegri animi index. Ita νέφελη ὀφρύων dicta Sophocl. Antig. 532. στυγνὸν ὀφρύων νέφος Eurip. Hippol. 173. Bacchus *nubilus* Stat. Theb. V. 270. *nubila vultu* Id. Silv. III. 5. 11. et Maerori νεφέλην μέλαιναν suaviter attribuit Homer. Il. XVII. 591. quod et aliis adfectionibus mentem turbantibus (cf. Virg. Aen. XII. 669. Catull. LXIV. 207.), adfinxere poetae, tanquam irae (Stat. Theb. III. 230. *Mars nubilus ira* Claudian. XXXIII. 81. *sublime caput maestissima nubes asperat.*) timori (Claudian. XXVI. 41.) et aliis. *Solvitur* nubes, fronte expansa. Senec. Hippol. 449. *tristem juventam solve* h. tristitiae nubem, a juventa tua alienam, dispelle. Similiter χαλᾶν, λύειν τὸ μέτωπον Graeci, veluti Aristoph. Vesp. 653. Jam pro nube docte h. l. est *senectus*, inimica juvenili hilaritati, adeoque morositas, severitas, jocos, lususque omnes exosa. Seneca Hippol. 799. vocat *pondus veteris triste supercilî*, et mox 915. *Ubi vultus ille — morumque senium triste et adspectu grave*? Ita *prisca supercilia* Virg. Cop. 34. et *priscum Catonem* Noster dixit III. 21. 11. Ceterum sententiam h. l. vide quomodo perverterit Barth. Advers. XLI. 21.

v. 6 — 10. Age, missis curis, hilare agitemus convivium. Magnam ἐνάργειαν habet, quod illico adparari vel potius celebrari jubet convivium poeta. Cf. II. 11. 13. Adornatur illud vino, unguentis, cantu, ex more. Haec vide quam vivide atque ornate adnumeraverit Horatius. Vigorem statim, quo ipse contactus est, spirat oratio ad unum e convivis (male Scholl. Cruqu. puerum intelligit) conversa: tu *move* deripe vel verte, inverte (ut III. 29. 2. *cadus inversus est*) *vina*, cadum vini. Potior tamen prior ratio

propter III. 21. 6. 7. — *moveri digna bono die descende* cet.: Male idem Schol. „misce" — *pressi*, praelo expressi, adeoque diffusi ac reconditi L. Manlio Torquato, *Consule meo*, quo ipse natus sum; ut III. 21. 1. *O nata* (testa) *mecum consule Manlio* — 7. 8. *Cetera τὰ ἄλλα*, res, quae te angunt, a compotatione alienas (vid. ad I. 9. 9.), *mitte loqui*, ne cures, ne cogites, Diis istarum cura demandata; ut l. l. *permitte Divis cetera*, ubi vid. Not. Deus *reducet in sedem* pristinam, ordinem pristinum restituet *benigna vice*, grata vicissitudine, *in melius referet*, ut Virg. Aen. XI. 426. eadem sententia. *Sedes* delecte de composito, tranquillo secundae fortunae statu; uti contra adversa turbat ac miscet. Virg. l. l. *in solido rursus Fortuna locavit.* Augustus apud Suet. c. 28. *Ita mihi Rempublicam sistere in sua sede liceat* cet. ἐπὶ χώρας ἕσσαι πόλιν, similiter Pind. Pyth. IV. 485. — 9. *perfundi* fortius quam inungi *nardo*, unguento pretiosissimo. Vid. III. 11. 16. — *Achaemenia*, vid. ad III. 1. 44. — *Lyrae parens* (I. 10. 6.) Mercurius; unde *fides* s. lyra *Cyllenea*, a Cyllene, monte Arcadiae, Mercurii natali solo. Jam pro, *lyra canere*, adpositius ad priora et sqq. est, *levare pectora sollicitudinibus*, animum curis solvere, exhilarare. Nam curae premunt, urgent animum. *Urgeris multis miser undique curis* Lucret. III. 1064. Noster Epp. I. 5. 18. *sollicitis animis onus eximit* et sexcenties alibi. — *diris*, infestis, animum exedentibus.


v. 11. *sqq.* Jam ad praeceptum generale de vita jucunde agenda procedit poeta, idque, quo fortius animum percelleret, Chironis effato communit. Idem incessus ingenii Horatiani est I. 7. 21 sqq. In adornando autem toto hoc loco vix dubitandum, quin antiquum Noster poetam respexerit, cyclicum puta, h. qui omnes de Achille narrationes carmine epico complexus esset, quod idem Statium Achilleide sua adgressum fuisse constat. Ipsa sententiarum, quae orationis summam efficiunt, stamina in Homero quoque obvia; veluti praedictio de vitae Achillis brevitate (Il. ι. 410 sqq.) et inde admonitio fruendae istius. Il. ω. 129 sqq. Ceterum vaticinii formam orationi induit poeta, quum prisca vatis notione (vid. ad I. 15. 4.) cummaxime in Chironem, δικαιότατον κενταύρων (Homer. Il. XI. 831.), βαθυμήτην (Pind. Nem. III. 92.) σώφρονα (Idem Pyth. III. 111.) caderet. Tum erat θεῖος φὴρ, Pind. ib. IV. 211. Etiam apud Pindarum idem vaticinium edit ipsi Apollini Pyth. IX. 88 sqq. — *Ut cecinit*, qualia vitae prae-

cepta dedit *Centaurus nobilis*, Centaurorum praestantissimus, Chiron, *alumno*, Achilli, quem educasset, *grandi*, magno, forti heroi. Male ad adultam ejus aetatem referunt. — 12. *Mortalis dea Thetide nate*, quamquam Dea Thetide, tamen mortalis nate, idque ὠκύμορος μινυνθάδιος, quaesita antithesi, verborum collocatione sublevata. — *invicte puer*, θεοείκελε, fortissime, soli Apollini impar. Cf. 6. 5. sqq.

v. 13. 14. *Te manet*, debita tibi fatis est Troja, fatale est tibi (vid. ad I. 28. 33. infra XVI. 41.) ad Trojanum bellum proficisci. Pro Troja est *tellus Assaraci*, regio ab Assaraco olim regnata, possessa, nota designatione. Vid. II. 6. 11. III. 29. 8. *Domus Assaraci* Virg. Aen. I. 284. — *quam findunt* τέμνουσι, dividunt, secant, praeterfluunt *Scamandri flumina frigida*, Σκαμάνδρου ψυχρὰ ῥέεθρα, *Scamander*. — *parvus*, tenuis, augusto alveo, sc. ubi ab Ida descendit in primo ejus cursu, qui fontis potius (unde et *frigidus*, quod proprium de fontana aqua) quam fluvii speciem habet, cum Simoënte necdum commixtus. Non repugnat adeo Homericis hujus fluvii epithetis, μέγας ποταμὸς βαθυδίνης, δινήεις cet. — *Simois lubricus*, tortuosus, sinuosus, instar auguis sese provolvens (Virg. Aen. II 474.), docto epitheto. Ita *acanthus hinc inde lubricus et flexuosus* dicitur Plin. Epp. V. 6. Forte tamen simpliciter de lapsu aquarum accipiendum. Ceterum signate hoc πεδίον Σκαμάνδριον (Il. II. 465.) Assaraci telluri adjectum, propter praelia ibi facta

v. 15. 16. Unde tibi reditus non datur, ubi occumbes, ex immutabili fatorum decreto. *Parcae rumpunt*, abscindunt (ut infra XVI. 35. *reditus abscindere dulces*) intercludunt *reditum* (uti *rumpitur iter*, objecto impedimento, veluti amni ut Ovid. Am. III. 6. 88. Cf. III. 27. 5.), *subtemine certo*, inevitabili, quod spectat ad totam sententiam: certa tibi mors ibi imminet, constitutum est a Parcis, te ibi mortem oppetere. Jam fatum cujusque pendet a subtemine s. filo, quod parcae nent, legunt; unde ipsum subtemen certum. — *nec mater te domum revehet*, variatio prioris sententiae, mollissimi adfectus plena. Sic Achillem Thetis ad Lycomedem defert, Delphinis invecta apud Stat. Achill. I. 221. sqq. Alii Thetidem mare intelligunt, ut sit: non iterum domum navigabis, parum venuste. — *caerula*, communi Deorum marinorum epitheto. Vid. ad I. 17. 20. III. 28. 10. *Caerula mater* de eadem Propert. II. 7. 57.

v. 17. 18. **Illic** vino cantuque te exhilarato, memor brevis aevi. Pro, exhilarare se vino docte est, *omne malum deformis aegrimoniae* (haec enim jungenda), omnem aegritudinem, omnes malas curas *levare*, h. animum iis oppressum levare (v. ad v. 10.) πάσας ἐκ κραδίας ἀνίας ἀλαπάζειν (Panyasis apud Athen. II. p. 37.) adhibito *vino cantuque*, *dulcibus alloquiis* optimo istarum remedio. *Alloquia*, ut παραμύθια gr., pro quovis levamento dicta, felicis audaciae lyricae est; in quo Bentleium offendisse jure mireris. Plane ad Nostrum Val. Flacc. I. 255. *Hanc vero, o socii venientem in litore laeti dulcibus alloquiis ludoque educite noctem*, h. mero ludoque, uti ipse exponit v. 294. — *deformis*, vultum deturpans, contristans, ut *luctus turpes* II. 20. extr. perpetuo tristitiae epitheto.



ARGUMENTUM XIV.



Instanti Maecenati, acerbaque desidiae exprobatione iambos, quos dudum promisisset, efflagitanti poeta, quo crimen istud dilueret, moramque suam purgaret, amorem allegat, quo vehementissimo correptus ab opere isto ad umbilicum perducendo detineatur, excusationemque istam, quo gravior videretur, egregie ita adornavit, ut Amorem Deum, qui omnino id fieri vetaret, praetenderet. Atque hunc ipsum Epodon librum, quem Horatius premeret, intelligi oportere quum extra dubitationem positum sit, longe alias, easque satis graves morae ac tergiversationis causas Horatium habuisse, ex ipsarum argumenti ra-

tione atque indole abunde cognoscitur. Illam tamen Macenati satis idoneam visum iri, hujus rei rationem ab ipso, amoris vim cum maxime experto, venuste colligit.

Adnotationes.

v. 1. Generalis sententia erat: rogitas, cur Iambos, adfectum opus, non absolvam? cur promissi mei prorsus immemor sim? Sed quaesite pro hoc ipsam statim causam, nimirum desidiam, quam Horatio, quo minus inchoatum opus detexeret, a Maecenate objectam fuisse admodum probabile est, orationi intexit; tum rem ipsam, iamborum absolutionem, excusationi demum suae (v. 7. 8.) inserit. — *Occidis*, enecas, molestus es (v. ad II. 17. 1. Adde A. P. 475.) crebris tuis interrogationibus, instas, objurgas me rogando, cur adeo desidiosus factus sim, ut omnem promissi memoriam animo ejecerim, de solvendo isto non amplius cogitem. Ornatissime haec poeta. Inertia oblivionem parit, animo injicit, quatenus prae inertia, quae agenda sunt, omittimus, negligimus. Jam summam inertiam arguit oblivio *diffusa*, didita *per imos sensus*, per intimos animi recessus, quae penitius se insinuavit, totam mentem occupavit. — *mollis*, quae est mollium hominum, vel ab effectu, quatenus otio animus ac corpus relaxatur, diffluit, languet. *Desidias molles* ac *marcida luxu otia* pariter Claudian. VII. 40. et passim. — 3. 4. Adeo quidem, *ut si*, tanquam largo Lethaeae aquae haustu me proluerim, ingurgitaverim. Pro Lethe docte sunt *pocula Lethaeos somnos ducentia*, adducentia, conciliantia, h. aqua Lethaea, torporem animo offundens. *Arente*, h. sicca *fauce* et *traxerim* praeclare aviditatem atque nimios adeo haustus innuunt. Nam *trahere* h. l. cum vi, ut Eurip. Cycl. 416. *ἐσπάσεν ἄμυστιν ἑλκύσας.* — 5. *Candide*, amice, familiari adpellatione argumento carminis apta. Mire tricantur Dac. et Baxt.

v. 6. *sqq.* Excusationi suae, satis levi: se amore impediri, quo minus ultimam operi manum admoveat, vide quantam speciem ac dignitatem praetendat, rejecta in Amorem desidiae suae

causa. Conf. I. 19. 9 sqq. Magna vis in repetito *Deus*, *Deus*. *Amor*, at quantus Deus! vetat hoc fieri. *Nam*, ut γὰρ pro δὴ, graviter adseverantis h. l. est. In *vetat* maxima vis est, quasi nefas atque ἀδύνατον sit, Deo obniti. — 7. Iambos inceptos, *olim promissum carmen*, ac dudum promissos. Perinde fere est, utri *olim* jungas. Si τῷ *promissum c.*, causam continet, cur Maecenas saepius flagitaverit iambos. — 8. Bacillus e ligno, ebore aut osse confectus, qui extremae voluminis orae adponebatur (nam ex adversa parte scribendi initium fiebat), et involvendae membranae inserviebat, *umbilicus* dicebatur, quoniam in media libri circumvoluti parte erat. Plurali fere numero efferunt poetae quoniam in utraque parte bacillus exstabat; quae prominentiae *cornua* quoque passim indigitantur. Haec fere sunt, quae de re, nondum satis explorata, e poetarum locis probabiliter statui posse putem. Cf. Heyn. ad Tib. III. 1. 13. A loco, quem tenebat umbilicus, obtinuit loquendi usus, ut opus *ad umbilicum adducere*, esset, finire, consummare. Martial. IV. 90. 1. 2. *Ohe jam satis est, ohe libelle! Jam pervenimus usque ad umbilicum.*

v. 9 — 12. Ad declarandam amoris sui vehementiam, quae animum ab intentiore meditatione, quam poeticum studium requirat, avocet, praeclare Anacreontis exemplo utitur, idem experti animo ejus Bathylli amoribus districto. Forte idem de se professus erat Anacreon, in aliquo carmine, temporis injuria dicam, an beneficio nobis erepto. De Bathyllo agit c. XXIX. Samon ejusdem patriam innuit v. 45. ejusdem carminis. Vid. omnino Lessing. Schriften P. III. p. 47. — *ardere aliquo*, nota structura. — *cava testudine*, lyra (v. I. 10. 6.) *flevit amorem*, amores suos cecinit, amatoria ᾄσματα composuit *non elaboratum ad pedem*, parum accuratus, paulo negligentior in servanda metri lege, ita ut saepius Iambum cum Anapaesto, Tribrachy, Spondeo cet. permutaret. Suaviter hanc Anacreontis ἀφέλειαν vehementiori amoris ejus aestu excusat poeta. — *Flere*, *queri*, de amatorio carmine solennia. Dom. Marsus (in calce Tib. IV. 25. 3.): *ne foret*, aut elegis molles qui fleret amores, *aut caneret forti regia bella pede*, et passim.

v. 13 *sqq*. Sententiarum progressio ita apud animum informanda videtur; Atqui, inquis, ab isto amore cavere tibi debuisses. Enim vero *ureris ipse miser*, in eodem lutho haeres. Vel,

quantam vim amor ad animum habeat, probe intelligis, qui ipse amori gravi succubueris. In utroque excusatio sui amoris est. Amorem gravem arguunt *ureris* et *miser*, nota loquendi ratione. Nisi potius condolentis h. l. est: miser tu amorem mihi objicis, quo ipse cruciaris! — *quod si* cet. quamquam felicior tua sors mea est; te formosissimam ac fidam (quod oppositionis vis postulat) puellam: me libertinam, idque multiviram nacto. Priora miro acumine expressit poeta. Si *ignis*, *qui accendit Ilion*, qui incendii Trojae causa fuit, *non pulchrior fuit*, h. si puella, qua ureris (nam ab hoc verbo ad hanc sententiae elocutionem deductus seu potius delapsus est poeta), quam deperis, tam pulchra est, quam Helena, incendii Trojae causa. Facile intelligitur, ignem satis ἀμφιβόλως hic a poeta poni. Nam primum Helenam indigitat, quae recte Trojam incendisse dici poterat, quatenus incendii istius causa exstitit; tum alteri, *accendit obs. Ilion*, veri ignis notionem subjicit. Excusatior tamen h. l. poeta, quod hac ipsa notionum confusione Maecenati animum suum amore confusum testatum faceret vellet, vel quod eidem, curioso talium (vid. ad II. 12. 21.), hoc acumen probatum iri sciret. Hoc quidem probabilius altero subtiliori. — *obsessam*, post decem annorum obsidionem a Graecis expugnatam. — 15. *gaude*, hanc tibi sortem obtigisse, quod in talem amorem incideris, suaviter opponitur τῷ *miser*. — *neque uno contenta amatore* (Terent. Eun. I. 2. 42. *Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit*), multorum adpetens; hinc delecte infelicem amorem suum declarandum, *macerat*, amoris curis conficit. Cf. ad I. 13. 8.



ARGUMENTUM XV.



Et sententiarum quaesita gravitate, et adfectuum, ad vivum plane delineatorum varietate, maximeque modulatioribus numeris excellens ac Tibullianae prorsus suavitatis carmen! Neaerae, quae amatorem divitem amplexa esset, perfidiam graviter incusat poeta, injectaque jurisjurandi, quo suam quondam amoris fidem sanctissime alligasset, religione ac neglecti ejus divina vindicta, minatusque, se discidium, ubi semel perdoluisset, bene ac fortiter laturum, ad saniora eam consilia revocare adnititur. Tum ad rivalem suum conversus, suo ipsum exemplo edocet monetque, quam fallax aura ista sit, quam jam experiatur faventissimam. Exordium mirae artis est in adumbrando perjurii horrore; tum quos in summa indignatione, qua injuria ista commotus aestuat poeta, animi amore exardescentis motus ac signa haud obscura animadvertas ipsa veritate sua ad animi sensum jucundissima accidunt. Ceterum sitne eadem haec Neaera, quae Tibullo adamata, ejusque carminibus celebrata, neque negare nec adfirmare licet; neque omnino scire quidquam interest.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Solenne poetis, *Noctem*, *Lunam*, *Sidera* in testimonium rei noctu absque consciis gestae, ut h. l. jurisjurandi in no-

cturno duorum amantium congressu facti, advocare. Ne longius evager, Meleag. LXXI. 1. (A. Br. I. 21.) de eadem re: Νὺξ ἱερὴ, καὶ λύχνε, συνίστορας οὔτινας ἄλλους ὅρκοις, ἀλλ' ὑμέας εἱλόμεθ' ἀμφότεροι. Χὼ μὲν ἐμὲ στέρξειν, κεῖνον δ' ἐγὼ οὔ ποτε λείψειν ὠμόσαμεν. κοινὴν δ' εἴχετε μαρτυρίην. Propert. III. 19. 5. *Foedera sunt ponenda prius, signandaque jura — —; haec Amor ipse suo constringet pignora signo: testes sidereae tota corona Deae.* Val. Flacc. VIII. 48. sqq. *serva hanc profugae — fidem: Dii nostris vocibus adsunt, sidera et haec te meque vident.* Nocturnum autem tempus delegit poeta, tum quia illud Amori sacrum, tum maxime ad augendum rei horrorem. — *Sidera minora*, lunae adposita. Cf. I. 12. 47. — 3 sqq. *Cum tu* solenni jurejurando *numen laesura Deorum*, quod tamen, ut jam eventus docuit, ruptura eras, te obstringebas, *hunc amorem*, hoc amoris foedus, quod pacti inter nosmet eramus, *mutuum fore*, te illud sancte servaturam esse, me constanter amaturam. Tibull. I. 9. 1. *Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores, foedera per Divos, clam violanda, dabas?* Solenne jurisjurandum fiebat *conceptis verbis*, ut alter verba praeiret, quod h. l. est *in verba jurare.* Doctius tamen erat si *in verba mea jur.* explices, postquam egomet jurej. me obstrinxeram, tu vicissim jurabas, — *laedere Deos*, sc. perjurio, pejerare, noto loquendi usu, Cf. Tibull. I. 9. 6. et ibi Broukh. *magnorum D. numina*, pro magna numina Deorum (ut Virg. Aen. II. 623.), cum vi, unde gravissima vindicta metuenda erat. Tibull. III. 6. 22. *Qui timet irati* (Bacchi) *numina magna, bibat.* Coll. ejusd. III. 4. 16. De Venere cogitabat Torrent., quae sane eadem vi ita dicta eidem Tib. I. 2. 79. *Nam Veneris magnae violavi numina verbo.* Inepte ad Deos majorum gentium referebat Lamb. — 5. 6. Arctissime me complexa, inter arctissimos amplexus hoc jurabas. Ad sententiam trahit Schol. Cruquii jurabas te arctius mihi conjunctam fore, quam illex edera adstringitur: male. De comparatione vid. I. 36. 20. — edera *adstringit ilicem*, adplicat se ilici. Claudian. XIV. 18 sqq. *tam junctis manibus nectite vincula, quam frondens edera stringitur aesculus, quam lento* premitur *palmite populus.* — 6. Brachiis *lentis*, arcte implicitis, corpori, ambitiosis, tenacibus, noto loquendi usu. — 7. 8. Te eo usque constantem fore, dum naturae leges fixae manerent, h. semper. Ex his in specie naturale ovium ac luporum dissidium, et tempestates sub

Orionis occasum in mari excitari consuetas commemorat. Ad illud conf. hujus libri c. IV. initio; ad hoc I. 28. 21. et passim. Alia in eadem re commemorat Propert. II. 12. 31. sqq. quem locum omnino vide. Observa poeticam rationem in enuntiatione sententiae. Debebat esse: dum pecori lupus infestus esset, sed verbum inclusit atque adcommodavit alteri membro; unde etiam supplere possis: dum lupus infestus turbaturus esset pecus. — *nautis infestus O. turbaret hibernum mare*, abundanti ornatu pro, dum nautis infestus foret, mare conturbando, illud hibernum s. procellosum reddendo. — 9. Ornate admodum pro. dum Apollo juventute gauderet; hanc designat poeta juventuti decore, promissa coma, Apollini propria. Tibull. I. 4. 37. *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque juventas, nam decet intonsus crinis utrumque deum*, h. propter intonsos crines, quibus uterque conspicuus est. Jam, quod vulgarius erat, dum sol promissam comam haberet, ornatissime poeta extulit: dum coma ejus aura s. vento agitaretur; quod solenne de crinibus solutis (III. 4. 61. de Apolline: *qui rore puro Castaliae lavit* crines solutos). Claudian. XXXV. 30. *levibus projecerat auris indociles errare comas* Vid. ad III. 20. 13.

v. 11. — 16. Propositae divinae perjurii vindictae jam minas, quibus alienatam a se Neaerae mentem iterum convertat, quasque haud leve in puella arroganti ac superba pondus habituras sperare possit, poeta subjicit, quas ne vanas existimet, ut fere amantium sint (vid. v. c. I. 25. 9 sqq.), Neaeram curate monet. Cf. III. 10. extr. Inepte quaerunt, cur *dolitura* sit Neaera, amisso eo, quem haud magni faciat; tanquam gravius quid feminae accidere possit, quam amatoribus destitui, seque aliis posthaberi. Catull. VIII. 14. *At tu dolebis, quum rogaberis nulla, scelesta, nocte.* Tib. I. 9. 79. *Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit, et geret in gremio regna superba tuo.* — *mea virtute*, ἀρετῇ, ἀνδρείᾳ, consilio, proposito meo, virili s. forti animo capto, sc. deserendi te, quod ex sqq. patet. De animi constantia, s. perseverantia in proposito capiunt plerique: sed de hac v. 15. demum agitur. — Nam, *si quid viri*, animi virilis, fortis in me est. Optime huc faciunt Terentiana (Eun. I. 2. 74.): *Heu noster, laudo: tandem perdoluit, vir es*, in eadem re. Pro, *in me* cum virtute est, *in Flacco*, quem non impune talia ferre probe scis. Animi causa lubet adponere, quae

Cruq. ad h. l. habet, „alludit ad adjectivum *flaccus*, quasi Horatius flaccidis et demissis auribus in re Venerea illi non satisfecisset; nam cognomen *Flaccus* ab auribus flaccidis mobilibusque deductum est" ohe! — 13. *Non feret* aequo animo, patietur, te continuo alteri vacare, alium a te admitti, se excluso. *Noctem dare*, signate pro, copiam sui facere. Propert. II. 12. 37 sqq. *Quod mihi si secum tales concedere noctes illa velit, vitae longus et annus erit. Si dabit haec plures, fiam immortalis in illis.* — *potiori*, rivali, mihi praelato, ut saepius. Vid. ad III. 9. 2. — 14. teque missam faciet, deseret. Pro hoc, quo magis ureret puellam: *iratus* ob has injurias *quaeret*, eliget, expetet *parem* puellam, quae amori suo respondeat, quae amore se mutuo amplectatur. Propert. I. 1. 31. *Sitis et in tuto semper amore pares.* — *Constantia mea non cedet formae* docte pro, consilium meum haud labascet, vincetur formae tuae potentia, constanter perseverabo in proposito, nullis pulchritudinis tuae illecebris labefactando. Pro *tuae* est ornate et adposite ad sententiam: *semel offensae*, ubi me semel offendisti, semel accepta a te injuria. Si passive sumas, erit: Ubi semel te offendero, quaesita ac praelata alia tibi puella, ubi adeo semel mihi proposuero, te derelinquere, constans ero in hoc, nunquam tua me forma reducet. Ita τὸ *semel* majorem vim habet et concinnius est ad totam sententiam. Simplicius tamen fuerit; *form. offensam* accipere: invisam, odiosam ex perfidia. — 16. Si *dolor*, ira *intraverit*, penetraverit pectus meum, si indignatione commovear. — *certus*, qui est animi certi, obfirmati.

v. 17 — 24. Eadem admonitio Albiana (I. 5. 69.): *At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto; versatur celeri Fors levis orbe rotae*, extremi remedii loco, proposita puellae levitate, a rejectis amatoribus ad partes vocari solita. — *felicior*, potior, prior. Nam *felix* de amore secundo, ut pervulgatum. — 18. *superbus incedis*, signantius quam, superbus es (vid. ad IV. 5.), superbis, laetaris *meo malo*, te mihi a Neaera praeferri, *qui laetus rides mala nostra* similiter Tib. I. 2. 87. — 19 sqq. quantumvis opibus, ingenio, forma excellas; eandem tamen puellae levitatem aliquando experiere. Singula ornatissime. Opum vim declarant *greges* (ut II. 16. 33.), et *multa tellus*, magnae agrorum possessiones, latifundia; tum, quod colore poetico adjicitur, *aurum*, quod Pactolus, Lydiae fl., vehit. *Tibi fluat Pa-*

ctolus, in tui gratiam flumina Pactoli sint aurea, tantum auri habeas, quantum Pactolus fert. Dictus inde χρυσοῤῥόας εὔχρυσος Sophocl. Philoct. 393.; res notissima. — 21. Ingenii ac doctrinae laudem speciatim a philosophiae Pythagoricae interiori scientia, qua imbutus sit, repetit poeta. *Arcana*, abstrusa Pythagorae dogmata, vel quatenus cuique sectae sua quasi *mysteria* sunt, h. praecepta ac dogmata propria, ut Pythagoricae μετεμψύχωσις, quam h. l. adjecto *renati* h. in nova usque corpora commigrantis (vid. ad I. 28. 11.), tangit poeta, quibus adeo *initiantur* adseclae ejus. — *non te fallant*, lateant, probe teneas; bene respondet τῷ *arcana*. — Sis Nireo pulchrior. Cf. III. 20. extr. — 23. *moerebis* cum intimo tuo dolore (unde praeclare adjectum *eheu!*) senties, *alio amores transferri*, te ab ea deseri, alium tibi praeferri. Idem orationis color in Propert. II. 13. 35. *Terra prius — quam possim nostros alio transferre calores* — 24. *risero*, laetabor malo tuo. Cum sententia Toup. Emend. in Suid. T. II. p. 52. confert Asclepiadea (A. Br. I. 214., c. XVIII. 3.): ταῦτα παθοῦσα μέμψεαι ἡμετέροις στᾶσα παρὰ προθύροις, Nostro parum similia.



ARGUMENTUM XVI.



Carmen hocce tum, quum inimicitiae inter Octavianum et Antonium ad bellum spectarent, a poeta scriptum esse, satis adfirmate poni posse existimo. Quo quidem, quum maxima utrimque mole adpareretur, rempublicam, pluribus bellis civilibus fundamentis suis jam emotam labefactamque, in summum discrimen adductum iri quum facillimum ad augurandum esset, Horatius, quo intimo erga patriam suam amoris adfectu contactus erat,

impendente ejus ruina gravissime commotus non, quod alias facere solet, populares suos ab immani isto scelere dehortari conatur, sed aegritudine animi oppressus indeque, uti fert animi humani natura, in reipublicae, quam, etsi multoties isto modo periclitatam, sanioribus consiliis ab interitu revocari posse, plane desperaret, taedium adductus, deserendae ejus, longissimeque ab inauspicata ista regione fortunarum suarum sedem transferendi consilium saniori civium parti proponit, Phocaeorumque exemplo egregie communit. Saepius hoc factum, intestinis flagrantibus discordiis, abunde historia docet. Sic L e p t i n a S i d o n i i s c o n d i t u m memorat Sallust. Jug. 78. *q u i p r o f u g i o b d i s c o r d i a s, c i v i l e s n a v i b u s i n e o s l o c o s v e n e r i n t, ut alia taceam. Quo propensiorem autem melioris partis voluntatem experiretur, Fortunatas Oceani insulas petendas monet, clementissima coeli temperie, proventuumque omnis generis ubertate commendatissimas. In quas pronum erat poetam incidere, quum Sertoriani consilii, easdem, desperatis rebus, spectantis recens tum exstaret memoria. Rem jam Acro attigit ad v.* 41. *„In quo (Oceano) sunt insulae Fortunatae, ad quas Sallustius in historia dicit victum voluisse ire Sertorium“ Vid. omnino Plutarch. in Sertor. p.* 520. *Reisk. — Ad argumenti tractationem quod attinet, vere de hoc carmine pronuntiare licet, pectus poetam, quum illud scriberet, fecisse; adeo vigent omnia, indignationes taediique sensu acerbissimo animata, ac plane repraesentata (inde a. v.* 15.), *sententiarum denique robusta gravitate, orationis praecipita-*

tae fervore, imaginumque felici copia mire adjuta.

A d n o t a t i o n e s.

v. 1. Quum *aetatem* XXX. annorum spatium, tanquam medium humanae vitae terminum ponere licet, proprie poeta loquutus videri debet, *alteram* jam *aetatem bellis civilibus teri*, h. inter bella civilia consumi, ad finem vergere professus; quandoquidem, quod a Sulla cum armis Urbem ingresso (erat is a. U. DCLXVI. unde omnino bellorum civilium initia repetenda sunt) usque ad *extremum Antonii*, ut Florus vocat *furorem* (a. U. DCCXII.) effluxit tempus, LVI. annis circumscribitur. Quod ut non moverim, ita multo efficacius in bellorum civilium detestatione erit, sententiam ita acuere, ut *jam alteram aetatem* h. homines alterius aetatis (uti *aetas* est v. 9. et passim apud, Nostrum) bellorum civilium rabie *attritos* detrimentum passos, rarefactos (ut I. 2. 23. *vitio parentum rara juventus*) a poeta designari existimem; unde gravissimum in remp. damnum redundet: quod quidem sequ. versus disertius exponit. Nisi omnino disjungi a poeta dicendum, quod pedestris scriptor ita construxisset: altera jam aetas inter b. c. agitur, res Romana periclitatur. — 2. Argute Gesnerus: *et ipsa* posuit ad emphasin; significat enim nil praeter ipsam Romam stare: jam enim Romanis viribus ruerant cetera. Potius esset, accipere; *ipsa Roma*, splendidum illud imperii terrarum domicilium; qua emphasi est supra VII. 9. 19. *Sed ut — sua* urbs haec *periret dextera*. Sed praestat, ad sententiam trahere; Romam suis ipsam h. ipsius, viribus ruere, pervulgatissima loquendi ratione. *Ruit*, pessum it, ad interitum vergit (ut I. 2. 25.) labefacta *viribus suis*, ἐναργῶς de *populo potenti, qui in suà victricem convertit viscera dextram* ut fere Lucan. I. 3. Praeclare et adposite, qua verba, qua sententiam, Liv. XXX. 44. *Nulla magna civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi invenit: ut praevalida corpora ab externis causis tuta videntur,* sed suis ipsa viribus onerantur. Idem in praefat. init. *Jam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt.* Propert. III. 11. 60. *Frangitur* ipsa suis Roma *superba bonis*, a nimio luxu exitii causas repetens.

v. 3 sqq. Sententia praeclare ad exaggerandam criminis invidiam adornata: Romam ab externorum hostium periculis acerrime defensam in summum nos ipsimet discrimen adducemus, perdemus. Jam generalem externi periculi notionem speciali delectaque bellorum, quibus resp. Romana periclitata est, enumeratione, quod facile exspectari poterat, explicuit ac repraesentavit poeta. Primum, utpote reip. calamitosissimum, memorat bellum, *Marsicum* s. sociale, a *finitimis* populis, *Marsis*, Latinis, Umbris, Samnitibus Lucanisque, jus civitatis postulantibus, infensissimis animis motum gestumque. Vid. Flor. III. 18. *Marsos* ex iis ponit, nam hi potissimum duce Popaedio reliquos Italiae populos concitaverant; etiam ob spectatam ipsorum in bello virtutis ferociam. — 4. Bellum Etruscum cum rege Porsena, et ipsum Urbi paene existiosum, uti vel e Livio notum. Adde Flor. I. 10. *minacis Porsenae Etrusca manus* quaesite pro, manus *minax* h. ferox, fortis, Porsenae Etrusci, regis Etruscorum. — 5. *Virtus Capuae* Romae *aemula*, non simpliciter est, quae de principatu cum Roma contenderet, urbs potentissima (quam in rem Cic. in L. Agr. I. 6. *Majores nostri Capua — — omnia insignia reip. sustulerunt, non crudelitate, sed consilio; quod videbant, urbem ipsam imperio domicilium praebere posse.* Idem in L. Agr. II. 32. *Majores vestri — tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, statuerunt posse imperii, gravitatem ac nomen sustinere*, laudante Lamb.); sed fortiori sensu accipiendum, quae post Cannense damnum imperium Romanum totiusque adeo Italiae adfectaret, uti diserte tradit Liv. XXIII. 6. — De *Spartacio*, ut Florus vocat, bello vid. ad III. 14. 9. — 6. *Allobroges* populus Galliae, Rhodani a lacu Lemano ad Isaram usque accola, *nulla Gallica gente opibus aut fama inferior* (Liv. XXI. 31.) idemque postquam a Cn. Domitio Ahenobarbo a. U. DCXXXI. devictus, et in provinciae formam redactus esset, ab imposito jugo, ut ceteri Galli, resiliendi pertinax. Hinc *rebus novis*, quas subinde moliretur, *infidelis*, perfidum animum ostendens, rebellis dictus; perpetuo magis Gallorum, animi levitate insignium, quam efficaci ad rem epitheto. Complexus autem Allobrogibus universos Gallos poeta videri debet, quos rem Romanam per plures aetates graviter adflixisse constat. — 7. Germania *fera caerulea pube*, Germani caeruleis oculis truces, terribiles. Cf. IV. 5. Ad rem Tacit. Germ. IV. *Habitus corporum*

— *idem omnibus; truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora.* Respicit potissimum effusam per Italiam immanem vim Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris et Teutonis erat, quae Caepionem, Manlium et ante Carbonem Silanumque fugavit castrisque exuit, donec a Mario tandem repressa maximaque clade adflicta est. Vid. Vellei II. 12. Flor. III. 5. — 8. Graviter claudit agmen *Hannibal*, teterrima illa, ut ita dicam, Italici fundi pestis ac calamitas. *Abominatus parentibus*, matribus, ob caesos multis praeliis filios, (unde *bella matribus detestata* I. 1. 24. et *proelia conjugibus loquenda* IV. 4. 68) dirus, ut II. 12. 2. Extenuant vim loci, qui majores omnino parentum nomine declarari volunt.

v. 9. Pro, nosmet, quam graviter: *Aetas*, *γενεὰ*, homines, *devoti sanguinis*, oriundi a majoribus *devotis*, *ἐναγέσι*, piaculo, posteris, adeoque nobis, luendo, obstrictis. Potest etiam esse: quorum sanguis devotus est, quibus sanguine suo culpa, ἄτη, majoribus contracta redimenda est, quos bellis civilibus atteri fatale est; hocque tenere praestat. Ita *cruor Remi sacer nepotibus* Supra VII. extr. Cf. ad I. 2. Argum. — 10. *solum feris occupabitur*, nota vastae solitudinis imago. Cf. ad III. 3. 40. — *rursus*, quae facies Romae ante Romulum fuit; de qua passim poetae Romani. Nota Propertiana (IV. 1. 1.); *Hoc quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est, ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit*: et Ovidii (Fast. V. 95.): *Hic, ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbae, et paucae pecudes, et casa rara fuit.*

v. 11 — 14. Generalem sententiam: externos hostes, Urbe civibus vastata, potituros esse, specialibus notionibus dispescuit poeta, ad acerbiorem rei invidiam commovendam delectis. *Victor barbarus*, barbarae copiae, Daci, Aethiopes et reliqui, qui in Antonii essent exercitu. Cf. III. 6. 14. — *insistet cineres*, doctius quam, cineribus sc. urbis, urbi in pulverem versae; quod ex sqq. patet, perspicuitatis causa adjectis. Declarat ferociam et insolentiam victoris, urbis ruinis, tanquam bustis (unde rei imago ducta est. Vid. ad III. 3. 41.) religiose cultis, insultantis, atque inequitantis, in quo postremo acerbissimae ad animi sensum contumeliae inest species. Ovid. ex Pont. I. 2. 111. *Nec male compositos — — Bistonii cineres ungula pulset equi.* Seqq. graphice admodum et ornate. *Urbem* h. solum, quo Urbs steterat, *eques*

verberabit, pulsabit, equo ferociter persultabit. Vigorem atque ἐνάργειαν imagini addunt v. *sonante ungula*, quam quidem pro equo ipso a quibusdam accipi video, incommode prorsus vel propter adi. *sonante.* Tum equi notionem praebet *eques* h. barbarus equo invectus, cui adeo a poeta tribui potest, quod equi proprium erat. Ita *eques glomerat gressus superbos* apud Virg. Ge. 117. ubi vid. Heyn. quamquam ibi ad oculorum potius sensum rationem poeticam adstringam. — 13. 14. Quum sepulcrorum violatio, jure pontificio inexpiabili religione apud Romanos sancita esset (Cic. Tusc. I. 12. ad quem l. vid. Davis. et Guther. de Jur. Man. III. 25.) tum infaustissimi prodigii instar habebatur, si vel fortuito conditorum urbium atque imperiorum ossa detegerentur (cujus rei illustre exemplum adfert Suet. Jul. LXXXI. de Capye), nedum si contumeliae ac ludibrii causa eruerentur, ut h. l. Romuli. Accedit, quod eadem haec inter pignora quae Romanum imperium tenerent, haberentur; atque haec potissimum ratio est, cur hostem in ea saeviturum praedicat poeta, ut scilicet omnem instaurandae Urbis imperiique spem praecludat. Illud quidem probabiliter statuas ex Claudian. XXVI. 100 sqq. *procul arceat altus Jupiter, ut delubra Numae, sedemque Quirini barbaries oculis saltem temerare profanis possit, et arcanum tanti deprendere regni,* laudante jam Torrent. Pro rostris Romuli sepulchrum fuisse e Varrone tradunt Scholl. ad h. l. Ossa, quae *carent ventis*, quae ventorum injuriis subducta sunt, quae alte sub terra recondita sunt, immota jacent. Cinerum condendorum causam hac enuntiatione innuisse poeta videri potest; simplicius tamen fuerit statuere, poetam, ex alterius membri verbo, *dissipabit*, in illam incidisse. Quumque *Soli ostendi*, ἠελίῳ δείξασθαι, poetis res dicitur, quae adspectui patet, visui objicitur; ossa *sole carentia* itidem esse humata, terra penitus defossa, in promtu est videre. Sed quaesite ita poeta eloquutus est, in re sacra, quam *nefas* esset *videre*, quae solo adspectu profanaretur. Atque ita plane Pseudo-Phocylides, antiquioris poetae vestigia secutus, v. 94. 95. μὴ τύμβον φθιμένου ἀνορύξῃς, μήτ' ἀθέατα δείξῃς ἠελίῳ, καὶ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς — *insolens*, ὑβρίζων.

v. 15. *sqq.* Junge: *forte communiter*, et universi, *aut* saltem *melior pars* vestrum, qui bella civilia detestamini, *quaeritis* deliberatis, *quid expediat*, quid optimum factu sit, quodnam satius consilium sit, quid facto opus sit, *carere malis laboribus*, ut diu-

tius belli civilis aerumnis ac miseriis aliquando careamus, iis liberemur. De graeca hac structura nemo facile dubitaverit; et *expediendi* verbo usus est poeta in re spinosissimae deliberationis, in qua plures sententiae proponuntur, e quibus illa, quae consultantibus optima visa est, eligitur, praefertur, quae adeo expedit. Eodem redit, quamquam paulo abstrusiore via, si explices: quid expediat τὸ carere malis lab., quid illam quaestionem expeditam reddat, quae in medium adferri oporteat, quod consilium in impedito hoc negotio efficiat, ut careamus istis laboribus — *malis*, funestis, ob interitum civium.

v. 17 — 22. Agite, deseramus inauspicatum hoc solum, Phocaeos imitati. Hos quidem, quum ab Harpago, Cyri duce, gravissima obsidione premerentur, concesso unius diei ad deliberandum de rebus suis spatio, commune mutandi soli patrii consilium cepisse, cumque conjugibus ac liberis primo Chium, mox, negata ipsis in ista insula sede, Cyrnum s. Corcyram adpulisse ibique consedisse, ante autem, quam patria cederent, publicis exsecrationibus juramentoque, ne quis remaneret, neu quis prius reverteretur, quam massa ferri, quam mari immersissent, in ejus superficie adparuisset, sanxisse, seque obstrinxisse, post Herodot. I. 165. plures tradiderunt. Eandem fere devotionis formulam Noster sententiae suae de fugienda patria adjecit v. 25 sq. Orationis ordo est: *nulla sit sent. potior hac*; in hanc omnes discedamus sententiam, omnibus placeat, *ire, pedes* cet., *veluti Phocaeorum civitas, exsecrata*, postquam omni exsecratione se devinxisset, diris eos, qui remansuri essent, devovisset (ἐποιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας τῷ ὑπολειπομένῳ ἑωυτῶν τοῦ στόλου Herod. l. l.), *profugit agros* (ita junge) *atque Lares proprios*, quaesitiore structura (ut Homer. ζ. 502. προφυγόντα μένος καὶ χεῖρας Ἀχαιῶν) pro vulgari, ex agris atque Laribus patriis, h. patria, eamque desolavit; pro quo ἐναργῶς admodum est, eadem v. 10. vastissimae solitudinis imagine ad partes vocata: *apris et lupis*, omnino feris, *reliquit habitanda*, latibulo ipsis permisit *fana*, graviter pro, totam istam regiónem. — 21. 22. Isthinc aufugere, ac commigrare, quocunque nos casus terra marive tulerit, dummodo longe ab infausta hac regione disjuncti simus. Vividissime ita taedii sui, quo erga remp. adfectus esset, sensum exponit poeta, ut ubivis terrarum degere satius ducat, quam Romae. Nota autem loquendi ratio, *quo pedes ac venti ferunt*, quae fere in proverbium ver-

tit, de itinere temere suscepto. Vide ad illa III. 11. 49. *I, pedes quo te rapiunt et aurae. Notum* et *Africum* posuit pro quibusvis ventis, quod ipsa sententiae ratio docet. Ventus eo *vocare* dicitur, quo navem impellit. Hinc *vocantes* venti, dicti faventes poetis, quatenus navem eo dirigunt, quo ei cursus est. — *Africus protervus*, vehemens, Vid. ad I. 26. 2.

v. 23. Praeclara ὑποτύπωσις deliberantis de communibus rebus suis populi ad Senatus Romani speciem, in quo perrogarentur sententiae, plane conformata; tum indignationem, qua poeta percitus omnem cunctationem impatientissime fert, mirifice ostendit praecipitata oratio. Itane censetis? *an quis melius* in rem consulere potest? quin igitur abimus? — *secunda alite*, αἰσίῳ ὄρνιθι, bono omine, quod istud suum consilium saluberrimum optimumque eventum habiturum judicaret. Contra *mala avi* (I. 15. 5. coll. III. 3. 61.) suscipi creduntur, quae funestum exitum habent. Mirum, hoc non vidisse interpretes.

v. 25. *sqq.* En exemplum jurisjurandi, conceptissimis verbis facti, in quo illud singularis artificii est, quod factum, sanciendo juramento inserviens, ipsa oratione repraesentetur a poeta. Acumen quaesivit idem in conversione vulgaris sententiae: ante tamen, quam hinc aufugiamus, jurejurando nos obstringamus, nos haud prius redituros, quam saxa, in mare dejecta, in ejus superficie iterum adparuerint. *Ne nefas sit*, tum demum in patriam, quam relicturi sumus, redire fas sit, simulac saxa *imis vadis* ab imo maris fundo *levata renarint*, delecta copia pro, in summam aquam emerserint; nam v. *renarint*, animo statim ἀδυνάτου objicit speciem. Ceterum totam rem ad Phocaeorum exemplum adumbratam esse a poeta, in hoc tantum diverso, quod massae ferri saxa substituerit, obvium est videre. Vid. Hesiod. l. l. — *Lintea*, vela *dare*, navigare (ut I. 34. 4. et passim) cursu *domum converso*, h. pristinam sedem repetere. — *quando* cet. Sequuntur plura diversique generis ἀδύνατα physica: quo magis obfirmaret discessum, quem institui decrevisset poeta. Sane rem, quam Horatius vellet, admodum ἐναργῶς ita exprimi, nemo facile dubitet: neque omnino grandem ei dicam impegerim, quod in profundendis copiis suis modum excesserit; quam quidem ingenii luxuriem in omnibus fere poetis, ad tractanda haec ἀδύνατα, poeticae exornationi maximopere congrua, delatis, animadvertas: sed hoc legentis animum male habet, quod ista

omnia ex sua poetae persona, sed tanquam oratoris, qui publicam causam agat, populumque in haec jurisjurandi verba adigat, ab Horatio ludibunde magis quam presse ac graviter, quod personae susceptae postularet dignitas, proferantur. Peccavit adeo poeta adfectu abreptus, rem, quo certius, quod vellet, adsequeretur, sub varias imaginum species revocante. — quando *Padus*, citerioris Galliae fluvius, cursu mutato *Matina cacumina*, Matinum, montem Calabriae (sed alterum delecte, ad augendam ἀδυνάτου speciem) *laverit*, inundaverit, percurrerit, Lucretiana voce (V. 948. *exibant humore fluenta lubrica, proluvie larga lavere humida saxa*). — 28. Seu ubi mons Apenninus qui longo tractu Italiam dividit, moverit se atque *in mare procurrerit*, promontorium maris factus sit.

v. 30 *sqq.* Inversas naturae leges solenne poetis animalium disparis indolis naturalique odio diremtorum conjunctione atque connubio adeo repraesentare. Vid. ad I. 33. 7. 8. *Amòr jungit*, copulat, *nova libidine*, facit, ut libidinentur invicem, mutuo coitus desiderio flagrent *monstra*, disparis prorsus naturae animantia. Vulgari utique erat: ubi disparia animalia mutuo amore exarserint. *Mirus* et *nova*, quoniam praeter naturam ista fiunt. — 31. Adeo quidem, ut *juvet subsidere*, delectius ac gravius quam *subsidant*, h. ineantur tigres a cervis. Lucretianum esse verbum (IV. 1191. *Nec ratione alia volucres, armenta, feraeque, et pecudes, et equae maribus subsidere possent*) notarunt jam alii. — 32. *Adulteretur*, ineatur (ita τράγος μοιχεύει αἶγα Lucian. DD. XXII. 1.) subsidat *miluo*. Sed alterum signate de columba, castitatis laude celebri Propert. II. 15. 27. — 33. et armenta audacter inter leones erratura sint. — *credula*, ipsis fidentia, nihil inde sibi periculi metuentia. — *ravos*, ravis oculis, χαρόπους, βλοσυρούς. Vid. ad III. 27. 3. — 34. Ubi hircus aequor *amet*, praetulerit, in mari degerit. — *laevis* factus, instar piscis, qui natura hirtus est. Ultima conveniunt cum Archilochi XVI. 7. sqq. (An.. Br. I, 44) μηδ' ἵνα δελφῖσι θῆρες ἀνταμείψωνται νέμον εἰνάλιον, καί σφ' θαλάσσης ἠχήεντα κύματα φίλτερ' ἠπείρου γένηται, τοῖσι δ' ἡδὺ ἦν ὄρος.

v. 35 — 38. Ubi haec aliaque, quae omnem reditus spem *abscindere poterunt*, nobis adiment, *exsecrati* erimus, sanciendae sententiae causa pronuntiaverimus, ubi in haec verba juraverimus. Latius adeo sumenda h. l. *exsecrationis* notio, omnes

eas complexa formulas, quae firmando foederi, jurijurando (ut h. l.) adhibentur. Reditus *dulces*, quatenus antiquam patriam spectant. — 37. *pars indocili melior grege*, quae supra gregem sapit, sanioribusque his consiliis aures advertit. Adsumendum hoc ex adi. *grege indocili* h. qui persuaderi nequit, ut, relicto solo patrio, novas sedes exquirat. Contemtim autem et signate hac *gregis* adpellatione poeta utitur, quoniam fere imperitorum ac deteriorum major modus est, ut bene vet. Schol. — *mollis* etc. Pedestris utique orationis junctura et enuntiatio erat: Fugiamus isthinc omnes, aut saltem cordatiores civitatis viri; reliqui, grex mollis et exspes, ideoque indociles, domi remaneant. Ultima mira acerbitate tinxit poeta, flagitiosissimam, qua retineantur, ignaviam ipsis exprobando. *Mollis*, prae mollitia iners fugaeque pericula ac labores subterfugiens, *exspes*, adeoque abjecti animi, ut de salute prorsus desperet, vilissima turba ista *perprimat cubilia*, gravissime pro, domi desideat. Solenne hoc poetis de hominibus, *nil magnae laudis egentibus.* Delecte *cubilia*, utpote quae a *grege* premuntur. — *inominata*, inauspicata, infausta, scelesta, ob continua bella civilia. Etiam in *perprimat* magna vis est: ulterius perseverent desides esse, persistant in inertia sua.

v. 39. *Vos* melioris partis, *quibus est virtus*, ἀνδρεία, generosior ac fortior animi ad subeunda pericula, linquendamque patriam indoles. — *muliebrem tollite luctum* inversa sententia pro, forti animo capessite iter; quae inversio tamen parum apta h. l. videri possit vel propter antecedentia: quibus est virtus, in quos adeo vix luctus muliebris cadat. Sed quum virtutem suam hoc ipso, quod desideratissimam patriam suam derelinquant, abunde comprobent, tum molliorem adfectum istum in discessu ex ea, quam nunquam revisuri sint, etiam in fortiore naturae humanae excusat inbecillitas. Orationis colorem Noster duxit ex Archilocho (in Stob. Flor. Grot. p. 513.): τλῆτε, γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι. — 40. Et mare Tyrrhenum ingressi Oceanum versus navigemus, Fortunatas insulas, illic sitas, petituri. *Volare*, ut πέτεσθαι de navigatione solenne. H. l. adjunctam alacritatis notionem habet, qua iter institui cupit poeta. — 41. Haec tanquam μάντιν, qui fatorum decreta aperit, poetam eloqui putandum. Cf. ad v. 66. — 41. *Nos manet Oceanus*, fata nos petere jubent Oceanum (ut supra XIII. 13. *Te manet Assaraci tellus* cet. et pas-

sim) *circumvagum arva*, qua arva ambit, adeoque insulas in Oceano sitas. Circumscribit adeo atque definit cursum epitheton, qui in Oceano tenendus sit, tum ipsas insulas accuratius descriptas subjicit. Vulgarior adeo loquendi ratio ferebat; nos manent arva, Oceano circumflua. Jam quo desideratiores istae *insulae divites* (Μακάρων νῆσοι) essent, in commoditatibus ac jucunditatibus earum adnumerandis paullo longius exspatiatur poeta, ipsa tractationis poeticae, quam locus admittebat, facilitate invitatus, easque a soli insigni fertilitate, mitissimaque aëris temperie ita laudat, ut Homericam Elysii, ab eodem in iisdem locis collocati (Od. IV. 563. sqq.), speciem, adjunctis tamen aureae aetatis notionibus, quibus illud fere a poetis exornari solet, Noster repraesentasse videri debeat, Vid. Heyn. ad Virg. Aen. VI. 637. et in Opusc. T. I. p. 395 sqq. Insulas, quae hodie *Canariae* audiunt, designari, monuere jam alii. Neque huc nonnulla transferre pigebit, quae de iisdem apud Plutarchum in Sertor. p. 520. Reisk. traduntur: *ὄμβροις δὲ χρώμεναι μετρίοις σπανίως, τὰ δὲ πλεῖστα πνεύμασι μαλακοῖς καὶ δροσοβόλοις, οὐ μόνον ἀροῦν καὶ φυτεύειν παρέχουσιν ἀγαθὴν καὶ πίονα χώραν, ἀλλὰ καὶ καρπὸν αὐτοφυῆ φέρουσιν, ἀποχρῶντα πλήθει καὶ γλυκότητι βόσκειν ἄνευ πόνων καὶ πραγματείας σχολάζοντα δῆμον. ἀὴρ δ' ἄλυπος ὡρῶν τε κράσει, καὶ μεταβολῆς μετριότητι κατέχει τὰς νήσους*, — 43. Ubi omnia sponte et sine cultu (44 sqq.) uberrima copia proveniunt. Terra *Cererem reddit*, proprio vocabulo de semente terrae concredita cumque foenore reddenda poeta usus est, quod minime urgendum. Est enim h. l. simpliciter, ex se dat, profert, fundit fruges. Quodsi propriam verbi vim h. l. retinendam censeas, sementem tantum ibi faciendam, absque cetero agrorum molestiore cultu (*inarata*), victumque adeo facillimum (*τῇπερ ῥηίστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν* Hom. l. l.) innuere poetam dicendum. Sed hoc parum commode in descriptione, aureae aetatis colores adumbrante. Igitur nec vis quaerenda in *reddit*, quasi nunquam fallat, semper fidelis sit ager, ut III. 16. 30. De re ipsa, in quavis aureae aetatis descriptione obvia, exempla congerere nihil attinet. — 44. *Vinea*, vites *imputatae*, speciatim pro genere, nulla cura impensa, *florent usque*, per consequens, semper fecundae sunt, haud unquam intermittunt fructus ferre. — 45. Ornate pro, ubi oleae felicissimis ramis (nam *termes* proprie ramus oleae cum fructu) exuberant. Olea non *fallit*, quae spem

flore ostensam haud destituit, fecunda; ut passim. — 46. Ubi *ficus pullae* h. maturae ex *sua* h. nativa arbore dependent, ubi in sua arbore ad maturitatem perveniunt. Commode Schol. Cruqu. „ficus, quae sponte et sine insitione aut cultura nascuntur, durae esse solent et fatuae ac cito decidere, ibi, inquit, tales nascuntur, ut etiam pullae ornent suam arborem, nec decidant, antequam sint maturae." *Ornant* solenne hoc poetis de fructu et foliis. Vid. I. 17. 16. et hujus libri II. 6. — 47. Mel quercubus cavis defluit, absque hominum cura ab apibus ibi congestum. Pervulgata ac propria haec aetatis aureae. — *montibus altis* cet. Ad ubertatem soli pariter atque regionis amoenitatem hoc refer. Ornatum poeta petiit e Lucret. V. 273. et VI. 638. *super terras fluit agmine dulci, qua via secta semel liquido pede detulit undas.* Unde etiam Virg. Cul. 17. *Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.* Adde III. 13. extr. — *crepante*, sonoro. Vid. Burm. ad Prop. II. 22. 49. — 49. 50. Etiam haec ex aurea aetate depromta sunt. Virg. Ecl. IV. 21. *Ipsae laetae domum referent distenta capellae ubera;* et Tib. I. 3. 45. *ultroque ferebant obvia securis ubera lactis oves.* — *injussae*, αὐτομάται, sponte. — *veniunt ad mulctra* ut Virg. Ecl. III. 30. — *grex amicus*, hominum commodis inserviens; adposito ad *ubera tenta* sc. lacte, epitheto. — 51. Omnia ibi pacata sunt, ut in aurea aetate. Virg. l. l. *nec magnos metuent armenta leones.* Ursus *circumgemit ovile* suaviter pro, circumit ovile, aditum explorat, adjecta asperitatis ejus notione. — *vespertinus*, δειελινὸς, ἑσπέριος, vesperi, noctu, ut saepissime, v. c. Theocr. XIII. 33. Ad verba ac sententiam Virg. Ge. III. 537. *Non lupus insidias explorat ovilia circum, nec gregibus nocturnus obambulat.* — 52. Absunt ibi noxia animalia. Virg. l. l. *Occidet et serpens, et fallax herba veneni. Humus alta intumescit viperis*, felici audacia in declaranda viperarum copia pro, non alit viperas veneno tumidas. Proprium enim veneni *tumere.* Senec. Her. fur. 936 *nulla nocituro gravis succo tumescat herba*, et passim. Ad cavernas ac latebras serpentum, quibus terra egeratur ac elevetur, fere referre videas, quod nec verum, nec poeta dignum est. — 53. 54. Vid. Obss. *Nulla nocent p. contagia*, omnino pro neque morbis infestantur pecora. Sed pestilentiam posuit, subjecturus causam ejus *aestuosam astri impotentiam* quod docte est pro, *impotentem* h. nimium *astri* h. Sirii aestum, quo grex torretur, verbo, siderationem. Vid. ad III. 1. 31. et Senec. Oed. 39.

v. 55 sqq. Nova subjecturus felicitatis momenta poeta variavit orationis structuram, ne scilicet nimis protracta videretur descriptio. Plurima alia insuper ibi *mirabimur*, cum voluptate (unde adposito ornatu adj. *felices*) cognoscemus commoda, quibus nostra regio destituitur (nam hoc ipsum est; quod mirationem facit): veluti, *ut neque . . . . . semina glebis* h. aequabilem ac mitem anni tempestatem. Homer. l. l. οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος· ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους. Hoc vide quam comte exornaverit poeta. Hiemem declarant *procellosi imbres* ex Italicae regionis natura, uti supra XIII. 1. et passim. Hi *radunt*, verrunt arva, dum nimia copia defusi (*largi*) terram diluunt ac provolvunt maxime in locis clivosis; graphice. Ita flumina radunt ripas, atterendo ac detrahendo terrae, quam alluunt. Euro illud tribuit poeta, quatenus omnino *vis venti nubes contrahit, et e supero premit ac facit effluere imbres*, Lucret. VI. 511. Cf. III. 17. 11. Hinc *aquosus* dictus, aquosas nubes cogens. — 57. Neque nimio Solis aestu torretur regio. *Semina pinguia* fecundo succo turgida *uruntur*, exuruntur, arefiunt, *glebis* nimio calore *siccis*, terra sole exusta, prae nimia siccitate. — 58. Jove moderante *utrumque*, et aestatem et hiemem. Similiter II. 6. 17. *Ver ubi longum tepidasque praebet Jupiter brumas.*

v. 59 — 62. Homines ibi degunt ab omni hominum commercio integri ac sinceri, ad quos adeo non penetrarunt vitiorum contagia, navigationibus per terrarum orbem disseminata, adeoque probi, pudici, cupiditatibusque liberi. Jam quum commercium cum istis maritimum esse debuerit, delecte poeta ex longinquis antiquissimorum hominum navigationibus expeditionem Argonautarum, Ulyxis errores, et Phoenicum itinera commemorat, quos omnes Oceanum intrasse fama erat. Vid. vel Gesneri Praelectt. de Phoenicum extra columnas Herculis navigationibus. Non huc *pinus Argoo remige contendit*, pinus Argoa, navis Argo adremigavit, adpulit, Graeciam repetens, in qua adeo vehebatur *Colchis*, Medea *impudica*, projecto pudore externum virum sequuta, scelesta, impia. — 61. Neque *Sidonii nautae*, Phoenices *cornua* sc. antennarum, antennas, vela, *huc torserunt*, isti obverterunt litori, signate pro, adpulerunt. Vide praeter rei nauticae scriptores Miscell. Obss. II. 381. Contrarium est in Virg. Aen. III. 549. *Cornua velatarum obvertimus antennarum* in discessu e portu.

— 62. *Cohors laboriosa Ulyxei* docte pro, Ulyxes *laboriosus*, πολύτλας, cum suis sociis. Cf. 17. 16.

v. 63 — 66. Jupiter *secrevit haec litora*, discretas has a ceteris hominibus sedes habitandas adsignavit *piis*, ab aetatis suae labe integris, qui in feracissimo scelerum proventu innocue vixissent. Facile perspicitur, commisceri h. l. colores cum Elysio, piorum sede, quod et ipsum cum Hade in extremo Occidente ab Homero collocatur. Sequutus autem Noster videri debet, etiam qua verba, Hesiod. Ἔργ. 167 sqq. Τοῖς δὲ δίχ' ἀνθρώπων βίοτον ϰ ἤθε' ὀπάσσας Ζεὺς Κρονίδης κατένασσε πατὴρ ἐς πείρατα γαίης — — ϰ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην. — 64. 65. Ornatissime pro, postquam aureae aetati deinceps successit aerea ac ferrea. Tres igitur tantum ab Horatio aetates numerantur, quum alii plures, duas tantum Virg. Ge. I. 125 sqq. commemoret. Sed in talibus figmentis constans ac propria poetis diversitas. Aurum *inquinatur*, corrumpitur, deterius fit, adulteratur *aere* admixto, juxta gr μιαίνειν, quod omnino de quavis admixtione dici pervulgata res est. H. l. fortiori sensu accipiendum, aurum plane permutavit aere, auream aereae cedere jussit aetati. — 65. Mox aerea *secula ferro duravit*, e duro ferro procudit (*de duro est ultima ferro* Ovid. Met. I. 127.), ferrea fecit. — *quorum*, cujus ferreae aetatis *fuga datur*, ex quo ferreae aetatis consortio aufugere licet *piis*, meliori nostrum parti (v. 15.), quae bella civilia detestatur, *me vate*, delecte pro me auctore ac suasore; quandoquidem vetustissimis temporibus coloniae a vatibus, consulto prius oraculo, deducebantur. *Piis* potest etiam explicari, ad piorum sedem, ad piam hominum γενεὰν; quamquam hoc paulo durius. — *secundo*, secundo omine, sub faustissimis auspiciis. Nam et haec ante, quam illae educerentur capta fuisse, ex historia Romana abunde constat.

ARGUMENTUM XVII.

Non diu animi dubius fui, an Varo, insulso Canidiae amatori vetulo (de quo Ep. V.),

partes suas in hoc carmine restituerem bonique Horatii, quod male feriati intrusissent librarii, nomen expungerem. Tanta enim hujus cum epod. V. est conjunctio, mutuaque rerum ac sententiarum inter se relatio, ut telam, isto scitissime inchoatam, hoc demum detexi absolvique facillimum sit intellectu. Scilicet, quo mordacior vanissimae artis magicae irrisio esset, virulentissima ironia poeta efficaciam ejus in Varo postrema, quam Canidia V. 13. se paraturam minata fuerat gravissimam, incantatione supra fidem ita comprobatam ostendit, ut, quo certior rei fides esset, eumdem Varum miserias suas, aestumque animi, in quem devotione ista conjectus esset, Aetnaea flamma saeviorem, oratione explicantem, ejusque levamen ac finem flebilibus modis a Canidia exposcentem inducat. Precibus laudes ejus subtexit Varus, si forte blanditiis istis emolliatur, sibique tandem ignoscat; quibus tamen Palinodiae Archilochiae formam plane induit, ut haud difficile ad judicandum sit, mulierem istam iis omnibus probris, maleficiis, sceleribus, a quibus puram eam praedicat, fuisse inquinatissimam. Quas quidem laudes quum Varus versibus exponat, recte in eum cadere videre debent illa: sive mendaci lyra voles sonari v. 39. quae ipsa verba Horatiani nominis praefigendi ansam dedisse suspicor. Jam v. 52. carmen absolutum videri poterat; sed rem ad summum produxit poeta inducta Canidiae, respondentis Varo, semetque ipsam risum facientis persona. Haec enim Varum animi verba loquutum, seque adeo, quae voluisset, adsequutam rata, omnibus sese laetitiis efferens ita insultat Varo, ut sancte ei vitam

ipsa spe sua longiorem polliceatur, quo diuturniores scilicet cruciatus essent, ac tales quidem, ut violenta morte, frustra tamen, iis sese subducere tentaturus sit. — Atque ex hac ipsa argumenti delineatione exquisitam poetae artem in traducenda Canidia effusam ipsamque vividam rerum adornationem facile est adsequi; accedit ad has dotes sententiarum facetissima gravitas, orationis delectus et ornatus haud vulgaris ac subinde quaesitus, ac doctrina reconditior.

Adnotationes.

v. 1—52. Varus loquitur. Summa exordii: Tandem, idque maximo infortunio meo, fateri cogor, *scientiam* artis magicae, artes magicas, quas hactenus vanissimas habui, esse efficacissimas, veneficiorum vim esse praesentissimam, in me ipso potentiam eorum expertus. Sententiae igitur vis in epith. *efficaci* quaerenda; *do manus* efficaciae *scientiae*, quod exquisite dictum pro, concedo, largior, veneficiis vim inesse aliquam. *Supplex* originem proverbialis τοῦ *dare manus* locutionis a victis, hostique sese dedentibus desumtae, tangit, cruciatusque arguit quibus confessio ista extorta est. — 2. Oramus atque obsecramus alterum per res, quas ei scimus carissimas esse atque sanctissimas. Adposita igitur obsecratio est apud Canidiam, pharmaceutriam, per res inferas (*regna Proserpinae*), quibuscum magiae arctissima conjunctio est (vid. ad 5. 52.) *Dianam* s. Hecaten, istarum omninoque magici sacri Deam praesidem (c. I. v. 51.) et ipsa *magica carmina* (v. 3.), ut ab incantatione desistat, instituta. *Numina Dianae*, quaesite, in potentia hujus Deae declaranda, ut XV. 3. et centies alibi. — *non movenda*, ἀκίνητα, quae flecti nequeunt, proprio Deorum inferorum attributo. Magis tamen ad sententiam loci adpositum videtur, si cum plerisque intelligas Dianae numen non irritandum, exasperandum, respectu immensae ejus potentiae (unde σεμνή, δεινὴ θεὸς, uti v. c. Apollon. Rh. III. 1213. audit) et quod dea iracundior habebatur ob phasmata (δασπλῆτις Theocr.

II. 14.) ac phrenitidem, qua lunatici laborant, ab ea immitti credita. Noster A. P. 454. *fanaticus error et iracunda Diana* h. a Diana iracunda menti injectus. — 4. 5. *Per artem tuam* efficacissimam. *Libros carminum* vocat, ob infinitam formularum magicarum multitudinem, quas in libros digestas fuisse, superstitione ista tum temporis robur nacta, admodum probabile est. Forte tamen simpliciter magnam Canidiae in arte sua scientiam magna hac formularum copia declarare voluit poeta. Jam generalem magicae potestatis notionem declarant subjecta: *valentium devocare sidera,* quae ipsam lunam cum sideribus deducere possunt, quaesita specie; quandoquidem hoc inter summa fere virtutis magicae miracula refertur. Virg. Ecl. VIII. 69. *Carmina* vel *coelo possunt deducere lunam,* et passim Cf. supra V. 46. Sidera *defixa* vel proprie, quae coelo adfixa sunt, ex antiquissima opinione, a poetis passim expressa (v. ad Virg. Aen. IV. 482.), ad augendam h. l. magiae potentiam satis efficaci; vel sunt *incantata,* δεδεμένα, obligata incantamentis, proprio artis vocabulo. Vid. ad I. 27. extr. Illud tamen adcommodatius h. l. — 6. *parce vocibus sacris* ἐπῳδῇ, siste incantationem. *Sacris,* quoniam inter sacra, Diis inferis facienda, incantatio peragebatur. Male nonnulli cum Cruqu. schol. exponunt: nefariis, exsecrabilibus. — 7. *retro solve turbinem,* docta brevitate pro, retro age turbinem ῥόμβον, ita ut resolvantur licia, inter rotandum ei inexa. Simplicior quidem ratio fuerit, exponere: remitte, inhibe cursum rhombi, *retro* agendo, revolvendo eum: sed altera doctior et ad rem magis adposita videtur. De rhombo h. l. dicere nihil attinet. Adeant quibus opus est, intpp. ad h. l. et ad Ovid. Fast. II. 575. ad Propert II. 21. 35. et III. 4. 26. et ad Lucan VI. 460. primo autem loco Pind. Pyth. IV. 380. Superstitiosae hujus molitionis, et rhombi celerrima rotatione (unde *citus turbo* h. l. dictus) circumagendi, et licii ei implicandi, causas a metaphorica loquendi ratione unice repetendas esse, in promtu est videre. Solennia enim de amoris vehementia, animum angente ac perturbante, δονεῖσθαι, *agi* (adposita comparatione Tib. I. 5. 3. *Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo*), *versari, agitari amoris fluctibus* et sim.; tum ἐνδεδέσθαι ἔρωτι, *illaqueari, irretiri,* amore cet. quod adeo filo implicito, illud contra torto rhombo repraesentabatur. Ceterum illud *tandem* et repetitum *solve* animi aestum, quo misere cruciaretur Varus, egregie adumbrant.

v. 8 — 18. Magnam irrisionis vim habent placatae maximo-

rum heroum, nominatim Achillis irae exempla, quibus Canidiam ad misericordiam perducere conatur poeta, in quibus ipsam orationem, majestatis plenam illam ac basilico gradu sese efferentem, ad illudendam Canidiam egregie comparatam animadvertas. De Telepho, Mysorum rege in pugna cum Achivis, ad oram suam, quum ed oppugnandam Trojam proficiscerentur, adpulsis, ab Achille vulnerato ab eodemque sanato adi Hygin. fab. CI. ibique Munck. Solenne hoc placabilis irae exemplum poetis Propert. II. 1. 65. *Mysus et Haemonia juvenis qua cuspide vulnus senserat, hac, ipsa cuspide sensit opem,* ubi plura congessere intpp. Adde Meziriac. ad Ovid. Her. III. p. 235. sq. *Nepotem Nereium,* Nerei f., augustiore adpellatione Achillem indigitat, quo gravius illud exemplum ad animum Canidiae accideret. — 9. Adversus quem iste (pro quo est *superbus*, μεγαλοφρονέων, confidens viribus suis, ferox, ornatu e re ipsa petito) *agmina Mysorum*, copias suas, *ordinarat*, in aciem eduxerat, quem proelio adgressus fuerat *et in quem t. a. torserat*, non exornant antecedentia, quasi esset, quocum proelium gesserat; sed proprie accipienda, in quem ipse tela direxerat, quem ipse telis petierat. Desumtum hoc haud dubie e tragoedia aliqua deperdita, quorum plura adhuc exstantia fragmenta abunde comprobant, Telephum non minus quam Orestem, scenis agitatum fuisse. Contra Ulyxem eum stetisse memorat Tzez. ad Lycophr. 209.

v. 11 — 14. Idem Achilles Hectoris corpus suis sepeliendum reddit, a Priamo exoratus. Quaesito haec ornatu instruxit poeta. Sepulturam docte declarat unctio, eam cum lotione corporis praegressa, aque mulieribus peragi solita. Homer. Il, σ. 350. Καὶ τότε δὴ λοῦσάν τε κ. ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ, et alibi. Laudant Ennii: *Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.* — Hectoris corpus *addictum*, destinatum ab Achille *alitibus atque canibus.* Respexit poeta minas Achillis apud Homer. Il. χ. 345. μή με, κύον, γούνων γουνάζεο — ὡς οὐκ ἔσθ' ὃς σῆς γε κύνας κεφαλῆς ἀπαλάλκοι, et ψ. 183. Ἕκτορα δ' οὔτι δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν, ἀλλὰ κύνεσσιν. — *homicidam*, ἀνδροφόνον, Homerico epitheto, v. c. Il. α. 242. ω. 509. Ita et ἀνδροκτασίαι de pugnis passim Homerus. — 13. Postquam Priamus *relictis moenibus*, Achivorum castra ingressus, Achilli supplex factus est. Cf. I. 10. 13 sqq. Signate *regis* adpellatione usus est poeta, in notanda iniqua ejus conditione, ad quam pietas ipsum descendere coegisset, quam eandem

τὸ heu repraesentat, quod ad totam sententiam referri debet. — *ad pedes procidit, προκάροιθε ποδῶν Ἀχιλῆος ἐλυσθεὶς* Homer. Il. ω. 510. — *pervicacis*, cedere nescii, quantumvis duri. Eadem virtute Claudian. XXXIX. 13. *Manibus Hectoreis* atrox *ignovit Achilles.*

v. 15 — 18. De *remigibus* s. sociis Ulyssis a Circa in sues aliasque bestias immutatis, ab eademque, Ulysse deprecante, pristinae formae restitutis vid. Odyss. L. X. *membra setosa duris pellibus*, doctius quam, dura h. amicta setosis pellibus, omnino pro, formam suillam exuere. Homer. l. d. v. 393. *τῶν δ' ἐκ μὲν μελέων τρίχες ἔῤῥεον, ἃς πρὶν ἔφυσε φάρμακον οὐλόμενον, τό σφι πόρε πότνια Κίρκη.* — 17. *Volente*, annuente Circa Ulyssis precibus *laboriosi, ταλασίφρονος*, perpetuo ejus epitheto; sed alterum quaesite de Circa, tanquam dea. — *tum* pristina ipsis forma reddita est. Sed vividior ad animi sensum est per partes facta metamorphoseos istius descriptio, ut II. 20. 9. Atque ita constanter Ovidius. — *Sonus*, vox humana antea *dilapsa* erat, h. evanuerat; jam *relabitur*, dum corpori sese iterum insinuat, ei redditur; pulchre. Hinc facile perspicitur, soni proprium h. l. verbum esse, per auram diditi ac dispersi. — *notus honor*, proprium oris decus, pristina humana facies. Ita *noti vultus* Virg. Aen. I. 684. Cf. I. 2. 10.

Vv. 19 *sqq.* opponi putandi a poeta Canidiae professioni ac minis c. V. vv. 73 — 82. proditis. Exponit adeo Varus, novissimam incantationem, ad quam ibi accingeretur Canidia, exspectationem suam injectis dirissimis amoris cruciatibus, quibus plane pereundum sibi videat, egregie sustinuisse, seque adeo nimis acerbas jam pervicacis contumaciae suae poenas dare. Sponte intelligitur, vanitati istius artis atque ipsi adeo Canidiae adstructa seu potius adficta hac efficacia ejus miserrime a poeta illudi, hocque, ne quis ambigat, interjecta honorifica, si Diis placet, Canidiae adpellatio diserte innuit. Urbanissimam contumeliam, quae v. 20. inest, Schol. Cruqu. satis commode ita exposuit: videtur eam laudare, quasi tam pulchra sit, ut mereatur habere tot amatores, sed revera magis illam vituperat. Scilicet, si sententiam urbanitate sua denudes, erit: O propudiosae libidinis mulier, quae vilissimis te prostituis hominibus, quaestus gratia. Noster III. 6. 30. *seu vocat institor, seu navis Hispanae magister, dedecorum pretiosus emtor.* — 21. Effectus amoris vehementissimi.

Fugit *juventas*, vigor juvenilis, et *color verecundus*, roseus, floridus, vegetus *reliquit* corpus meum, macie plane confectum, tabidum. Pro corpore macilento ἐναργῶς posuit *ossa pelle amicta lurida* h. cutem rugis obsitam, ipsisque ossibus admotam. Adposite, qua verba ac sensum, Plaut. Captiv. I. 2. 30. *Ego qui tuo maerore maceror, macesco, consenesco, et tabesco miser; ossa atque pellis sum misera macritudine.* Jam Theocr. II. 88. de amore: καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ, ἔῤῥευν δ' ἐκ κεφαλῆς πᾶσαι τρίχες· αὐτὰ δὲ λοιπὰ ὀστέ' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα. Sil. II. 466. *jam lurida sola tecta cute et venis male juncta trementibus ossa exstant, consumtis visu deformia membris.* — 23. Capillus meus albus factus est, incanuit tuis *odoribus*, φαρμάκοις, veneficiis, incantatione tua; non quod noxiis unguentis, quibus festinentur cani, Canidia Vari caput tinxerit, ut Gesn. hariolabatur, sed quod ex amoris injecti diritate tantam animi aegritudinem contraxisset, ut crines albescerent. — 24 — 26. Continua animi anxietate opprimor. *Nullum otium reclinat me a labore*, docte et ornate pro, ne tantillum quidem temporis datur, quod vacuum sit, quo reclinare me, requiescere possim, animus relaxetur a *labore*, cruciatu, angore. *Labor, laborare* de amoris aestu animum conturbante passim poetae. Cf. I. 17. 19. — 25. sq. Dies noctesque *urgent* sese, h. succedunt sibi invicem (eadem imagine qua IV. 7. 9. *Ver proterit aestas.* Vid. ad II. 18. 15. *truditur dies die*), oriuntur occiduntque, *neque* tamen *est levare* cet., datur levamen *praecordiis spiritu* suppresso *tentis*, distentis, h. neque interdiu neque noctu respirare licet, animus vacat aliquantisper anxietate. Propie praecordia h. l. posuit: nam ea respiratione levantur s. tolluntur.

v. 27. sqq. Sane effecisti, quod volueras, ecce me *victum*, eo jam adductum, ut credam *negatum*, quod antea mihi persuadere haud potueram, nimirum *Sabella* cet. artes magicas esse efficacissimas, *miser*, meo ipsius exemplo edoctus, in me ipso earum vim expertus. Varus hactenus negaverat vim istam, quod Canidiae amorem aspernatus esset, leviorem ejus incantationem susque deque habuisset. Pro, carmina magica efficacia esse, duas species posuit, eas *pectus increpare* h. commovere, conturbare, mentem eripere, iisque *caput dissilire*, diffindi, disrumpi; re festive ad hominem translata, quae de anguibus fere a poetis memoratur. Virg. Ecl. VIII. 71. *Frigidus in pratis cantando rumpitur*

anguis. Ovid. Am. II. 1. 25. eodem verbo usus: *Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues.* Idem Met. VII. 203. *Vipereus rumpo et verbis et carmine fauces.* Male nonnulli de amentia atque insania injecta cogitant. Jam observa divitias poetae in varianda carminis magici notione. *Odores* v. 23. adpellat, ornamento ex adjunctis arrepto, et v. 29. *naeniam*, de quavis carminis formula adhiberi solitam. Similiter Ovid. A. A. 102. *Mixtaque cum magicis naenia Marsa sonis.* Tum a Marsis ac Sabinis illas artes designat, populis istarum exercitio quondam infamibus, ut notissimum. — 30. *Quid* ulterius saevis in me, amoris tui flammis perustum ac maceratum, quod quidem veneficiis tuis effectum dare volueras? Magnam orationis ἐνάργειαν, qua amoris aestum explicuit axaggeravitque poeta, vel hebetior facile adsequatur. Mirae statim festivitatis est paratragoedians exclamatio (*o mare et terra!*), quae, qua mente ista a Varo proferantur, optime aperit. *Ardeo* amoris igne, quanto neque Hercules, *cruore Nessi delibutus* h. veste Nessi cruore infecta indutus, conflagravit; adposita comparatione, quandoquidem idem ipsum Dejanirae mittendae, exitiosae istius vestis causa fuit, nimirum, ut Herculem ab aliarum feminarum amore avocaret, sibique devinctiorem redderet. — *atro*, perpetuo veneni epitheto. — 32. quanta nec Aetnae flamma est. Augendae suaque luce collustrandae imagini adposita sunt *furens*, quod proprium poetis de ignis vehementia (v. Bentl. h. l.) et *fervida*, effervescente, exundante igneis globis (ut *undans Aetna* Virg. Ge. I. 472. ubi vid. Cerdam); ita enim accipiendum h. l., ne vim descriptae rei destituat epitheton. Senec. Hippol. 101. *alitur et crescit malum, et crescit intus, qualis Aetnaeo vapor exundat antro*, de amore Phaedrae. Jam Catull. LXVIII. 53. *Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes* cet.

v. 33. *sqq.* Sententia satis expedita videtur: Tu, nihil mei miserata, urges opus tuum, non prius desistis a coepta incantatione, quam plane absumtus atque in cinerem redactus fuero; sed prioris commatis enuntiatio confragosa admodum ac dubiae lucis. Forte locum ita expedias: *tu cales venenis*, tu nova usque igni magico, quo torreor, alimenta suggeris; ut plane inde calescas, colluceas, officinae instar; unde eo devenit poeta, ut ipsam Canidiam festiva translatione *officinam* diceret. Ita tamen minus efficax ista videri possit designatio, ideoque Canidiam *calidam vene-*

norum officinam dictam putem, quatenus magicarum rerum adparatum, quo instructissima est, digerit, et usui adhibet, ad Varum excruciandum conversa. *Cales* adeo ab officinae notione pendere puta. Excusatior autem metaphorae istius audacia ob adparationem magicam, igne accenso officinae speciem animo objicientem. Illa autem, donec in cinerem redactus sim, ornatissime poeta. *Ferar ventis*, a ventis dissiper, per auram jacter. — *injuriosis*, protervis, adposito ad rem epitheto Vid. ad I. 26. 2. — 36. *quod me manet stipendium*, quid tibi a me praestari vis, quid mihi faciundum est, ut placeris, ut cruciatibus istis exsolvar. *Stipendium* adeo h. l. est opus, negotium, poenae loco, quo alteri, tanquam victori, satisfiat, injunctum. Ita Eurystheo XII. *stipendia Herculem debuisse* dicit Justin. II. 4. Translatum adeo est a mulcta, victis a victore imponi solita, quae tralatitio loquendi usu, ad quem v. sq. alludit, stipendium adpellatur. Si simpliciter, quamquam docte satis, *stip.* explices, ποινὴν, ἀντίποινον, *mercedem*, h. poenam; incommoda per se erit sententia (non enim de poena, quam gravem satis jam perpessus esset Varus, sed de fine ejus hic quaeritur) neque cum seqq. (vv. 38 — 41.) bene conciliauda. — 37. *poenas jussas*, imperatam mulctam exsolvam *cum fide*, fideliter, ita ut imperatis satisfaciam; omnino pro, ministerium, quodcunque mihi injunxeris, curate ac fideliter exsequar. — 38. *Expiaturus*, redemturus culpam meam vel Hecatombe adeo, aut carmine, quo tuas virtutes scilicet aeternitati consecrem; utrumque ad Canidiam illudendam mire efficax ac mera amaritudo. Primum enim veneficae isti deae potentis speciem tribuit, cujus defendendae averruncandaeque irae victimas caedi necesse sit, in altero mendacii plenum istud carmen futurum *mendaci lyra* liberrime professus. *Lyra sonari*, κελαδεῖσθαι, cani, celebrari. — *Tu*, quod pudicitia ac probitate tua mereris, efferreris in coelum laudibus, refereris a me inter sidera; plane ut *Caesaris decus stellis inserere* III. 25. 6. Delecte autem *perambulabis*, quatenus Canidia, novum sidus Horatii ope facta, per coelum sese cum reliquis movebit, idque cum superbia quadam (hujus enim adjunctam notam habet fere hoc verbum), ob partum istud decus. — *aureum* χρυσοφαὲς, splendidum.

v. 42 *sqq.* Multae artis est locus, qui sequitur, in Canidia placanda eademque mordacissimis contumeliis proscindenda ad Archilochi exemplum plane elaboratus. Excoecatus fuerat Hime-

raeus ille Iambographus ob Helenam carmine a se traductam (*κατηγορίαν* vocat Plato in Phaedr. T. III. p. 243. A.) a Dioscuris, fratribus ejus, ab iisdemque visum recuperarat, Palinodia facta; de qua fabula adeundi Pausan. III. 19. Lucian. T. II. p. 493. Isocr. in Helenae Encom. p. 320. et Conon Narr. XVIII. p. 15. ed. Kann. Proposito igitur ad mitigandam Canidiam aptissimo hoc placabilis Deorum irae exemplo, subtexit statim Palinodiam (vv. 46 — 52), Stesichoreae, cujus, quod reliquum est fragmentum in Argum. c. 16. l. I. laudavimus, simillimam. *Castor cum fratre*, Dioscuri *magni*, in Deorum numerum relati, communi Deorum ac proprio Dioscurorum indicitamento. Vid. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 283. — *offensi vice*, sorte *Helenae*, per Stesichorum vatem *infami* factae, irati Archilocho, quod Helenam sororem suam carmine infamasset, *ademerunt* ei *lumina*, visu privarunt eum, eundemque ei *reddiderunt*, restituerunt, *prece* ejus *victi* ac placati. Observa doctam brevitatem, qua ista exposuit poeta. Ceterum praeter Palinodiam hymnum etiam Stesichorum in Dioscuros fecisse haud absurde ex hoc loco colligas. — 45. Preces hae ad Canidiam fiunt, tanquam Deam, quo facilius placetur, Dioscurorum exemplo adducta; id quod docte declarat formula *potes nam*, *δύνασαι γὰρ*, precibus ad Deos factis interjici solita. Vid. ad I. 28. 28. — solve me *dementia*, *μανία*, amoris insania, cruciatibus, mentem mihi eripientibus; quod solenne poetis, in amore graviori. — Preces sequuntur laudes, blande palpantis speciem habentes, sed mordacissimo felle suffusae. *Εἰρωνικῶς* enim eas accipiendas esse, quis non videt? *O quae neo obsoleta* foeda immunda abjecta, es propter *paternas sordes*, natales sordidos, humiles, quae adeo nobilissimo genere oriunda es. Adulterio prognatam intelligunt Scholl. vix commode per loquendi usum. *Sordibus obsolescere* dixit etiam Cic. Or. pro Sext. 28. — 47. Nec per artes magicas nefaria perpetras. Pro hoc speciatim poeta: haud *prudens*, gnare docta *anus* (satis amare hoc adjectum) es, *dissipare*, haud dissipas *pulveres*, eruis, furaris cineres *novendiales*, nono, postquam corpus mortuum aut crematum esset, die reconditos, adeoque recentes, vixdum repositos, tepidos adhuc. Hos enim cum ossibus expetebant sagae, utpote ad praestigias magicas tanto efficaciores, quo tepidiores adhuc ab igne rogi essent. Ovid. Heroid. VI. 90. *Certaque de tepidis colligit ossa rogis.* Lucan. VI. 533. *ardentiaque ossa e mediis rapit illa*

rogis. In *sepulcris pauperum* impune grassabatur Canidia, nam haec nec custodita, nec muro, ut ditiorum, septa erant. Delecte autem *dissipare*, de cineribus, qui curiose a propinquis collecti religioseque conditi fuerant, loco motis ac surreptis; in quo atrocissimi facinoris atque sacrilegii adeo notatio est: tum naturam cineris illud verbum depingit, inter eruendum vento commoti ac sparsi. — 49. Tibi *pectus hospitale*, mite, misericors; a tuis veneficiis abest saevitia, crudelitas. — *manus purae*, ἁγναὶ, καθαραὶ, scelere gravi haud pollutae; tu non surripis pueros, quos lenta fame neces. Vid. carm. — 50. *Pactumejus tuus venter est*, h. „tuus partus et filius. Nam hoc nomen Pactumejus est nomen suppositiii, quem sibi filium esse dicebat: supra enim (V. 5 sq.) suppositiii partus ipsam ream fecit. Venter autem hic pro partu ponitur" ita optime Schol. Cruquii, in quo utique adquiescendum censeo. Cf. Bentl. — *pannos rubros*, tinctos *tuo cruore*, non aliunde adsperso, quo fraudem scilicet faceres. Facile perspicitur, totius sententiae vim verti in *tuo*. — 52. *Utcunque*, quotiescunque puerpera facta es. Sed amare ita adornavit sententiam poeta, ut statim adpareat, fraudem fecisse, ac puerperium simulasse Canidiam. Nam *fortis* e lecto surgit, integris viribus, puerperio haud adfecta, quod et ulterius v. *exsilis* declaratur.

v. 53. Exquisitae artis est ironia, in ipsam Canidia orationem invecta, qua eam cupide credentem, quae Varus per cavillationem de potentia artis ejus conquestus esset, stolideque inde ferocem inducendo, turpiter ludos facit poeta. Irrisionis aliquam speciem habet sententia interrogative enuntiata. *quid obs. a. fundis preces?* pro, vanae preces tuae sunt. Aures *obseratae*, clausae (ut Cic. de Amicit. 92.), obstructae (Virg. Aen. IV. 440.) hominis sunt preces non admittentis, aspernantis supplicem. — 54. 55. *Saxa non surdiora navitis Neptunus tundit salo*, h. non surdiora *sunt* s. *quae* Neptunus *alto salo tundit*, quibus altos fluctus impingit, allidit; augustiore specie pro, quae fluctibus pulsantur, ἁλίκτυπα θαλάσσια, scopuli marini; adposito ad rei descriptionem (*nudis navitis*) ornatu. Unde et N. *hibernus*, hiemem, χειμῶνα, h. tempestatem ciens. Omnino pedestris ratio ferebat: haud magis moveor precibus tuis, quam saxa marina *nudis navitis*, naufragorum ejulatibus. Proverbialis autem maris (veluti Ovid. Met. XIII. 804.) ejusque scopulorum surditas. Vide ad illa L. III. 7. 21. *scopulis surdior Icari voces audit adhuc integer.*

v. 56 *sqq.* Plenior oratio erat: egone feram, *ut tu inultus*, impune *riseris*, deluseris, contemseris incantationem meam, qua amorem tuum iterum ad me convertere parabam? Sed incantationem istam fellea amaritudine *sacra Cotyttia*, utpote ad quaerendos viros, explendaeque inde furiosae libidinis causa institutam adpellat. *Cotyttus* enim sacra, a Thracibus profecta (Strabo X. p. 324.) nocturna erant, atque omni lasciviae et impudicitiae genere infamia. Unde *sacrum* adpellat *Cupidinis liberi*, effrenis, quod adeo omni pudore prostituto libere ac lascive agitatur. Similiter γραῖαν Κοτύτταριν sagam Theocritus VI. 40. adpellat, conciliandis amoribus inservientem. Vid. Heins. Lectt. Theocr. c. XI. p. 334. et Warton ad istum locum. — *vulgata*, profanata, tanquam mysteria, quo utique Cotyttus omninoque Veneris πανδήμου sacra nomine veniunt. Priapi *nocturnas religiones*, *secreta*, ejusque sacerdotes *mystas* vocat Petron. c. 17. — 58. 59. Utque impune *urbem meo nomine impleris*, me traduxeris per ora hominum, urbis fabulam feceris, tanquam tibi hoc de arte magica statuendi datum esset negotii. Pro hoc poeta, *pontifex Esquilini veneficii*, quasi tu pontificatum geras, pontificis partes tibi arrogans in damnando hoc meo sacro. Pontificis enim scitis quum omnia publica privataque sacra subjecta essent (Liv. I. 20.), festive admodum atque opportune satis propter *Cotyttia*, peregrina sacra, Varus *pontifex* audit, quod nocturna ista sacra sinistris rumoribus diffamasset, sicque, ne adsciscerentur, cavisset. — *Esquilini*, h. magici ab Esquilino monte, ubi artis suae instrumenta, idque a pauperum sepulcris, conquirere solebat Canidia. Vide vel Serm. I. 8.

v. 60. Quemnam fructum artis meae, a Pelignis sagis ingenti data mercede mihi traditae, ferrem, si hoc tibi sic abire paterer, nisi ea te ulciscerer, ut ne impune in me illuseris. Ita equidem sententiam h. v. constitui debere existimo. Habet vero amari salis ut plurimum, quod Canidiam ad Pelignas anus confugisse perhibeat, unde artes magicas, ut amatores sibi conciliaret, magno pretio addisceret. Alii, ac Bentlejus adeo, Pelignas anus, Saganam et Vejam intelligunt, quarum auxilium in defigendo Varo mágno sibi pretio Canidia conciliaverit; parum probabiliter. Pessime autem Torrentius ad Varum refert, hoc sensu: Nihil tibi profuerit, sagas conduxisse, quae te a peste ista liberent; quae eadem fere Lambinus habet. — 61. Docte pro, ac didicis-

se, quomodo venena velocissima paranda sint. Neque tamen magnopere refragabor, si quis ad ipsam rem trahere velit, ut sit: ita vero omnem meam perderem operam, in te defigendo collocatam. Solennia autem *miscere venena*, *pocula*, de arte magica ac veneficiis. — Opponi fere putant *velocius* et *tardiora*, hoc sensu: noli tamen, quia *velocius* dixi, brevem vitae exitum sperare, qui cito te a tormentis eripiat. Vita tibi etiam invito producetur, ut diutius crucieris, uti Bentl. expedit. Sed uti ab interpretatione v. 61. priore loco proposita standum existimo: ita satius arbitror, complexum hunc sententiarum animo informare: Irritae tuae preces sunt, quibus finem cruciatuum quaeris; quos quidem ita intendam ac protraham, ut vitae diuturnitatem incusaturus sis, quam tamen, vel invito tibi, unice in hunc finem servabo, ut novis usque doloribus *suppetas*, cruciatibus vaces. ut habeam, quem cruciem. *Sed* igitur apodosin facit prioris membri: petis laborum levamen: *sed* cet., reliqua autem (vv. 56 — 61.) pro interjectis habenda. Finem adeo miseriarum non sperandum esse, Canidia ex sua comminatione satis acerbe Varo colligendum dat. Euripideam sententiam (Hippol. 1045.): *ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ* adcurate Nostrum expressisse putabat Valken. ad istum locum. — *in hoc*, *ἐς τοῦτο*, ideo.

v. 65. Mortem, aerumnarum finem, exoptabis, sed frustra. Docte hanc sententiam Tantali, Promethei ac Sisyphi, aeternis poenis a Jove alligatorum exemplis designat poeta. Tantalus, Pelopis pater *infidus*, qui, quae sibi a Jove inter epulas concredita erant arcana, eloquutus est (ἡ τοῦ Ταντάλου φλυαρία, Lucian. Salt. 53. Eurip. Orest. 9.) *Fides* enim spectatur taciturnitate. Cf. I. 18. extr. et III. 2. 25. — 66. Dapis *benignae*, benigne, copiose adpositae (argutatur Gesn.), semper *egens* in media rerum copia fame misere cruciatus. De supplicii ejus genere, diverse tradito vid. ad II. 13. 37. — 67. Prometheus, *obligatus aliti*, est vel, alligatus, ut aliti obnoxius esset, ut cor ejus ab aquila velleretur, vel, implicitus, innexus aliti, quatenus ei semper adsit ales, vel denique, hocque potius habeo, damnatus, devotus aliti h. poenae s. noxae ab alite perferendae. De re vid. ad II 13. 37. — 68. Quietem in Sisyphi exemplo e natura supplicii ejus declarat poeta. Est adeo pro vulgari, a saxo in montem volvendo aliquando respirare cupit S. — *in monte supremo*, in montis vertice, ne revolvatur. — 70. *Sed vetant leges Jovis*, cum epica dig-

nitate pro, frustra, fata ipsorum immutabilia sunt. Plutonem intelligit Schol. Cruqu. male.

v. 70 — 73. Ac ne maturare quidem fatum tuum poteris, quamtumvis voles. Diversa maturandi fati, quae enumerat, genera praeclare anxietatem animi repraesentant, qua Varum ad id compulsum iri Canidia praedicit. — *altis desilire turribus,* praecipitem te dare ex altissimis aedibus. — 71. Modo ense pectus *recludere*, perfodere, ut passim Virgilius. — *Norico* ornat, ut I. 16. 9. — 72. Docte pervertit sententiarum ordinem poeta, it ad leges suas revocandum: modo vincula g. n. tuo: sed frustra; nam hoc universae sententiae apodosis est, ut illa: *sed vet. l. Jovis.* — *nectes vincla gutturi* doctius quam, inectes guttur s. collum vinculis, te suspendere voles. — 73. animi aegritudine *tristis*, oppressus, victus. — *fastidiosa*, vitae taedium adferente, vitae fastidio.

v. 74. 75. Tunc insolentissime me efferam, superbissime tibi misero illudam. Naturalis orationis ordo erat: *terra cedet* mihi, suaviter ad oculorum sensum pro, repellam terram (plane ut Ovid. Met. IV. 710. *juvenis* pedibus tellure repulsa *arduus in nubes abiit*), levabo me, adsiliam in te, et *humeris inimicis* h. tuis *eques vectabor*, inequitabo, insidebo; extremae haec insolentiae atque contumeliae, quam victor exercet, imago, a Graecis ducta Aeschyl. Eumen. 145. νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω, et 728. ἐπεὶ καθιππάζῃ μὲ πρεσβῦτιν νέος. Apud Lucian. III. p. 287. similiter meretrix ait; ἐπιβέβηκά σοι, ἢ ὑπεράνω εἰμὶ, et in Gnomicis apud Brunk. p. 228. μὴ ἔμβαινε δυστυχοῦντι· κοινὴ γὰρ τύχη. Ducta autem ista omnia a ferissimo victorum, victis *insultantium* (ἐπιθρωσκόντων, λὰξ ἐπιβάντων), more, Homero, Virgilio, aliis memorato. Pro *mihi* quam quaesite poeta: *meae insolentiae.* Ceterum ignoratus τοῦ *terra cedet* significatus poeticus omnes fere interpretes in errorem impegit, adeo quidem, ut Canidiae totum terrarum orbem subjicerent. Inepte quoque Schol. Cruqu.: terra in hac vindicta non capiet meum gaudium.

v. 76. *sqq.* Impeditissimus exitus. Sententia esse videtur: An artem meam in te solo vanam, nihil contra te valere conquerar, qua multo majora effecerim; pro an existimas mihi plorandum esse ob artem meam in te inefficacem, an dubitas me ista efficere posse, quam multo majora felicissimo cum successu adgressam ipsemet videris? Demta adeo interrogatione, adfectui loquentis

adcommodata, erit: atque istud artis meae documentum me in te statuere posse tutemet ipse fateberis, mihi largieris, ut quae longe potentiora, inspectante te, patraverim. Jungendum adeo, an *plorem*, plorandi, dolendi causam habeam *artis*, (graeca compage, seu potius ellipsi τοῦ ἕνεκα in verbis adfectuum usitata) *nil* *κατ' οὐδέν*, *nullum exitum in te habentis*, quod arte mea in te destituar, quod ars in te inefficax futura sit. Jam illud „longe majora" quo vividius ad animum accideret, solennibus teratologiis magicis explicuit poeta. — 76. Cerearum imaginum in re magica usus vel e Theocr. II. 28. et Virg. Ecl. II. 80. notus. Repraesentabant ita sagae absentem, quem incantarent, ut effectus incantationis suae, mutato vultu effigiei ejus et colore proditos, observarent ac dignoscerent. Atque hanc sagarum potestatem *imagines* quantumvis *cereas movendi* h. efficiendi, ut animi motus, quos in absente artibus magicis cient, in cerea ejus effigie adpareant, a poeta h. l. designari putandum. Male h. l. tractat Cerda ad Virg. Ecl. 8. 75. — 78. *Ut ipse nosti curiosus*, vel quod Canidia hoc artis suae experimentum ei dedisset, vel quod intervenisset Canidiamque ista operantem oppressisset; quod verius arbitror. Respici aiunt I. Serm. 8. quod vix putem. — 78. *polo deripere Lunam* ut V. 46. — *vocibus*, formulis meis magicis. — 79. *Excitare*, in vitam revocare *mortuos* vel *crematos*, in cinerem redactos, atque in urna compositos; cum vi adjectum. De re Stat. Theb. IV. 507. ubi *Colchis* s. saga *attollere bustis corpora*, et *plenas antiquis ossibus urnas egerere* perhibetur. — 80. *Poculum desiderii*, φίλτρον, *temperare*, miscere, parare, gravissimum amorem injicere, homines in amoris insaniam vertere. Cf. V. 38.



CARMEN SECULARE.

Phoebe, silvarumque potens Diana,
Lucidum coeli decus, o colendi
Semper et culti, date, quae precamur
Tempore sacro:

Quo Sibyllini monuere versus,
Virgines lectas, puerosque castos,
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris; possis nihil urbe Roma
Visere majus.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

Diva, producas subolem, Patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novae feraci
Lege marita.

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totiensque grata
Nocte frequentes.

Vosque, veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servat, bona jam peractis
    Jungite fata.

Fertilis frugum pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant fetus et aquae, salubres
    Et Iovis aurae.

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis, audi,
    Luna, puellas.

Roma si vestrum est opus, Iliaeque
Litus Etruscum tenuere turmae,
Jussa pars mutare Lares et urbem
    Sospite cursu:

Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus Aeneas patriae superstes
Liberum munivit iter, daturus
    Plura relictis:

Dî, probos mores docili juventae,
Dî, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
    Et decus omne.

Quique vos bubus veneratur albis,
Clarus Anchisae Venerisque sanguis,
Imperet, bellante prior, jacentem
    Lenis in hostem.

Jam mari terraque manus potentes
Medus, Albanasque timet secures:
Iam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.

Jam Fides, et Pax, et Honor, Pudorque
Priscus, et neglecta redire Virtus
Audet: adparetque beata pleno
Copia cornu.

Augur, et fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,

Si Palatinas videt aequus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum, meliusque semper
Proroget aevum.

Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet, et votis puerorum amicas
Adplicet aures.

Haec Jovem sentire, Deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.



CARMEN SECULARE
PRO
INCOLUMITATE IMPERII.

ARGUMENTUM.

Quum libri Sibyllini praeter ceteras dierum secularium solennitates Hymnum in Apollinem et Dianam, ad quos ii potissimum spectarent, a choro puerorum ac virginum canendum praeciperent, Horatio honorificentissimum hoc munus ab Augusto, qui a. U. DCCXXXVII. adparatius eas adornandi cepisset consilium, demandatum fuisse, diserte in vita Nostri tradit [1]) *Suetonius. Hocque carmen, quod bona fortuna nobis servavit, ipsum illud insigne Romanae pietatis monumentum esse cum res ipsa prudenti abunde fidem facit, tum locupleti Censorini* (*de die nat. c. XVII.*), *particulam ex eo, tanquam seculari carmine, laudantis, testimonio com-*

[1]) In Vita Horatii §. 10. *Scripta ejus* Augustus *usque adeo probavit, mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo seculare carmen componendum injunxerit, sed et Vindelicam victoriam cet.*

probatur. Cujus insignis praestantia etsi multa alia [2] *ejusdem generis, quae nobis fatum invidit, minus desiderari patiatur; ipsorum tamen jactura praeter comparationis, qua carendum nobis est, jucunditatem vel ideo gravis ac molesta nobis accidit, quod aliquantum inde lucis in Nostrum transfundere, rectius saltem de tractationis inventionisque laude judicium ferre licuisset. Bene tamen actum, quod ii ipsi librorum Sibyllinorum versus, qui instituendorum Secularium dierum normam praescribunt, evulgati ad nos transmissi sunt, quorum adeundorum solis Quindecimviris apud Romanos potestas esset. Ad hos quum se totum in scribendo carmine Seculari componere deberet, et vere, ut res docet, composuerit Horatius; maximo sane nos ad penitius intelligendam ejus indolem beatos esse adjumento, in promtu est perspicere. Quum igitur ii pro fundamento interpretationis haberi debeant, in gratiam lectorum integros eos subjungam, ubi paucula quaedam generaliora, quae quidem pro fundo omnis disputationis hac de re habenda esse putem, ne plane ἀσυμβόλως discessisse arguar, praemisero: nam singula momenta persequi neque otii mei est, neque vero hujus loci esse arbitror, tum ab* [3] *aliis id jam copiose factum est.*

[2] Utinam saltem Livii poetae carmen in Junonem reginam et ipsum a ter novenis virginibus solenni pompa decantatum, historiae suae intexere haud gravatus fuisset Livius (XXVII. 37.)! sed omisit illud, *illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis*, ideo, quod *nunc abhorrens et inconditum esset, si referretur.*

[3] Qui plenius rem cognoscere volent, adeant, praeter *Zosim.* II. 5. et *Phleg. Trall.* c. IV. *Politian.* Cent. I. c. 58. *Alex.*

Omnino si, quae de sacrorum secularium primordiis 4) *traduntur, curatius expendas, ab iisdem ea, unde omnis fere processit religio ac Deorum cultus, profecta esse causis haud temere colligas ex iis, quae, utcumque diversa, ultima Romana de iis prodit antiquitas. Sacra enim ista initio fuisse* 5) ἀπευκτικὰ, *h. averruncandae Deorum irae vel prodigiis nuntiatae vel immissis calamitatibus explicitae instituta, cum narrationis cujusque ostendit ingenium, tum e Deorum, quibus ista fierent, attributa natura ac indole multo manifestius adparet. Quum enim omnes Ditem Patrem ac Proserpinam, penes quos mortis esset arbitrium, iis propitiatos ferant, haud obscura ratio est, cur horum potissimum pacem solennibus ritibus antiquitus populus Romanus, in gravioris cladis periculo constitutus, vel peste vel quacumque lue mortifera attritus exoratam voluerit. Mox, quum superstitiosa hac procuratione periculum vel luis diritas levata videretur, mirandum non est, ad eamdem iterum prioris mali metu contac-*

ab Alexandro Gen. D. V. 26. VI. 19. *Onuphr. Panvin.* de Ludis secul. (in Graevii Thes. Ant. IX p. 1067.) *Pet. Tassin.* de veterum Romanorum anno et ludis secul. (Thes. Ant. VIII. 474.) *Io. Alph. Turretin.* de ludis secul. Gen. 1071. *Chr. Fr. Aymann* de ludis Rom. secul. Vitemb. 1717. et Jo. M. Gesner de annis ludisque sec. Vinar. 1717. — E nummis eam illustrarunt *Spanhem.* de Pr. Num. II. p. 123 sqq. Turretin. l. l. III. et IV. *Flor. de Bruin* de Eeuwspelen der oude Romeinen. *Rainssant* super XII. num. lud. secularium, Brix 1687. *Gesner* de opinatis secularium lud. notis in nummis Rom. gentium. 1745. et alii.

4) Cf. Zosim. II. init. Valer. Max. II. 4. 6. Varro apud Censorin. l. l. et Fest. Pompei. apud Fulv. Ursin. p.

5) Diserte Zosim. l. l. συντελεῖ δὲ (ἡ ἑορτὴ) πρὸς λοιμῶν, καὶ φθορῶν, καὶ νόσων ἀκέσεις.

tos confugisse animos, repetitosque fuisse istos ritus, quotiescumque vel ejusdem vel similis mali timor ingrueret. Nec raro accidisse credibile est, ut sacra ista plus semel anno, urgente necessitate instaurarentur, interdum per longius tempus intermitterentur, donec tandem imminentis alicujus mali magnitudo animos hominum acueret, majoremque Deorum curam injiceret, adeo quidem, ut ista certis temporis intervallis repetenda voverentur. Atque ita tandem factum esse suspicor, ut sacra ista, ad certas hominum γενεὰς *adstricta ac revocata, secularium inde nomine insignirentur. Haec si animo teneas, judicatu haud difficile est, cur in temporum, quibus priora sacra secularia peracta fuerint, constituendis rationibus scriptores adeo inter se dissideant, et quam vana omnis sit* [6] *VV. DD. de iis conciliandis instituta disceptatio, in tantis maxime tenebris, quibus priora reip. Romanae secula involuta sunt.*

Jam, quae a tenuibus admodum initiis profecta essent sacra, aliam paullatim, eamdemque auctis inprimis Romanorum opibus, luxuque gliscente laetiorem accepere faciem, adcommodatis ad genium seculi priscis ritibus, adscitisque novis, veluti solennis pompae ad aras Deorum ducendae, carminis a choro virginum et puerorum ibidem decantandi, edendorum ludorum scenicorum cet. hocque

6) Praeter auctores superius laudatos in temporum rationibus excutiendis desudarunt *Scalig.* de Emend. Temp. L. II. p. 246 sqq. *Petavius* de D. T. II. 75. *Voss.* ad Catull. c. XXXIV. p. 81. et *P. Th. Vinc. Moniglia*, qui diss. suae de utriusque Philippi Augusti religione (Rom. 1741.) tabulam chronol. ludorum secularium adjecit.

ideo fieri necesse erat. quod, posteaquam statis temporum intervallis celebrari coepissent, preces non tantum pro averiendis malis, sed etiam pro largiendis, quae rei Romanae salutaria essent, bonis et commodis fundebantur, istaque adeo sacra ad omnes, quos rerum suarum custodes Romani venerarentur, Deos πατρώους ac πολιούχους transferebantur. Hactenus tamen eorumdem originis habita fuit ratio, quod illorum Deorum praecipua in iis manebat religio ac cura, qui malorum physicorum, maxime pestilentiae agrorumque sterilitatis ἀποτρόπαιοι itemque ubertatis ac sanitatis auctores et conservatores haberentur. Quorum causas quum a sole ac luna paullo subtilior rerum physicarum cognitio arcessendas esse doceret, imminuto antiquo Ditis ac Proserpinae honore, Apollini et Dianae primas in iis dare partes, admodum consentaneum erat.

Uti autem omnes antiquiores populi in constituendis ritibus ac caerimoniis ad placandos Deos institutis, vatum, qui commercia cum Diis jactarent, monitus sequebantur, ita nec Romanis defuere oracula, quae prodigiis territi aut graviore calamitate adflicti, consulerent, et quorum praecepta sanctissime observarent, a fatidicis mulieribus, Sibyllarum nomine insignitis, ut antiqua fama ferebat, accepta, paullatimque, quum rudiorem ferocioremque populum superstitionis frenis atque habenis alligatum facillime regi ac flecti posse intelligerent, in quamdam disciplinae formam redacta sancteque 7) *cu-*

7) Inspiciundis libris Sibyllinis primum *Duumviri* dati, tum *Decemviri* instituti a. U. CCCLXXXVII. postea XV viris,

stodita. Quae oracula quum agendorum ludorum secularium normam, ab Augusto, qui hos pro rei Romanae in summum a se fastigium evectae dignitate ac majestate celebrandos statuisset, haud dubie refictam, diserte exponant, eademque prima carminis nostri Secularis stamina contineant, quo rectius de poetae arte in detexendo eo fiat judicium, utque rerum, quae in eo vel leviter stricta, vel uberius exposita sunt, illustratio inde peti possit, emendatiora hic subjicere placuit:

Ἀλλ᾽ ὁπόταν μήκιστος ἴκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων,
Μέμνησ᾽ ὦ Ῥωμαῖε, ϗ οὐ μάλα λήσεαι αὐτὸς
Μεμνῆσθαι τάδε πάντα· Θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι

penes quos omnino sacrorum faciundorum cura erat, custodia eorum tradita; res nota. Vid Tiraqu ad Alex. ab Alex. III. 16.

ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων) Taffin. substituit ἑκατοστὸν κ. ὁ. Gallaeus autem Diss. de Orac. Sibyll. I. 6. corr. ἑκατοντάδα. Ita quoque legendum conj. Salmas. Exercit. Plin. T. I. p. 54., profertque e Phlegonte Oraculum, in quo Sibyllam mortuam ἐν δεκάτῃ γενεᾷ dicitur, cui subjicit Plegon, διὰ τούτου τοῦ χρησμοῦ ἀποδείκνυται δέκα γενεὰς αὐτὴν κατ᾽ ἀνθρώπους γεγονέναι. Si igitur γενεὰ est CX. annorum, MC. annos vixisset Sibylla. Sed Phlegon sibi constabit, si Sibyllam initio γενεᾶς X. mortuam dicas. In nostro autem oraculo ἑκατὸν δέκα recte habere, et Horatii et Censorini XVII. 14. inde ducti numeri ostendunt, a Quindecimviris ita forte reficti, Augusti jussu.

Μέμνησ᾽ ὦ Ῥωμαῖε, ϗ οὐ μάλα λήσεαι αὐτὸς) Mira in hoc versu diversitas. Politiani antiquissimus et optimae notae liber: ϗ εἰ μάλα λίσεαι αὐτοῦ. Vulg. ϗ οὐ μάλα λῆσαι ἑαυτοὺς, pro quo Steph. conj. ἑαυτὸν. Phleg. c. IV. habet ἑαυτοῦ. Nos prius μεμνῆσθαι, quod omnes libros obsidet, in μέμνησ᾽ ὦ mutavimus, et αὐτὸς rescripsimus, ut aliquam orationi conciliaremus concinnitatem. Ceterum eadem περιττολογία Catull. LXIV.

Ῥέζειν ἐν Πεδίῳ παρὰ Θύμβριδος ἄπλετον ὕδωρ,
Ὅππῃ στεινότατον, Νὺξ ἡνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ,
Ἠελίου κρύψαντος ἑὸν φάος· ἔνθα σὲ ῥέζειν
Ἱερὰ παντογόνοις Μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας
Κυανέας, ἐπὶ ταῖς δ' Εἰλειθυίας ἀρέσασθαι
Παιδοτόκους θυέεσσιν, ὅπῃ θέμις. Αὖθι δὲ Γαίῃ

231. 2. *Tum vero facito*, ut memori tibi condita corde haec vigeant mandata, neque ulla obliteret aetas.

Ὅππῃ στεινότατον) Ubi angustissimi sunt, ubi non leniter decurrunt fluvii, sed omnium rapidissime feruntur. Quum igitur Valer. Max. II. 4. 6. et Zosim. II. init. Terentum ita designent, ut lenissimum ibi aquarum decursum esse dicant, malui τὴν στενότητα ad tenuitatem, ut ita dicam, et paucitatem aquarum, quam ad riparum angustias referre. Turretinus (de ludis saec. p. 30.) probat, ῥοπῇ στεινότατον, vertitque, *nox brevior tenebris terras, ubi texerit atris*, indeque efficere vult, circa aestivum solstitium actos esse ludos. Sed neque τῇ ῥοπῇ quis huic sit locus intelligo, neque qui versus in capite tempore uno deficiens fulciri queat. Idem de ῥιπῇ aliorum sentio. Haec Gesn. Sane ὅππῃ feliciter conj. Steph. pro eo quod vulgabatur; ῥοπῇ, obvia corruptelae causa, ultima scilicet τοῦ ὕδωρ ad seq. vocabulum traducta. Steph. conjecturam plane firmant Phleg. Trall. libri. Ex ῥοπῇ Leunclav. exclusit ῥιπῇ στεινοτάτῃ. Sed de στεινότατον adhuc labore. Quid? si legatur, ὅππῃ λειότατον, ubi plana adeoque placida aqua defluit.

παντογόνοις Μοίραις) Vitiose vulg. et Phleg. Trall. πoντογόνοις, quod a nupero Zosimi editore servatum mireris. παντογόνοι dictae Parcae, tanquam Lucinae πάρεδροι; res nota. Vid. Spanhem. ad Callim. H. Dian. 22.

Κυανέας) Phleg. Tr. ita cum seqq. jungit: Κυανέας δ' ἐπὶ ταῖς δ' E. Sed nemo facile Ilithyias, Junonis filias (Hom. Il. λ. 270. Etym. M. Εἰλειθυίαι, θεαὶ τῶν τικτουσῶν ἔφοροι, Διὸς καὶ Ἥρας θυγατέρες) κυανέας dixerit. Contra *capras nigras* Parcis, Deabus inferis, immolari juberi quis miretur. Mox v. 10. παιδογόνοις, ridicula aberratione P. — ὅπῃ θέμις, *rite*.

Πληθομένῃ χοῖρός τε ϗ ὗς ἱεροῖτο μέλαινα.
Ζάλευκοι ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων
Ἤματι, μηδέ τε νυκτί. Θεοῖσι γὰρ οὐρανίοισι
Ἡμέριος πέλεται θυέων τρόπος. ὣς δὲ ϗ αὐτοῖς
Ἱρεύειν· δαμάλης δὲ βοὸς δέμας ἀγλαὸν Ἥρης
Δεξάσθω νηὸς παρὰ σεῦ. Καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ὅς τε ϗ Ἠέλιος κικλήσκεται, ἶσα δεδέχθω
Θύματα Λητοΐδης· ϗ ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι
Παιᾶνες κούροις κούρῃσί τε νηὸν ἔχοιεν,
Ἀθανάτων. χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν,

Πληθομένῃ χοῖρός τε ϗ ὗς) Mira lectionis depravatio in Phleg. Tr. libris: Πληθογένῃ χωροῖς ὄϊς ἱερεύοιτο μέλαινα, quae saltem, ut versus stet, ita refingenda sunt: Πληθογένει (seu potius πληθομένῃ) χωροῖσιν ὄϊς ἱέροιτο μέλαινα. Terra adeo πληθ. χωροῖς esset εὐρύχορος, ἀπείρων· neque ὄϊς μέλαινα ab ejus sacris aliena putanda. Homer. Il. γ. 103. Οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν, Γῇ τε ϗ Ἠελίῳ. Praestare tamen arbitror, quod vulgatur, Γαίῃ πληθομένῃ, h. omnium rerum copiam gignenti ac suppeditanti persona cum re significata permixta.

Ζάλευκοι — — μηδέ τε νυκτί) Πάνλευκοι Phleg. Tr. Idem μηδέ τε νυκτί. Reliqui: μηδ' ἐπὶ νυκτί.

ὣς δὲ ϗ αὐτοῖς cet.) Ita utique interpungendus hic locus. Sensus est: *Sane ita sacra curare* consentaneum est (omisso χρὴ, θέμις ἐστί). *Bovem autem juvencam* (Δαμάλης βοὸς δέμας pro, δαμάλη βοῦς ut *corpora magna boum* Virg. Ge. III. 369. Aen. XI. 197.) *accipiat Junonis aedes*, Junoni immoletur. Pessime ubique editur atque interpungitur: ὡς δὲ ϗ αὔτως ἱρεύειν δαμάλεις τε. βοὸς δέμας cet.

ἶσα δεδέχθω θύματα) αἴσια δέχθω Phleg. Tr. minus commode, ac refragante Nostri v. 49. *Quique vos bubus veneratur albis.*

ϗ ἀειδόμενοί τε Λ. Παιᾶνες κ.) Ita correxi duce Pleg. Tr. et Politiani libro. Vulgo ϗ omittunt, metri pernicie, et Παιᾶνας. Sensus: *Paeanes Latini a pueris puellisque cantati templum compleant, iis templum resonet;* noto τοῦ ἔχειν et ἔχεσθαι. usu. Ceterum quum ἔχοιεν statim recurrat, Heyn. in Zosim.

Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς, ἀλλὰ γονήων
Πάντων ζωόντων, τοῖς ἀμφιταλὴς ἔτι φύτλη.
Αἱ δὲ γάμου ζεύγλαισι δεδμημέναι ἤματι κείνῳ
Γνὺξ Ἥρας παρὰ βωμὸν ἀοίδιμον ἑδριόωσαι
Δαίμονα λισσέσθωσαν. Ἅπασι δὲ λύματα δοῦναι
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ, μάλιστα δὲ θηλυτέρῃσι.
Πάντες δ' ἐξ οἴκοιο φερέσθων, ὅσσα κομίζειν
Ἐστὶ θέμις θνητοῖσιν, ἀπαρχομένοις βιότοιο,
Δαίμοσι μειλιχίοισιν ἱλάσματα, καὶ μακάρεσσιν
Οὐρανίδαις· τὰ δὲ πάντα τεθησαυρισμένα κείσθω,
Ὄφρα τελῇ θυμέλησι, καὶ ἀνδράσιν ἑδριόωσιν
Ἔνθεν πορσύνῃς μεμνημένος. Ἤμασι δ' ἔστω

Reitem. p. 633. secundo loco corr. *ἄγοιεν*, solenni hac de re verbo. Sed in hoc carmine talia forte non ad vivum resecanda. Mox v. 21. poeticam vocem *στάχυς* a Gesn. in *στίχες* mutatam nollem.

ἅπασι δὲ λύματα δοῦναι) Ita omnes libri, quos deseruit Sylb. substituendo: *θελήματα*, *quae quisque precatur*, indocte ac parum graece. De his piaminibus ipse Zosim. II. 5. 2: *πρὸ ἡμερῶν ὀλίγων τοῦ τὴν θεωρίαν ἀχθῆναι, ἐν τῷ Καπετωλίῳ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον, οἱ δεκαπέντε ἄνδρες ἐπὶ βήματος καθήμενοι τῷ δήμῳ διανέμουσι τὰ καθάρσια. Ταῦτα δὲ ἐστὶ δᾷδες καὶ θεῖον καὶ ἄσφαλτον.* Antiquissimum haud dubie hoc institutum fuit luis arcendae corrigendaeque causa.

ἀπαρχομένοις βιότοιο) Gesn. rescribere gestiebat: *ἀπερχομένοις βιότοιο*, hoc sensu: *ferant, quae ferre fas est mortalibus, qui, postquam e vita excessere, inter daemonas relati sunt.* Sed de *ἀπαρχαῖς* Diis offerendis, capiendum.

τεθησαυρισμένα κείσθω) *κεῖσθαι* Phleg. Tr. non omnino male; nam et infinitivos amat Sibylla, omisso *χρή*.

Ὄφρα τελῇ θυμέλῃσι) Recepi hanc Phleg. Tr. lectionem, suffragante Gesn., qui ita ad hunc locum: Placuit hanc lectionem praeferre alteri, *ὄφρα τε θηλυτέρῃσι*, tum quod paullo est obscurior, quae causa mutationis esse potuit; tum quod plenius indicat, quem in usum congerenda esset illa, de qua sermo est, copia. Confirmat me in hac opinione Zosimus, qui artificibus ludorum et spectaculorum donaria ex frugum

Νυξί τ' ἐπασσυτέρῃσι θεοστέπτους παρὰ θώκους·
Παμπληθὴς ἄγυρις· σπουδὴ δὲ γέλωτι μεμίχθω.

Ταῦτά τοι ἐν φρεσὶ σῇσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι.
Καὶ σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ καὶ πᾶσα Λατίνη
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

Quum Sibyllinis his versibus leges quasi quaedam dictae essent, quae poetae, carmini Seculari pangendo admoto, intentoque semper sequendae essent; magnae utique artis erat atque ingenii, iis ita satisfacere, ut ne vinculis constrictus et in ordinem coactus videretur, simulque carmen exiret, quod nec Phoebo, cui dicendum esset, h. dierum istorum solennitate, neque muneris, quod tuendum ornandumque suscepisset, gravitate indignum esset. Quibus quidem si Horatium insigni hoc atque unico sui generis ex Romana antiquitate monumento abunde satis fecisse dicam, neminem, qui adversus me contendat fore arbitror rei intelligentem. Non illa artis Musicae emblemata dico, quamquam ipsa haud

primitiis data ait. Verba adscribam (II. 5. 9.): *θεωρίαι τε ἱεροπρεπεῖς ἄγονται. Κομίζονται, δὲ οἱ ταῦτα ποιοῦντες μισθὸν τὰς ἀπαρχὰς τῶν καρπῶν, σίτου, καὶ κριθῆς καὶ κυάμων.* Et vel ideo distribuebantur populo ab Impp. per XV viros fruges, ut eas deinde scenicis artificibus ferrent. Haec ille. Male tamen habet hoc, quod *ἄνδρες* simpliciter illi artifices audiant; quamquam alterius lectionis multo molestior sensus. Quid enim? Conferre unumquemque jubet Sibylla, quae habeat, ut scilicet inter ipsosmet iterum distribuantur.

θεοστέπτους παρὰ θώκους) h. *pulvinaria*, *Deorum simulacris ornata*. Ita quidem e conj. Sylb. reposui. Angeli Politiani liber cum aliis habet *θεοκρέπτους*· unde Gesn. conj. *θεοσσέπτους*, Phleg. Tr. *θεοπρεπέους*, felici aberratione.

vulgaria atque illustria: nam talia vel aridioris poetae vena inspergat; sed illam orationis gravitatem ac dignitatem, illum sacrum majestatisque plenum carminis incessum dico, ad priscorum hymnorum κλητικῶν *atque* εὐκτικῶν *formam, ad quam quidem versus Sibyllini quasi manu ducebant, plane descriptum. Neque enim copiosus exundat, aut nubes captat poeta, sed aequabiliter decurrens satis habet pios ac religiosos sensus eloqui, animumque ad eosdem perducere. Laudes autem Apollini et Dianae ita dicit, ut diversas ac multiplices eorum virtutes ac potestates variis ipsorum adpellationibus indigitet; in qua ipsa tamen* πολυωνυμίᾳ *summus delectus adparet, laudatis ampleque exornatis iis potissimum virtutibus, quae rei Romanae statum integrum florentemque praestarent, ceteris transmissis, vel verbo tantum indicatis. Ad artem autem poetae quod attinet, maximam sane, et in summa operis et in singulis partibus ab eo adhibitam quisque vel minus sagacior facile deprehendat. Primum, quod ipsa Sibylla jubebat, carmen ad chori plane* [8] *leges; adstrinxit; quae ratio, lyricae poesi ad-*

8) ᾄσματα ἐπιπομπευτικά, h. hymnos in solennibus sacrificiis a choro decantandos Graecis perquam usitatos, et προσῳδιῶν nomine insignitos fuisse ex Proclo apud Phot. p. 5?3. satis constat. Neque minus explorata res est, chori duas partes fuisse, ita ut nunc haec, nunc illa caneret (unde ἀντηχεῖν, veluti Eurip. Alc. 4?3.), nunc utraque voces jungeret, hocque ipsum in hoc carmine seculari obtinuisse haud obscure colligas e Sibyllae praecepto, chorum puerorum a virginibus sejungentis (adde C. S. v. 34.); sed quaenam C. Secularis inde distributio facienda sit, nunc temere quaeri arbitror. Pericula tamen fecere Sanad. Jones, Anchersen, alii; partim probabilia, partim satis futilia.

commoda prorsus ac fere propria, dici vix potest quam augustam speciem quantumque vigoris ac sanguinis carmini adfuderit. Tum singulare artificium in eo prodidit, quod, quum carmen ad Apollinem et Dianam maxime referendum esset, tertio quippe ludorum die in Apollinis Palatini aede canendum, hos quidem potiori loco habebat, ceteros tamen Deos, ut secularis hymni adpellatione dignum hoc carmen evaderet, veluti aliud agens, scite intexebat. Denique, quae maxima ejus virtus est, bellicas ac togatas Augusti laudes tam artificiose immiscuit, ut iis non tam locum quaesivisse quam ducente ipsorerum tractandarum ordine ad eas delatus videri debeat. Quae quidem omnia si recte expendantur, in pretiosissimis utique totius antiquitatis divinae hoc artis carmen habendum esse monumentis, Horatiumque, ut Romuleae apotheoseos formula concludam, immortali hoc edito opere summum vatem dici haberique fas esse, labens volensque quisque largietur.

Adnotationes.

v. 1 — 8. Exorditur carmen poeta solenni antiquissimorum hymnorum formula: κλῦτέ μου εὐχομένου in exitu fere repeti solita. — Diana *silvarum potens*, graeca structura, Nostro familiari (v. c. I. 3. 1. I. 6. 10. III. 25. 14.) et docte pro, cui silvae sacrae sunt. Vid. ad I. 21. 5. *Nemorum potentes* Silvanos inde dixit Lucan. III. 402. — 2. *Lucidum coeli decus*, qui inter sidera exsplendescis, ἔξοχε ἀστρῶν (Bion. XI. 3.), ἀστρῶν ἄγαλμα. Eadem Dianae attributa cumulavit Virg. Aen IX. 405. *Astrorum decus et nemorum, Latonia, custos.* Infra eadem v. 35. *siderum regina bicornis* audit. Bacchum inde ob *vultum sidereum* (Senec. Oedip. 409.) s. perpetuam juventutem *lucidum coeli decus* indigi-

tavit Senec. Oedip. 404. Ceterum ad utrumque, Phoebum et Dianam, verba ista ab Intpp. referri videas, Virgilii (Ge. I. 5.) *clarissima mundi lumina* Solem et Lunam itidem dicta comparantibus; sed haec ratio et contortior est, et poetam in ordinem cogit, quem suo jure uti licebat. — *O colendi semper et culti*, quos semper maxima religione prosequuti sumus; inest Deorum ἐγχωρίων, πατρῴων notio. Forte etiam allusit poeta ad veterum morem, ex Iliade satis notum, Deos per sacra ipsis facta in precationibus ob testantium, et certiorem inde precum suarum eventum sperantium: Unde et h. l. statim subjicitur: *date quae precamur*, εἰ ὑμᾶς ὀρθῶς ἐσεβήσαμεν, τόδε κρήηνατ' ἐέλδωρ. — 4. *Tempore sacro, quo Sibyllini* cet., stato ludorum secularium die, carmine, quod a XXVII. virginibus totidemque pueris canatur, e praescripto librorum Sibyllinorum, celebrando. — 5. *Sibyllinos* hac de re *versus* vide in Argum. laudatos. — *monuere*, praecepere; v. proprium oraculorum ac vatum. Vid. Broukh. ad Tib. I. 7. 56. — 6. Chorum virginum ac puerorum *lectum* (nam utrisque hoc adcommodandum epitheton,) praescribebant libri Sibyllini, h. qui ex ingenuis constaret, idque ex confarreatione susceptis, et qui ἀμφιθαλεῖς essent, h. patrimi ac matrimi. Etiam numerum ternovenum cujusque sexus τῷ *lectas* designari putandum. — *castos* quoque ad utrosque pertinet, ut in Catulliano Hymno (XXXIV. 3. 4.); *Dianam pueri integri, puellaeque canamus*. Spectat autem ad teneram aetatem epitheton, castam s. integram adhuc h. necdum scelere quopiam contaminatam, Diisque ideo acceptissimam: Conf. Nostri Epp. II. 1. 132. sqq. De castimonia qua ad Deos lex adire jubebat, importunum foret hic cogitare. — 7. *Dii, quibus septem placuere colles*, qui Romam sedem sibi destinarunt (ut IV. 12. 11. de Pane: *cui nigri colles Arcadiae placent*), Dii urbis Romae tutelares, custodes, πολιοῦχοι. Igitur ad hos quoque pertinebat ludorum secularium religio. Vid. Argum.

v. 9. Sequuntur ipsae preces, quas ita dispertivit poeta, ut munerum (τιμῶν, v. ad I. 12. 20.) utriusque Numinis habita ratione nunc Apollinem, nunc Dianam, ut vacivas iis aures praebeant, invocet; est tamen, ubi unius tantum meminit, quum uterque ponendus fuisset: ut in primis statim precibus super augenda conservandaque imperii Romani magnitudine ac splendore factis. — *Sol almus* φερέζωος, ζωογόνος, φερέσβιος, calore nutriens

omnia. — *curru nitido* cet. Suavis rei imago: Sol in coelum evectus diem secum vehit (*Flava pruinoso quae vehit axe diem* Aurora apud Ovid. Amor. I. 15. 2. Similiter Virg. Aen. II. 802. *Jamque jugis summae surgebat Lucifer Idae ducebatque diem)* Splendide Dionys. II. 15. 16. (A. Br. II. 254.) ποταμοὶ δὲ σέθεν πυρὸς ἀμβρότου τίκτουσιν ἀκήρατον Ἁμέραν. — *promit*, effert (ut de Aurora Virg. Aen. V. 64.) retegit (Ovid. Met. VIII. 11; eundemque curru deorsum acto *celat*, componit (Virg. I. 374.) abscondit, succedentibus in ejus locum tenebris. — 10. Sol *alius idemque nascitur*, quotidie nitorem suum reparans, renovato usque splendore exsurgens. Solem enim, diurno cursu hebetatum ac languidum, vires reparare sicque alium semper nasci, antiqua erat persuasio, ab Epicureis maxime exornata. Lucret. V. 659. *conveniunt ignes et semina multa confluere ardoris consuerunt tempore certo* (ante ortum Solis), *quae faciunt Solis nova semper lumina gigni*; et 665. sqq. *Nec tamen illud in his rebus mirabile debet esse, quod haec ignis tam certo tempore possint semina confluere et solis reparare nitorem.* Unde etiam Phoebi ἀκερσεκόμου, ἀεὶ νέου processit notio. *Idem* adeo Sol nascitur, nihil imminuto pristino s. hesterno splendore ejus, eodem vigore quotidie exoriens. Quae intpp. ad h. l. adtulere, nec referre nec refellere attinet. — 11. *Possis* quamvis terrarum opera omnia lustres, *nihil visere majus Roma*, quod Romani imperii magnitudinem exsuperet, fac Roma sit *princeps urbium* (IV. 3. 13.), imperiique totius terrarum orbis sedes. Ad Nostrum allusit Claudian. XXIV. 131. de Roma: *qua nihil in terris complectitur altius aether* cet. et Rutil. Itin I. 81. Wernsd. P. M. V. 92.): *Omnia perpetuos quae servant sidera motus, nullum viderunt pulchrius imperium.*

v. 13 *sqq.* Preces ad Dianam Εἰλειθυίαν (13 — 16.) et Κουροτρόφον (17 — 20.), quas Orphicus H. I. 13. breviter ita eloquitur: δίδου δὲ γονὰς, ἐπαρωγὸς ἐοῦσα, ϰ σαῷ'. *Lenis aperire*, graeca structura (ut I. 24. 17. *lenis recludere*) pro, quae *lenem*, propitiam, benignam, facilem te praebes in *aperiundis* h. in lucem proferendis (Nemesian. inde Cyneg. 132. *Fecundos aperit partus matura gravedo*) *partubus*, quae praesto es, opem fers parturientibus, ὠδίνων ἐπαρωγὲ, λυτήρια, λόχεια, ὠκυλόχεια, quae Orphica hujus Deae epitheta. *Aperiendi* notionem ipsum Dianae προθυραίας epitheton habet, in Orphicis H. I. 4. παροῦσα νέαις θνητῶν προθυ-

ρεῖα. — *tuere matres*, puerperas. — 15. 16. Sive latina potius hujus tuae virtutis adpellatione, *Lucina* seu *Genitalis* vocari gaudes. Opponit adeo poeta Graecae *Ilithyiae* v. 14. adpellationi Latinas suae gentis *Lucinam* et *Genitalem*. Ad quod solum si animum advertisset Bentleius, *Graecae Genetyllidi* suae haud decedere jussisset *Genitalem* Romanam, h. partuum praesidem, obsoleto aut novato prorsus antiquae vocis significatu a poeta, suo jure hac in re uso. Vide quae ipse hac de re praecipit Epp. II. 2. 115. sqq. et A. P. 56 sqq. Reddere adeo voluisse poeta putandus est Sibyllae Εἰλειθυίας παιδοτόκους. — *Sive probas vocari*, εἴτ' αἰνεῖς καλεῖσθαι h. praefers, mavis adpellari. Solenne haec interjici in commemoratione plurium nominum, diversas virtutes adeoque etiam diversas laudes Deorum complectentium. Euripid. fr. incert. n. CLV. p. 491. σοὶ — πέλανον φέρων, Ζεῦ, εἴτ' Ἀΐδης ὀνομαζόμενος στέργεις, σὺ δέ μοι cet. Nota Catulli (XXXIV. 21.) de eadem Dea: *Sis quocunque placet tibi Sancta nomine.* Apuleius (Metam. XI. init.) magnam nominum pompam Lunae praeferens: *Regina coeli, sive tu Ceres — —: seu tu coelestis Venus —: seu Phoebi soror —: seu horrenda Proserpina —: quoquo nomine, quoquo ritu, quaqua facie te fas est invocare; tu* cet. In Nostro notatu dignum hoc est, quod non diversis Deae virtutibus, sed uni eidemque blandiendi haec interponat formulam, diversa tantum lingua, graeca nimirum (Εἰλειθυῖα) et Romana (*Lucina* et *Genitalis*) enuntiatae. — 17. *Producas subolem* potest esse, in lucem proferas; melius tamen ac poeta dignius arbitror, hanc sententiam τῷ *tuere matres* includere et alterum explicare: serves, ad adultam aetatem pervenire jubeas. Ita in Sil. I. 112. *partus producere* non est *edere* (nam hoc recusare matribus haud liberum est) sed nutrire, educare, *liberos producere* Plaut. Capt. IV. 1. 105. Vulgarius utique poetis est *educere* pro educare, quod nec pedestris reformidat oratio. Vid. Drakenb. ad Liv. I. 4. — 18. *Prosperes decreta Patrum*, Senatus consultum *super jugandis*, matrimonio jungendis *feminis ac lege marita* docte pro, super lege de maritandis ordinibus ab Augusto lata factum. Perlata quidem haec lex de marit. ordd. fuit anno demum DCCLVII. Sed saepius hoc antea Augustus agitaverat, primum a. DCCXXVI. deinde ipso hoc ludorum secularium a. DCCXXXVII. obstante iterum recusantium multitudine ac tumultu. Signate igitur poeta, hujus ipsius impedimenti objecti re-

spectu, *prosperes*, prosperum, faustum eventum habere jubeas, rata esse velis *decreta P.* Non autem generatim est, salutaria reip. esse velis ista decr. Ad rem vid. Dio. LIV. p. 745. Sueton. Aug. c. 34. ubi vid. Torrent. Adde Heinecc. ad leg. Jul. et Pap. Popp. I. 3. et ejusd. Antiqq. Rom. ad Inst. I. tit. 25. Bach. Hist. I. R. III. 1. §. 2. — *Lex marita*, maritalis, maritandorum ordd. causa lata, et inde *ferax novae prolis*, augendae proli inserviens.

v. 21. 24. Ut et inposterum respublica civium multitudine sit florentissima, novis usque auctibus incolumis perstet. Quo blandiore vi preces istae mentem Deorum tangerent, venuste sententiam ita convestit poeta, ac si ipsorum res agatur, ob quam adeo faciles se iis praebituros esse spes esset. Vulgaris enuntiatio erat: Novam usque prolem date, ut decurso CX. annorum spatio, solennia ista sacra secularia in vestrum honorem magna civium frequentia iterum celebrari possint. Iam sacrorum secularium notionem signatius exhibent explicantque *cantus*, carmen seculare, a choro virginum ac puerorum in Apollinis Palatini aede canendum, et *ludi*, *ter die totiesque nocte*, trinis diebus ac noctibus *frequentes*, celebrati, agitati; sed delecte alterum, ad designandam civium multitudinem, a qua recurrens illud sacrum celebrari cupit. Tum *orbis per annos* CX. circumvolutus *refert* ludos, quatenus redeunt exacto isto CX. annorum *orbe* κύκλῳ, spatio *certo*, a Sibyllinis libris ita praefinito; ornat simpliciter. — *grata*, ludis quippe impensa.

v 25 — 28. Preces ad Parcas intexit poeta e Sibyllae praescripto, sacra iis per ludos istos fieri jubentis; vid. Argum. Magnas intpp. molitiones, super his versibus varia fortuna tentatas, subruendi aut fulciendi aut omnino ad bonae rationis regulam explorandi non est animus; adponam potius, qua structura, quoque probabili sensu locum expediendum existimem. *Vosque*, *o Parcae*, *veraces cecinisse*, graece pro, veraces in canendo, quae *veridicos cantus* (ut Catull. LXIV. 307. de iisdem) editis, quarum decretum verum, ratum, immutabile est, (haec, quae sequuntur, ἐπεξηγητικῶς adtexi a poeta puta) *quod semel dictum est*, quod semel eventurum statuistis ἀμετάτροποι (Orph. H. LVIII. 17.) quodque *terminus*, finis, exitus, eventus *stabilis servat*, ornatius quam, stabilit, confirmat; quod certo eventu confirmatur, quod exitu ratum sit (sunt Parcae τελεσσιδώτειραι

Eurip. Heracl. 899. τελεσφόροι Aeschyl. Prometh. 619.) *jungite bona fata peractis* h. praeteritis, futura quoque populi Romani fata fausta esse ac prospera velitis jubeatis. — *rerum*, τῷ *stabilis* jungendum, παρέλκει, ut saepius.

v. 29 — 32. Telluri Deae sacrum faciendum itidem praecipiebant libri Sibyllini; sed precum formam vide quam docte ac venuste hoc tetrasticho variarit poeta! Vulgaris enuntiatio erat: Tellus largum frugum pecudumque proventum praebeat, seu ut Schol.: sit frugum ubertas et prospera pecudum fetura. Jam absoluta satisque docte enuntiata videri poterat sententia, si dixisset poeta: *Tellus fertilis frugum pecorisque* sit, benigne largiatur fruges et pecora; sed admiscuit imaginem, ad sensum jucundissimam, et ipsam ubertatis indicem, *spicea donet Cererem corona*; haec enim Deae isti in magna frugum copia offerri solebat. Tibull. I. 1. 15. *Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona spicea, quae templi pendeat ante fores. Pecoris* autem *fertilis* terra dici potest, quatenus φερέσβιος, φυσίζοος et inde παμμήτειρα, ut in Hom. H. XXXIII. 1. Quam in rem paullo explicatius Lucret. II. 992. *Humorum guttas Mater quum terra recepit, feta parit nitidas fruges, arbustaque laeta et genus humanum* et parit omnia secla ferarum, pabula quum praebet, quibus omnes corpora pascunt, *et dulcem ducunt vitam, prolemque propagunt. Qua propter merito* maternum nomen *adepta est.* Hom. H. l. v. 9. 10. ὅν κε σὺ τιμήσεις· — — βρίθει μέν σφιν ἄρουρα φερέσβιος, ἠδὲ κατ' ἀγροὺς κτήνεσιν εὐθηνεῖ. — 31. 32. *Fetus* h. omnem proventum (etiam Cic. de Legg. I. 25. *profunduntur nobis terrae fetus*) tam agrorum quam animalium (nam etiam feturae nocent *pluvii venti* I. 17. 4.) *nutriant*, incrementa iis praebeant *aquae*, ὄμβροι καρποτρόφοι (Orph. H. LXXXI. 7 quandoquidem *sine certis imbribus anni laetificos nequeat fetus submittere tellus.* Lucret. I. 143.) et *aurae*, adflatu suo vitam ac vires sufficientes, ζωογόνοι (Orph. H. XXXVII. 3.) Cf. I. 22. 18. *Jovis* istas *aquas* et *auras* (nam ad utrumque referre praestat) dicit poeta, antiqui sermonis usus epitheto, quatenus nimirum Jupiter tempestatum auctor et arbiter. Ita ὄμβρον Διὸς dixit Hom. Il. XII. 2. 86. Pind. Isthm. V. 63. et Quint. Cal. I. 415. ὄμβρον θεουδῆ idem I. 695. Nisi tamen potius oratio inverti debet: Jupiter praebeat mitem temperiem ac tempestivos imbres. — *salubres* utrique satis commode jungere licet. Si *aquis* jungas, erunt

imbres tempestivi neque nimii; si *auris*, ad aëris temperiem, animalibus ac frugibus commodam, spectat.

v. 33 — 36. Iterum ad Apollinem et Dianam convertitur chorus, ut preces suas ratas esse velint, antiquissimorum, qui theologici erant, hymnorum, formulam κλῦθί μου saepius inserentium, morem sequutus. Distribuit invocationem poeta, ita ut chorus puerorum Apollinem, puellae Dianam implorent; unde magna cum veri specie colligas, nonnulla hujus carminis alternis decantata fuisse. Vid. Argum. *Mitis placidusque* εὐμενῶς, benigne, placide audi, o Apollo, *supplices pueros*, nos, preces nostras. Notionem τοῦ *mitis* exornant adjecta, *condito telo*, telis reconditis, laxatoque arcu, quem iratus tendit, pestem immissurus. Vid. II. 10. 19. 20. Eadem autem περιεργία supra V. 53. 54. *Nunc, nunc adeste, nunc in hostiles domos iram atque numen vertite* — *Siderum regina*; προφερεστάτη ἀστρων; id. ad v. 2. — *bicornis*, δικεραῖα, qualis est primis novilunii diebus. Cf. IV. 2. 57. Jungendum autem epith. *reginae*, id quod suadet lyrica ratio.

v 37 — 48. Si Trojani vestro hortatu ac monitu, relicto Ilio, Italiam Aenea duce petiere, hancque urbem, sedem ac fundamentum amplissimi imperii posuere: conservate istam civitatem, omnibusque, quae privatam cujusque felicitatem publicamque universi populi incolumitatem ac majestatem tueri, ornare, augere possint, cumulatissimam praestate. *Si Roma vestrum opus est*, si novi in Italia regni condendi, cujus domicilium Roma futurum esset, Trojanis auctores fuistis. Oracula ab Apolline accepta, quibus Trojani Italiam, qua considerent, quaerere juberentur, a poeta respici, per se patet, idque sqq. disertius adstruunt. Cf. Virg. Aen. III. 94. VI. 59. maxime IV. 343. 46. *Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo, Italiam Lyciae jussere capessere sortes.* Cf. Heyn. Disqu. II. §. 6. Si *Iliae turmae*, augustiore specie epicaque gravitate pro, Trojani, eversae patriae superstites, *jussu pars*, jussi, oraculi Apollinis monitu (sed illud proprie, ut in Virg. l. l. et saepius alibi (*mutarunt Lares et Urbem*, patriis sedibus migrarunt, ac *sospite cursu*, prospera navigatione *litus Etruscum tenuere*: Italiam pervenere. Sed doctior haud dubie junctura est: *mutare urbem cursu*, fuga navibus s. mari instituenda, *sospite*, ut servarentur, incolumes ac sospites evaderent. Nam prospera navigatio, si

Virgilii auctoritatem sequaris, ne vera quidem est. *Litus Etruscum* omnino pro Italiae ora, litore. Etiam in *parte* argutantur nonnulli, quasi hos, qui Aeneam sequuti essent, ab aliis Trojanis, qui direpta Troja alio dilapsi essent, dirimere voluisset poeta. — 41 — 43. *Cui per ardentem — — munivit iter*, pro tenui, deductore Aenea. *Sine fraude*, sine noxa, ut II. 19. 20. Aeneas, *iter liberum munit*, quatenus ducem se praebet, partemque suam per flammas ac tela hostium expedit. Notissimum Virgilii Aen. II. 632. *ducente Deo flammam inter et hostes expedior; dant tela locum flammaeque recedunt. Castus*, pius erga suos, hoc ipso, quod eos in tanto discrimine incolumes praestaret, fugaeque auctor esset; etiam quod *plura daturus* esset; *relictis*. Possis etiam epitheton ad obsequium ejus trahere, quo, responsa Deorum sequendo, pietatem suam adversus eos ostenderit; utrumque satis commode, prius tamen facilius, ac probabilius. — 44. *Plura*, ampliora *relictis*, majus regnum, quam quod amisissent, imperium totius terrarum orbis.

v. 45. Non Apollinem ac Dianam; sed generatim Deos Romanorum πατρῴους hic intelligunt intpp., parum intelligentes, haec antecedentibus annecti debere. Vid. ad v. 37. — *mores probos*, solida quippe fundamenta, quibus innitatur salus ac splendor civitatis. Augusto hoc dedit poeta, qui Romanos ad pristinam morum sanctitatem pluribus saluberrimis legg. latis reducere conaretur. *Iuventam* speciatim commemorat, quod ea maxime sit *docilis*, tractabilis, ad probitatem ceterasque bonas artes fingi possit; delecto epitheto. — 46. Tranquillitatem ac securitatem internam suaviter depingit *senectus quieta*, in otio constituta. Senectuti τὸ *placidum* docte tributum a poeta videri potest, quod *quietis* proprium erat; sed et senibus τὸ ἤπιον proprium, juvenili ferociae oppositum. Unde forte Neptuno *placidum caput* tribuit Virg. Aen. I. 127. ut deo marino, quos quidem senili habitu, utpote vetustissimos, fingebat antiquitas. Vid. ad I. 15. 5. — 47. *Genti Romulae*, Romuleae, universae civitati largimini *rem*, opum adfluentiam, *prolem* copiosam et *decus omne*, quidquid gloriam ac majestatem imperii promovere possit.

v. 49 — 52. Summum jam atque τὸ ἄκρον *decoris* proximo v. 48. Romano populo expetiti, subjicit poeta, imperium totius orbis terrarum, Augusti virtute partum ac tuendum. Summa adeo precum est. Augusti imperio totus terrarum orbis subjectus sit,

latum regat orbem, ut Noster itidem vovet I. 12. 57. Pro Augusto augustiore adpellatione est *Clarus Anchisae Venerisque sanguis*: divina stirpe editus, *Divis ortus* IV. 5. 1. et passim. — *Veneratur*, colit vos *bobus albis*, lautissimo sacrificio; praeclare adjecta hujus rei (de qua vid. Argum.) mentio, quo blandiores istae preces essent. — 52. *imperet*, non, ut fere accipiunt, populo Romano, quod, ne quid gravius dicam, satis invidiosum foret, sed toti terrarum orbi; quo eodem sensu III. 6. 5. *Dis te minorem quod geris, imperas*, et *regnare* I. 12. 52. Cujus rei ignoratio genuinae lectioni atque inde VV. DD. fraudi fuit. Vid. Obss. — *bellante prior*, hoste superior, spectatissimae in bello virtutis, at idem, quo divinam originem suam adseurit, *lenis in hostem jacentem*, non acerbe victoria utens, parcens devicto hosti. Facile perspicitur, Augusto speciatim nunc tribui, quod sibi universus populus Romanus arrogaret. Notissima Virgilii: *Tu regere imperio populos, Romane, memento: hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem, parcere subjectis, et debellare superbos*, Aen. VI. 852. qui locus tetrastichi hujus vim plane repraesentat.

v. 53 — 56. Jam terra marique hostes a populo Romano victi subactique sunt, terrae marisque dominium, assertore Augusto Romanis cessit. Ad generalem enim sententiam revocanda illa, *mari terraque*, quandoquidem cum nullo populorum, qui a poeta commemorantur, mari certatum fuisse ac ne certari quidem potuisse constat. In altero autem, quod navales Augusti victorias de Sex. Pompejo Antonioque reportatas non diserte exponit, magnam in poeta agnosce judicii subtilitatem, male ominatam bellorum civilium mentionem inter sacra refugientis. De Augusto pariter Noster Serm. II. 5. 62. *juvenis Parthis horrendus, ab alto demissum genus Aenea, tellure marique magnus erit*. Ad anteriora bella Romanorum maritima cum Carthaginiensibus aliisque populis gesta quominus referas, vetant sequentia in populis, ab Augusto devictis, percensendis unice occupata. *Medus* h. Parthi (v. I. 2. extr.) *timent* potentiam Romanam, abjecto plane rebellandi animo. Cf. III. 5. 4. IV. 14. 42. Potentiam declarant *manus potentes*, virtus bello spectata et *secures* h. fasces, imperii insignia. — *Albanas*, Romanorum, coloniae Albae Longae; res notissima. — 55. De *Scythis* v. II. 9. 23. III. 8. 23. IV. 14. 42. et 15. 24. — *responsa petunt*, leges sibi impo-

ni patiuntur, imperata accipiunt. *Edicta Julia* similiter dicta IV 15. 22. Omnino *victi* populi notionem variavit poeta. — *nuper superbi*, feroces, incursione in fines populi Romani facta. Vid. ad II. 9. 23. — 56. De *Indorum* legatione Suet. Aug. c. XXI. *Qua virtutis moderationisque fama Indos etiam et Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam*, laudante jam Cruquio.

v. 57 — 60. *Felicitatem seculi Augustei* praeclare poeta ulterius exornat, aureaeque aetatis coloribus repraesentatam subjicit. Cujus integritatem innocentiamque quum ita efferret antiquitas, ut ipsos Deos in terra versatos, cumque hominibus vixisse diceret, id quod ipsorum numinum delectus a poetis hac in re factus (ut h. l. *Fides* cet.) abunde ostendit; satis consentaneum erat, generis humani in deterius mutati, s. ferreae aetatis notionem eorundem e terra discessu notare. Cf. Catull. LXIV. 384 sqq. Ovid. Fast. I. 247. — 50. Met. I. 149. 50 quibus praeiverat Hesiod. Ἔργ. 197 — 200. Revisunt igitur jam terras Numina, reddita ab Augusto orbi terrarum pristina facie, tranquillitate, morum integritate, rerumque omnium copia. *Fides*, Πίστις, μεγάλη θεός, ut Theogn. 2093. in eadem re; laudante doctissimo Boettig. Eadem sententia simplicius exposita IV. 5. 20. *Culpari metuit fides.* — *Pax*, Εἰρήνη, καλλίστη θεῶν, Eurip. Or. 1685. Cf. Tib. I. 10. 67. et ibi Intpp. Janum ab Augusto clausum respici, in promtu est videre. Cf. IV. 15. 9. — *Honor*, Virtutis comes, cum eaque contigua aede Romae cultus; ut ex Liv. XXVII. 25. constat. Aliud ejusdem sacellum extra Portam Collinam erat; vid. Cic. de Legg. II. 23. — *Pudor*, Αἰδώς (ut Pind. Nem. IX. 79. Cf. ad I. 24. 6.), justi reverentia. Apud Hesiod. l. l. ejus discessus diserte memoratur. Unde forte cum vi huic numini adi. *priscus*, olim, aurea aetate in terris commoratus. — 58. *Virtus neglecta*, οὐ σεβομένη, nullo honore culta, omnino pro, contemta. — 59. 60. *Copia* s. abundantia iterum in conspectum venit, *beata*, ὀλβία, dives, cornu instructa, ornata, gestans *cornu plenum*, Ἀμαλθείας κέρας; res pervulgatissima Cf. I. 17. 16. Simplicius rem extulit Noster IV. 15. 4. 6. At Epp. I. 12. 28. eadem imagine: *aurea fruges Italiae pleno defudit Copia cornu.*

v. 61 *sqq.* Nova iterum Deorum invocatione novas preces, ut rem Romanam incolumem servent amplientque, exorditur poe-

ta, ex priscorum hymnorum ingenio. Unde etiam ducta epithetorum cumulatio, diversas eorundem virtutes complectentium, Apollo *augur* μάντις, ut I. 2. 32. Idem *decorus*, gestans *arcum fulgentem*, aureum, χρυσότοξος, Pind. Ol. XIV. 13. et passim. Cf. I. 21. 11. 12. — 62. *acceptus novem Camenis*, φίλος Μούσαις, ob idem Musicae artis studium, Μουσαγέτης (Orph. H. XXXIII. 6.), ἡγήτωρ μελέων (Eurip. Med. 426.), ἀοιδάων μεδέων (Callim. H. Del. 5.). — 63. 64. Apollo ἰατρός. *Levat artus fessos*, languidos, aegros, vigorem pristinum restituit *arte salutari* sua iis medendo. Dictus inde ἀκέσιος, ἤπιος (v. Spanh. ad Callim. Del. 214), σωτὴρ etc. Quatuor has Apollinis insignioros artes recenset Schol. ad Hom. IV. 101. Τεσσάρων γὰρ τεχνῶν εὔφορός ἐστιν ὁ Ἀπόλλων, τοξικῆς, ἰατρικῆς, μουσικῆς καὶ μαντικῆς. Ad artis salutaris scientiam evexit eum antiquissima medendi ratio, ἀοιδαῖς peragi solita. — 65 — 68. Si grata tibi Romae sedes est, si digno tuum numen templo venerati sumus; nota precum concipiendarum formula. Respicit autem poeta templum Apollini ab Augusto in monte Palatino magnificentissime exstructum; quo pertinet I. 31. *Aequus*, εὐμενὰς, ἵλεως, placide (ut III. 18. 4.) despectat *arces Palatinas*, montem Palatinum, propter templum suum in eo situm; delectatur tam insigni sibi honore habito. Inest adeo blanda Augusti, effectoris istius operis, palpatio. — 66. Apodosis; Rempublicam Romanam et, quod copia poetica adjectum est, Latium (ut in Enniano versu: *qui* rem Romanam Latiumque *augescere vultis*) *felix ac melius semper proroget*, h. felicitatem, incolumitatem, prosperitatem rei R. *proroget*, sartam tectamque *in alterum lustrum*, e Romanorum tempus definiendo ratione dictum pro, in futurum tempus conservet, novisque semper incrementis auctet amplificetque. Ita simplicissimum fuerit, hunc locum, ab intpp. misere habitum vexatumque, explicare. Omnino parum perspexere VV. DD., *felix meliusque semper* conjungi oportere. Ceterum paullo modestiora vota nuncupavit Scipio Africanus, quum lustrum conderet, precatus: *Satis magnae ac bonae sunt: itaque precor, ut eas perpetuo incolumes servent*, apud Valer. Max. IV. 1. 10.

v. 69 — 72. Etiam Dianam obtestatur chorus per religiones in Latio ei institutas. Ita enim v. 69. acceptus majorem vim habet, et praeclare respondet v. 65. In Aventino colle et Algido monte Dianam cultam fuisse, nisi aliunde constaret (Cf. I. 28. 6.

Zosim. II. 5.), vel ex hoc loco satis liqueret — 70. Diana *preces*, vota XV. virorum inter sacra ipsi nuncupata *curet*, curae cordique ei sint, rata esse jubeat; ex oppos. *negligere preces* et sim. De sacrorum secularium cura, XV viris demandata a Sibylla vid. Argum. — 71. 72. Votis *puerorum*, h. nostris, parte chori tantum posita, quod utique liberum poetae erat facere. — *amicas*, benevolas *aures adplicet*, praebeat, benevole audiat, exaudiat. Ita *advertere aures* Propert. I. 1. 37. Contra Tib. III. 3. 28. *Audiat aversa non meus aure Deus*, et passim.

v. 73 — 76. Epilogus. Chorus, edoctus, Quindecimviros pulcherrime litasse (forte ostento aliquo, divinitus dato, monitus; nam tale quid omnino cogitandum h. l.) jam in spem *bonam*, vel magnam, vel, quod potius habuerim, reip. commoda respicientem, de salute reip. conceptam, erigitur, certissimus spei est, *haec Jovem* ceterosque Deos *sentire*, velle, sancire, rata jubere vota, pro reip. incolumitate a se facta. Ita *sentire* passim, veluti Catull LXIV. 26. Atque nunc demum oratio ad omnes Deos convertitur. Vid. Argum. — 75. *Doctus* cet. qui hymno seculari laudes Ap. et Dianae decantavi. Sed altero forte Horatius se auctorem carminis et χοροδιδάσκαλον modeste infert, instar Phidiae, imaginem suam in aversa Minervae, a se efformatae, clypei parte exprimentis. Apertius idem fecit IV. 6. extr. *Ego Dîs amicum, seculo festas referente luces, reddidi carmen, docilis modorum vatis Horati.*



ANALECTA

AD

HORATII CARMINA.

I. 1.

v. 7. *Quirites* in comitiis *mobiles* mire illustrat locus Ciceronis pro Muraena c. 35. *Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes et quantos aestus ratio comitiorum? Dies intermissus unus aut nox interposita saepe et perturbat omnia, et totam opinionem parva nonnumquam commutat aura rumoris.*

v. 10.

Quidquid de Libycis verritur areis

Imitatus est Stat. Silv. III. 3. 90.

Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris
Verritur, *aestiferi quidquid terit area Nili.*

I. 2.

v. 19. *Jove non probante*, indignante; declarat simpliciter facinoris diritatem, ut Epod. V. 8. Per improbaturum haec Jovem. Sil. III. 1. 2.

Postquam rupta fides Tyriis, et moenia castae
Non aequo Superum genitore, *eversa Sagunti.*

v. 38.

Quem juvat clamor, galeaeque leves

Adponendus erat Statii locus Theb. II. 710. unde sole clarius adparet, *galeas leves* dictas esse te-

lorum ac gladiorum ictibus detritas. Describit tropaeum poeta.

— — *meritae* pulchram *tibi, Pallas,* honorem a Tydeo paratum:

Huic leves *galeas*, perfossaque *vulnere crebro*
Inserit arma furens: huic truncos ictibus *enses*
Subligat, et fractas *membris spirantibus hastas.*

Vides hic jungi *galeas leves*, *arma perfossa*, *enses truncos ictibus*, et denique *hastas fractas.* Simili habitu Furorem exasperat Petron. c. CXXIV.

Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis,
Sanguineum late tollit caput, oraque mille
Vulneribus confossa cruenta casside velat.
Haeret detritus *laevae Mavortius umbo.*

v. 50.

Hic ames dici Pater atque Princeps

Romanam Principis notionem optime declarat Ovid. Fast. II. 142. de eodem Augusto cum Romulo comparato:

Vis tibi grata fuit: florent sub Caesare leges;
Tu Domini nomen, Principis *ille tenet.*

Dominus Romulus: Augustus *Princeps* oppositi.

I. 3.

v. 9.

Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui cet.

Suaviter Aristoph. Βατρ. 1048. 9.

Ἀλλὰ πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ λευκολόφους τρυφαλείας
Καὶ πήληκας καὶ κνημῖδας, καὶ θυμοὺς ἑπταβοείους.

Pag. 52. col. 1. post verba: *imminentem tempestatem significant*, adde Alciphronis locum Epist. X. libri I. p. 38. Bergl. ἀλλὰ καὶ οἱ Δελφῖνες ἀνασκιρτῶντες καὶ τῆς θαλάσσης ἀνοιδουμένης λείως ἐφαλλόμενοι, χειμῶνα καὶ τάραχον ἐπιόντα μηνύουσι.

Ad *monstra natantia* adposite Avien. Descript. O. T. 789 sqq.

Ah ne monstrigenis hostem licet, inferat aestus
Fluctibus: immodici late patet oris hiatus
Quippe feris, antro panduntur guttura vasto;
Protinus hac ipsas absorbent fauce carinas
Involvuntque simul mox monstra voracia nautas

Balaenas ultra spatia quatuor jugerum memorat Solin. c. LII. ad quem locum vid. Salmas. p. 712.

v. 21.

Nequidquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras cet.

Columella, nostri loci forte memor, Praef. ad L. I. §. 8. *An bellum perosis maris et negotiationis alea sit optabilior, ut rupto naturae foedere terrestre animal homo ventorum et maris objectus irae se fluctibus audeat credere, semperque, ritu volucrum, longinqui litoris peregrinus ignotum pererret orbem?*

v. 29 — 31.

Post ignem aetherea domo
Subductum Macies et nova Febrium
Terris incubuit cohors.

Horatium in his Hesodium et Sappho potissimum sequutum docet Servii nota ad Virg. Ecl. VI. 46.

„Prometheus post factos a se homines dicitur coelum adscendisse et adhibita facula ad rotam Solis, ignem furatus, quem hominibus indicavit. Ob quam causam irati Dii duo mala immiserunt terris, febres, maciem et morbos, sicut et Sappho et Hesiodus (100. 1.) memorant:

Ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται·
Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Quod tangit et Horatius dicens: *Post ignem* cet.

I. 4.

v. 13.

Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres.

Pulsat, ἀράσσει, *tabernas*, graeca locutione. Theocr. II. 6.

Οὐδὲ θύρας ἄῤῥαξεν ἀνάρσιος — —

et ejusdem Idyllii v. 160.

αἰ δ' ἔτι κἠμὲ
Λυπῆ, τὰν 'Αΐδαο πύλαν, ναὶ Μοίρας, ἀραξεῖ.

Callimachi locum H. in Apoll. 3.

Καὶ δή που τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει

Horatio admovit jam doctissimus Heinrich. Obss. in Auctt. Vet. P. I. p. 24. Sequentem versum:

Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam expressit Silius III. 141.

— — — *stant arae atque horrida sacra*
Ante oculos, brevitasque vetat mutabilis horae
Prolatare diem.

I. 5.

v. 1.

Quis multa gracilis te puer in rosa cet.

De humo rosis constrata Incert. in Obit. Maecen. 94 sqq.

Victor odorata dormiat inque rosa
Victus aret — — — —
Membra nec in strata sternere discat humo.

Alteri rationi favet Martial. VIII. 72. 2.

Liber in aeterna vivere digne rosa.

imitatus Propert. in Notis laudatum:

Et caput in verna semper habere rosa.

Uti autem Pyrrhae in isto carmine *fallacem placidi ponti pellaciam* attribuit poeta, ita Aeschyl. Agam. 748. Helenae φρόνημα νηνέμου γαλάνας, simillima imagine.

I. 6.

Init.

Scriberis Vario — —
— Maeonii carminis aliti.

Ales pro *cycno* occurrit in Inscript. apud Fletwood p. 196.

ὁ πάντα σοφὸς, Μουσῶν ὁ χάριστος,
Ἀλκιβιάδης Βυζάντιος ἐνθάδε κεῖμαι
Ἑλλήνων πάντων ὄρνις ἀοιδότατος.

Cycnus enim avis maxime canora Vett. habita, unde κύκνου ᾠδικότερος in proverbium abiit. Vid. ad IV. 3. 20. Atque non sola hac de causa (adductis in hanc rem ad IV. 2. 25. locis adde Leonidae LXXX. 1. Alcmana ὑμνητῆρ' ὑμεναίων κύκνον adpellantis) sed etiam propter sublimen volatum poetae cum cycnis comparati. Ita enim sublimiorem poesin adumbrari solenne. Frequentata haec imago potissimum Pindaro, veluti Pyth. V. 152. ἐν Μοίσαισι ποτανός. Pyth. VIII. 46. χρέος τρέχον ἐμᾷ ποτανὸν ἀμφὶ μηχανᾷ. Nem. VII. 32. ποτανὰν μαχα-

νὰν Homeri figmentis tribuit. Unde de ipso Pindaro Noster IV. 2. 25. *Multa Dircaeum levat aura cycnum, tendit, Antoni, quoties in altos nubium tractus.* Cf. II. 20. init. Mox *navibus aut equis* prave ex hoc loco adsumsit Flor. II. 2. De navali Agrippae victoria vid. Vellei. II. 81. 3. et ibi intpp.

I. 7.

v. 2.

Laudabunt alii
— — bimarisve Corinthi
Moenia

Florus II. 16. *Corinthus — Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria, Ionium et Aegaeum quasi spectaculo exposita.* Ἑλλάδος ἄστρον vocat Polystrat. ep. II. 1. in Anal. Br. II. 1. ad quem locum Jacobs commode laudat Alciphr. III. p. 426. Πελοποννήσου προπύλαια καὶ ἡ δυοῖν θαλάσσαιν ἐν μέσῳ κειμένη πόλις χαρίεσσα ἰδεῖν καὶ ἀμφιλαφῶς ἔχουσα τρυφημάτων.

v. 12.

Quam domus Albuneae resonantis.

Propertii loco I. 20. 14.

Hic erat Arganthi Pege sub vertice montis
Grata domus *Nymphis* humida *Thyniasin.*

adde Philipp. IX. 2. (Anal. Br. II. 213.)

— — Νύμφας — αἳ πυοιπνόου
Αἴτνης παρωρείησι Συμαίθου πατρὸς
Ἔχουσι δινήεντος ὑγρὸν οἰκίον.

Coll. Hermocr. I. 3. in An. Br. II. 252.

I. 9.

Cum initio carminis comparandus Longi locus, Pastor. III. 2. λάβροι μὲν οἱ χείμαῤῥοι κατέῤῥε-

ον· ἐπεπήγει δὲ κρύσταλλος· τὰ δένδρα ἐῴκει κατακλωμένοις cet.

Ibid. v. 9.

Permitte Divis cetera: qui simul
Stravere ventos cet.

Sententiam Archilochi Horatium reddidisse judicabat Jacobs Animadvv. in Anthol. I. p. 159. Vv. Archilochi sunt (XV. I.):

Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα. πολλάκις μὲν ἐκ κακῶν
Ἄνδρας ὀρθοῦσιν μελαινῇ κειμένους ἐπὶ χθονί·

I. 11.

v. 4. 5.

Seu plures hiemes, seu tribuit Jupiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum

Ex physicis rationibus lucem his vv. adfundere conatus est Cel. *Voigt*, qui cum maxime Academiam Jenensem ornat. Is haecce olim ad Heynium perscripsit, a quo benevole mecum communicata sunt:

Von der Insel Stromboli, sonst Strongyle, sagt Strabo L. VI. Ipsa quoque *ignita* ac *fulgore excellens*, in qua habitasse Aeolum ferunt. und Solin. c. 12. Strongyle, Aeoli domus, vergit ad solis exortus minime angulosa, quae *flammis liquidioribus* differt a ceteris: haec causa hinc efficit, quod ejus fumo potentissimo incolae praesentiscunt, quinam flatus in triduo portendantur: Welches auch Plinius fast in denselben Ausdrücken sagt. Dolomieu in seinen Reisen nach den Liparischen Inseln ist sehr ausführlich bey Beschreibung des Vulkans von Stromboli; ich führe daraus folgende Stellen nach der Lichtenbergi-

schen Uebersetzung an. S. 118. „Ich hatte die ganze Nacht hindurch an ihren absetzenden Bränden das reitzendste Schauspiel in der Natur. — — Der Feuerschlund befindet sich an der *nordwestlichen* Seite auf dem *Abhange* des Berges. Ich habe die ganze Nacht hindurch nach genau abgemessenen Zwischenzeiten von 7 bis 8 Minuten glühende Steine auf mehr als 100 Fuſs in die Höhe treiben gesehen: die Steine flogen zwar in verschiedenen Richtungen aus dem Schlunde, allein der gröſste Theil fiel doch in den Krater zurück, die übrigen *rollten über den Abhang herunter in die See.* Ein jeder solcher Auswurf war von einer auflodernden rothen Flamme begleitet — — — ein dumpfer Knall, gleich einer Mine, die wenig Widerstand findet, lieſs sich jedes Mahl hören. — — Die aus dem Schlunde ausfahrenden Steine glühen hellroth und sprühend, und geben das schönste Feuerwerk. Ich konnte nicht müde werden, dieses seltsame und zugleich prächtige Schauspiel mit aller Aufmerksamkeit zu betrachten. — — Der Berg ist beynahe dem auf Salini gleich, das ist, fast 1000 Schritte hoch nur ist der Abhang nicht so steil — — der Krater hat kaum 50 Schritte im Durchmesser. Der Vulkan war zu der Zeit, da ich ihn beobachtete (den 19. Jul.) *in dem Zustande der Ruhe*, denn es gibt Zeiten, wo er gleichsam *aufgebracht* zu seyn scheint, wo die *Gährung wirksamer, die Ausbrüche häufiger und heftiger* sind. Die Steine fliegen alsdenn viel höher, ihre Richtungen sind mehr *divergirend*, und werden auf *grössere Weiten in das Meer* geschleudert. *Ueberhaupt ist die Entzündung dieses Vulkans im Winter heftiger* als im Sommer, auch bey Annäherung eines Gewitters und böser Witterung, und, so lange diese dauren, immer stärker, als

wenn sie vorüber sind. Vor 15 Jahren bin ich zweymahl zur Nachtzeit und zwar während eines heftigen Sturmes unweit Stromboli vorbeygekommen, wo er viel schneller hinter einander und nach Zwischenzeiten von 2 oder 3 Minuten seine Auswürfe bewirkte. *Die Steine flogen auf* 200 *Schritte weit in die See*, eine rothe schimmernde Flamme loderte unaufhörlich aus dem Krater, und erleuchtete *die See weit umher*. — — Ich sahe, daſs der ganze Berg aus nichts als Asche und Schlacken besteht, die in sehr regelmässigen Schichten über einander liegen, und sich mit dem Abhange des Berges vollkommen gleich absenken. — — Stromboli ist der einzige gekannte Vulkan, der unablässig arbeitet und keine Ruhe hält. — — Alle Laven, die man unter seinem Aschen in den Schlüften und an den steilen Abhängen findet, sind *sehr alt*. Es wäre überflüssig, eine besondere Beschreibung der auf dieser Insel befindlichen Laven und vulkanischen Materien hier anzuhängen, da sie von den *Producten anderer Vulkane nicht verschieden* sind.“ — So weit Dolomieu.

Bey Lesung dieser Stellen fiel mir ein, ob sich nicht die schwierige Horazische Stelle Od. I. 11. 5. „quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare Tyrrhenum“ sehr leicht daraus erklären liesse. Horaz, der hier den Winter tropisch für ein ganzes Lebensjahr setzt (vielleicht weil er die Ode im Winter verfertigte, oder das nachfolgende Bild darin anbringen wollte) schildert diesen Winter dadurch, daſs er ihn dem Tyrrhenischen Meere durch entgegengesetzte Bimssteine in seinen Drängen Einhalt thun läſst. Nach der besten mir bekannt gewordenen Erklärung soll dieſs überhaupt nichts anders heissen, als daſs in der stürmischen Jahrszeit, welche in Ita-

lien der Winter ist, die Wellen des Tyrrhenischen Meeres an die Klippen schlagen, von denen sie aber aufgehalten werden, so dafs sie nicht im Stande sind, zu thun, was sie wollen, d. i. dafs sie diese Klippen nicht wegreissen können. Bey dieser Erklärung finde ich mancherley zu bedenken. Erstlich ist die Begebenheit, dafs Meeresfluthen an Felsen schlagen, etwas so sehr gewöhnliches, dafs sie in allen Meeren zu allen Zeiten, und bey jeder Art des Gesteins sich ereignet; warum hat also Horaz dieselbe so bestimmt vom Tyrrhenischen Meere, blofs von der Jahrszeit des Winters und vom Bimsstein erwähnt? ja warum hat er ihrer überhaupt gedacht, da ihn der Gegenstand seiner Ode doch so wenig dazu zu nöthigen scheint, und sie seiner Leuconoe und jedem Leser eben wegen ihrer Gewöhnlichkeit so gleichgültig seyn mufs? So wird auch pumex meines Wissens anderswo weder vom Horaz noch sonst Jemanden für Seeklippen gebraucht. Es ist zweytens hart, wenn man sagen will „der Winter setzt die Klippen dem Drängen des Meeres entgegen“ der Winter macht eigentlich, dafs die Wellen gegen die Klippen stossen, und wenn sich nun diese nicht forttreiben lassen, sondern jene vielmehr zum Wiederumkehren nöthigen, so liegt freylich der Grund des Umkehrens mit in dem Anprellen, und sofort auch mit in der Idee des Winters; denn wären die Wellen nicht angeprallt, so hätten sie die Felsen nicht zum Umkehren nöthigen können —; aber wer wird glauben, dafs ein Horaz solche kühne Figuren werde auf einander gehäuft haben? Hiems debilitat mare, dum opponit ei pumices gibt also nach dieser Construction gar keinen wahren Sinn, denn im Winter liegt gar nicht der Grund, dafs Klippen den Meereswellen entgegengesetzt

werden. Da also Herr Schmidt bey seiner Uebersetzung des Horaz nicht anders construiren zu müssen glaubte, so sah er sich genöthiget, zur Steuer der Wahrheit aus pumices Eisfelsen zu machen, und diess gäbe auch den natürlichsten Sinn, wenn nur nicht die Rede vom Tyrrhenischen, sondern von irgend einem andern Meere die Rede wäre, welches im Winter zum Theil zufriert. Construirt man nun so: Hiems debilitat mare, dum oder quia ei opponuntur pumices, so sieht man nicht, wie man der obigen Kritik ausweichen will, denn der Winter gäbe sonach erstlich dem Meere die Kraft, dafs es gegen Etwas nicht ausweichendes drängen kann, und schwächte sodann auch wieder eben diese Kraft dadurch, dafs er es gegen so Etwas fest widerstehendes treibt. — Diefs hiesse wirklich mit Worten gespielt; welches man aber vom Horaz eben nicht gewohnt ist. Was wäre also hier anzunehmen? Ich will meine Gedanken sagen. Da die Ode, worin diese Stelle vorkommt, so kurz ist, und überhaupt nur eine blofse Epikurische Lebensregel enthält, so wollte sie vermuthlich der Dichter durch ein Einschiebsel etwas heben, und diefs konnte auf keine füglichere Weise geschehen, als dadurch, dafs er seiner Leuconoe eine der prachtvollesten Natur-Scenen vor die Einbildungskraft brachte; dafs er sich aber auf das Detail derselben nicht näher einlässt, setzt voraus, dafs sie allgemein bekannt gewesen seyn mufs, und so keiner umständlichen Ausmahlung bedurft hat. Ich glaube demnach, Horaz hat mit diesem Wintergeschäfte nichts anders als das von Dolomieu beschriebene majestätische Schauspiel, das der Vulkan von Stromboli darstellte, gemeint; wenigstens passt auf diese Weise alles aufs beste zusammen; denn nach Dolomieu ist der Winter, oder die stürmische Wit-

terung derjenige Zeitpunkt, wo das Auswerfen des Vulkans am häufigsten und heftigsten geschieht; die Insel Stromboli und ihre nordwestliche Küste liegen so, dafs sie gerade das Tyrrhenische Meer, welches beständig auf die Sicilische Meerenge losdrängt, und vielleicht an ihrem Daseyn den gröfsten Antheil hat, vor sich haben. Der Auswurf von glühenden vulkanischen Schlacken wälzt sich wüthend gegen das herzudringende Meer, und macht sowohl durch seine Masse, als durch seine Gluth eine natürliche Diversion in dem Theil des Wassers, das auf diese Stelle trifft, und bricht, oder debilitirt also ganz eigentlich diese Fluthen. Die Auswürfe der Vulkane auf den übrigen Liparischen Inseln bestehen nach eben des angeführten Dolomieu's Zeugniss aus wahren Bimsstein, so dass er defshalb die Insel Lipari die Vorrathskammer von Bimsstein für ganz Europa nennt; und wiewohl die Strombolischen Laven kein wahrer Bimsstein sind, so haben sie doch eine Gleichförmigkeit mit demselben, dafs sie mit weit mehrerem Recht als die gewöhnlichen Seeklippen können pumices genannt werden. Obgleich Stromboli jetzt auch im Sommer etwas auswirft, so kann es doch gar wohl seyn, dafs zu Horazens Zeiten dieses Auswerfen im Winter blofs, oder doch so vorzüglich geschehen ist, dafs man das zu den übrigen Jahreszeiten geschehene gar nicht in Betracht gezogen hat, zumahl da es sich auch nur in den längern und dunklern Winternächten gut beobachten läfst. Dafs aber überhaupt Stromboli damahls Feuer ausgeworfen hat, beweisen die oben angeführten Stellen des Strabo und Solin. Stromboli lag übrigens auch so vortheilhaft, dafs die Bewohner der westlichen Küste des untern Italiens seine Auswürfe, wenigstens den damit vergesellschafteten

und sich weit erstreckenden feurigen Schein leicht beobachten konnten, und die ganze Begebenheit war sonach eine Sache, die Horaz als Etwas, das seinen Landsleuten gleich einfiel, wenn sie nur mit einem Wort darauf aufmerksam gemacht wurden, voraussetzen konnte. Ich würde also die Stelle im Horaz ganz wörtlich und ohngefähr so übersetzen „oder es mag dieser Winter der letzte seyn, der jetzt den Drang des Tyrrhenischen Meeres durch glühende Lavaströme zu brechen strebt.“ Haec ille, satis docte atque ingeniose; quamquam ex poeticis rationibus locum Horatii satis commode expediri posse arbitror. Scilicet, quod jam ad istum locum notavi, exornare voluit poeta nimis pedestre, *hiemem quae nunc est*, *ultimam* hanc *hiemem*. Jam, quod paullo ornatius erat, *h. quae nunc saevit*, nobilitavit poeta imagine, ad litoralem Italiae plagam accommodata: *quae jam maximos fluctus in mari Tyrrheno* ciet. Hoc, quo vividius ad sensum esset, recte ita efferri poterat: *quae magnos maris Tyrrheni fluctus ad Italiae oram advolvit;* pro quo est, naturae rei et litori Italico, qua saxosum est, convenienter: *quae Tyrrhenos fluctus ad Italiae litora frangit. Debilitat* adeo fluctus hiems, quatenus pumicibus *oppositis* (delectę ut Virgilii: rupes immota *resistit*) illidit, ibi fragendos. Eadem ornatus species in Orphico versu (Hymn. XXI. 4.) de Tethye:

Θραύουσ᾽ αἰγιαλοῖσι πέτρῃσί τε κύματα μακρά.

omnino pro: *mare conturbans, commovens.* Neque vero quemquam morari debebat, quod *hiems* ista efficere dicatur, quum constanter fere poetae res illas phaenomeni cujuspiam causam constituant, quas cum eo simul fere exsistere, in conspectum prodire seu illo adparente decedere

meminerint. Ortus et occasus quorundam siderum tempestates ciere a poetis tradi quis nescit? Ita h. l. *hiems* turbat mare, quatenus per eam procellosissimum est. Quaesite quoque apteque novata vocabuli potestate *pumices* de saxis undarum adpulsu adesis et extritis, adeoque maritimis. Schmidtii *Eisfelsen*, ut pleraque illius viri, quae ex se depromsit, inepta sunt atque deridicula.

Paullo ante v. 3. *Ut melius, quidquid erit, pati*, graeca plane sunt, ut plura hujus carminis:

βέλτιον ὥς, ὅ, ττι κεν ᾖ, παθεῖν

eadem metri ratione. Mox. v. 6. *Sapias, vina liques* cet. ut Martial. VIII. 77. 3.

Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat.

v. 7.

— dum loquimur, fugerit invida
Aetas.

Ad verba ac sententiam Auctor Eleg. in Pithoei Epigr. p. 421.

Heu male, crede mihi, si quis (s. quisquis) *sua gaudia differt;*
Dum loquimur, nox est, mortis et umbra subit.

Coll. Ovid. ex P. IV. 3. 58.

I. 12.

Ad v. 19. p. 132. col. 1. post verba: proximum a Jove in deorum concilio locum occupat, adde Pindari fr. apud Plutarch. Quaest. Conv. I. 2. p. 617. C. (Heyn. p. 119.) de Minerva:

Πῦρ πνέοντος ἅτε κεραυνοῦ ἄγχιστα ἡμένη.

v. 57 — 60.

Te minor latum reget aequus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum;

Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Archelaus in aeneam Alexandri statuam, Lysippi opus, Anal. Br. II. p. 58.

Τόλμαν Ἀλεξάνδρου καὶ ὅλαν ἀπεμάξατο μορφὰν
Λύσιππος· τίν' ὅδε χαλκὸς ἔχει δύναμιν;
Αὐδάσοῦντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος ἐς Δία λεύσσων·
Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ, σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε.

Venuste! Conf. Ovid. Fast. II. 138.

I. 13.

v. 9. in nota post Tibulli locum adde Ovid. Met. IX. 867.

Uror enim, laesusque exaestuat acrius ignis.

v. 15.

— — *oscula, quae Venus*
Quinta parte sui nectaris imbuit.

Eadem rei specie Anacreon usus est in rosae venustate declaranda Carm. LIII. 39.

Μακάρων θεῶν δ' ὅμιλος,
Ῥόδον ὡς γένοιτο, νέκταρ
Ἐπιτέγξας, ἀνέτειλεν
Ἀγέρωχον ἐξ ἀκάνθης
Φυτὸν ἄμβροτον Λυαίου

Catull. XCIX. 1.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
Suaviolum dulci dulcius ambrosia.

I. 15.

v. 3.

Ingrato celeres obruit otio
Ventos.

Eadem specie Aeschylo (Agam. 201.) πνοαὶ ἀπὸ Στρυμόνος μολοῦσαι dictae κακόσχολοι, *impatientes otii, quibus molestum est otium.*

v. 12.

— Jam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

Cum postremis componi debebat Homer. Il. IX. 304. de Achille:

Νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοις, ἐπεὶ ἂν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθῃ,
Λύσσαν ἔχων ὀλοήν.

v. 22.

Non Laërtiaden, exitium tuae
Genti, non Pylium Nestora respicis?

Non respicis, possit accipi: non cogitas nunc, nescis, fore aliquando, ut fortissimi Graeci in te invehantur. Sed teneo alteram rationem, in Notis propositam de intentiore Paridis fuga τὸ *respicis* expedientem.

v. 31.

Quem tu — — sublimi fugies mollis anhelitu

Sublimem anhelitum optime explicat Stat. Theb. XI. 239.

Nuntius exanimi suspensus pectora cursu
Aepytus ad regem — — tendit.

I. 16.

v. 22. sqq.

Compesce mentem: me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventa
Fervor et in celeres jambos
Misit furentem.

Theognideis adde Homer. Il. IX. 255.

σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμὸν
Ἴσχειν ἐν στήθεσσιν.

Posteriora forte fluxere ex Archilocho, quantum ex ejus fragm. XXX. conjicere licet:

Ἤμβλακον ἢ που τιν' ἄλλον ἦδ' Ἄτη κιχήσατο.
coll. Epod. VII. 13. — *Celeres jambos* egregie expedit epigr. ἀδέσποτον Collect. Pithoei, p. 151.

Adesto Jambe praepes et tui tenax
Tenoris adde concitum celer pedem
Adulta felle qualis ante carmina
Dabas amarus, ultor impetus tui.

Ubi posteriora respiciunt πικρόχολον Archilochi στόμα

ὅς ποτε πικρὴν
Μοῦσαν ἐχιδναίῳ πρῶτος ἔβαψε χόλῳ.

juxta Lentulum Gaetul. VI. 1. (Anal. Br. II. 167.).

I. 17.

Vv. 5 — 12. *Impune tutum per nemus . . . laevia personuere saxa.* Anyte VIII. (A. Br. I. 198.) eadem imagine:

Τίπτε κατ' οἰόβατον, Πὰν ἀγρότα, δάσκιον ὕλαν
ἥμενος, ἀδυβόᾳ τῷδε κρέκεις δόνακι;
Ὄφρα μοὶ ἑρσήεντα κατ' οὔρεα ταῦτα νέμοιντο
Πόρτιες, ἠϋτόκων δρεπτόμεναι σταχύων.

v. 25. sqq.

— — *ne male dispari*
Incontinentes injiciat manus
Et scindat haerentem coronam
Crinibus immeritamque vestem.

Eadem calidioris e zelotypia amoris signa exhibet Lucian. Dial. Meretr. VIII. init. Ἐι τις δε μήτε ζηλοτυπεῖ, μήτε ὀργίζεται, μήτε ἐῤῥάπισέ ποτε, ἢ περιέκειρεν ἢ τὰ ἱμάτια περιέσχισεν, ἔτι ἐραστὴς ἐκεῖνος ἐστίν;

I. 18.

v. 4.

— — — — *neque*
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

Euripid. Bacch. 278 sqq.

— — ὁ Σεμέλης γόνος
Βότρυος ὑγρὸν πόμ' εὗρε, κεἰσηνέγκατο
Θνητοῖς, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
Λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς,
Ὕπνου τε λήθην τῶν καθημέρων κακῶν
Δίδωσιν, οὐδ' ἔστ' ἄλλο φάρμακον πόνων.

v. 10.

Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi.

exiguo fine, omnino nullo. Pindar. Ol. I. 57. μείων γὰρ αἰτία, i. ὀλίγη pro οὐδεμία, uti optime Heyn. Infra II. 6. 18. *Aulon minimum* h. omnino non *invidet Falernis uvis.*

Ad v. 15. plenior adducendus erat Rhiani locus, nam in verbis laudatis non latet, quod cum *tollens verticem* comparari possit; nimirum:

Ἀλλ' ὑπεροπλίῃ καὶ ἀμαρτωλῇσι νόοιο
Ἶσα Διῒ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχένας ἴσχει.

Mox ad v. 16. Pausaniae locus de vitrea phiala forte paullo subtilius a me explicatus.

I. 19.

v. 14. *Hic*
Verbenas, pueri, ponite, turaque
Bimi cum patera meri
Mactata veniet lenior hostia

h. adparate quantocius sacrificium, quo Venerem placem. Facile perspicitur, orationem ad pedestrem formam ita revocandam esse: ponite hic verbenas, tura, merum, victimam; quae vivida partium enumeratio est pro, instruite sacrum: *quo peracto* leniorem experiar Venerem. Sed docte hostiam poeta in priore commate omittit,

et in posteriore generalem sacrificii notionem ea involvit. Eadem ne quis de hostia Veneri mactata amplius dubitet, enumerat Martial. IX. 91. 16. in sacro *Divae Paphi* facto.

Et cum ture meroque victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

I. 21.

V. 5.

Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecunque cet.

Orph. H. XXXI. 4. 5.

Ἡ διάγεις ὄχθους ὑψαύχενας ἀκρωρείους
Ἠδ' ὄρεα σκιόεντα νάπαισί τε σὴν φρένα τέρπεις.

de Diana haud dubie, judice quoque Ruhnk. Cum exitu hujus carminis comparandum Philippi Epigr. XLVII. (Anal. Br. II. 224.):

Ζηνὸς καὶ Λητοῦς θηροσκόπε τοξότι κούρη,
"Αρτεμις, ἡ θαλάμους τοὺς ὀρέων ἔλαχες,
Νοῦσον τὴν στυγερὴν αὐθημερὸν ἐκ βασιλῆος
Ἐσθλοτάτου πέμψαις ἄχρις Ὑπερβορέων.

I. 24.

v. 2.

— — *Praecipe lugubres*
Cantus Melpomene.

Jubet Musam προοιμιάζειν, quo dignius exsistat carmen. Similiter Stesichorus Musam ἀρχεσίμολπον, Πίνδαρος δὲ (Pyth. I. 7.) ἀγησιχόρα τὰ προοίμια lyrae Apollinis dixit, juxta Atheu. IV. p. 180. E. Adde Dionys. H. I. 1. 2. in Anal. Br. II. 253.

v. 6. p. 233. col. 2. post verba: *numina ista* (Veritas, Fides, Justitia) — *eum comitari prisco sermone dicuntur:* adde Martial. X. 78. 1.

Ibis litoreas, Macer, Salonas,
Ibit rara Fides, amorque recti,
Et secum comitem trahet Pudorem.

De *vana* mortuorum *imagine* v. 16. vid. Davis. ad Cic. Tusc. Quaest. I. 16.

v. 19. 20.
Durum! sed levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

Aeschyl. Prom. 103.

— — τὴν πεπρωμένην δὲ χρὴ
Αἶσαν φέρειν ὡς ῥᾷστα, γιγνώσκονθ᾽ ὅτι
Τὸ τῆς ἀνάγκης ἔστ᾽ ἀδήριτον σθένος.

Apollodorus apud Stob. Flor. Grot. p. 453.

Χαλεπὸν τὸ Τύχης πρᾶγμα, χαλεπόν· ἀλλὰ δεῖ
Αὐτὴν φέρειν κατὰ τρόπον, ὥσπερ φορτίον.

Jacobs Horatio obversata fuisse putabat Archilochi I. 6. ubi κρατερὴν τλημοσύνην vocat φάρμακον hominibus divinitus datum.

I. 25.

v. 11. 12.
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento.

Eadem vehementioris amoris cum impetuosissimo vento comparatio apud Max. Tyr. p. 297. (Ursin. in Carmin. IX. ill. fem. p. 18.) τῇ δ᾽ ὁ Ἔρως ἐτίναξε τὰς φρένας ὡς ἄνεμος κατ᾽ ὄρος δρυσὶν ἐμπεσών.

I. 27.

v. 19.
Quanta laborabas Charybdi

Eadem fere rei imago apud Catull. LXVIII. 107. 8.

— tanto te absorbens vortice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum,

ducta e Theocr. III. 42.

Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα.
Sed *Charybdin* posuit Horatius, in rapacitate mulieris notanda. Alciphr. I. 6. p. 24. de Galene: *κωμάζουσι πρὸς αὐτὴν ἡ πρὸς θάλασσαν νεολαία καὶ ἄλλος ἄλλο δῶρον ἀποφέρει· ἡ δὲ εἰςδέχεται καὶ ἀναλοῖ Χαρύβδεως δίκην.*

I. 28.

v. 5.

Aërias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum —

h. de Diis ac mundo philosophatum. Nostrum et Lucretianum locum, in Notis adpositum, illustrat Cic. de Fin. II. 31. *Haec non erant ejus* (Epicuri), *qui innumerabiles mundos, infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset.*

In vv. 9 — 13. *habentque Tartara Panthoiden* cet. forte subtilior fui, quam opus erat. Multo enim simplicius et ad verba adcommodatius erit: Pythagorae moriendum fuit, etsi jam antea semel mortuus esset. Hoc ornavit *rogi* notione advocata, quo corpus crematum erat: supervixit tamen rogo, in novam vitam transgressus; adeoque nihil rogo dedit praeter nervos et cutem. Pedestris adeo ratio erat: quamvis quod quidem clypei argumento probabat, iterum revixerat.

v. 14. *Non* sordidus *auctor naturae verique.* — In animo forte habuit poeta Lucilianum, quod est apud Cic. de optimo gen. orat. 17. Aeschines tanquam Aeserninus, ut ait Lucilius

— — non spurcus *homo, sed doctus et acer*
Cum Pacidiano hic componitur optimu' longe
Post homines natos.

non sordidus igitur *auctor naturae verique* audit Pythagoras, h. doctus et acer philosophus.

I. 33.

Ad. vv. 11. 12. *cui placet impares formas atque animos sub juga aënea saevo mittere cum joco*, perperam duas diversas loquendi formas statui, inductus potissimum III. 9. 18. *Quid si prisca redit Venus*, diductosque jugo *cogit aëneo*; sed h. l. diserte poeta ait, Venerem *saevo cum joco* duo diversissima ingenia sub unum jugum, amore non mutuo, sed diversis adfectibus, dum alter amat, alter odit, mittere. Vulgaris adeo sententia erat: Dura haec amoris conditio proposita est hominibus, ut ament, a quibus non redamentur.

I. 34.

v. 9 — 12.

Quo bruta tellus et vaga flumina
Quo Styx et invisi horrida Taenari
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur.

Cum Horatio (et Virg. Ge. I. 328 sqq.) certasse videtur Sil. V. 385.

Sic ubi — — molitus Jupiter altas
Fulmine nunc Alpes, nunc mixta Ceraunia coelo
Intremuere simul tellus et pontus et aether,
Ipsaque commoto quatiuntur Tartara mundo.

v. 14.

— — Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

Eadem rei imago, quamquam minus exornata in Stat. Theb. XI. 649.

Res Amphionias alio, sceptrumque maligna
Transtulerat Fortuna manu.

De *stridore* metaphorice accepto Flor. IV. 3. extr. *Quod in annua coeli conversione fieri solet, ut mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent; sic cum Romanae dominationis, i. e. humani generis, conversione penitus intremuit, omnique genere discriminum, civilibus, terrestribus ac navalibus bellis omne imperii corpus agitatum est.*

I. 35.

v. 4.

— — vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Illustre humanorum casuum documentum suppeditat Paulli triumphus duorum filiorum morte funestatus. Liv. XLV. 41. ita eum loquentem inducit: *Postquam omnia secundo navium cursu in Italiam pervenerunt, neque erat, quod ultra precarer; illud optavi, ut cum ex summo retro volvi* (Vid. ad III. 10. 10.) *fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius, quam respublica sentiret. Itaque defunctam esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate spero,* quod triumphus meus velut ad ludibrium casuum humanorum duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Triumphus *superbus*, ut *laurus superba* Sil. XV. 119.

Vv. 5 — 8. Vales. Emendatt. II. 24. Fortunae effigiem a poeta respici opinabatur, altera manu Cornucopiae, altera gubernaculum tenentis, atque hoc *domina aequoris*, illud *ruris colono* innui. Quo eodem trahebat Dionis (Orat. II. p. 595.) descriptionem Fortunae, quae τῇ μὲν τεταμένων τῶν χειρῶν μηχανωμένη τε πλοῦν καὶ κατιθύ-

νουσα, τῇ δὲ τοὺς καρποὺς ἀφθόνως διδοῦσα· hoc quidem verius arbitror.

v. 13.

Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam —

Aeschyli adducto loco adde Pausan. III. 7. ὁ πόλεμος οὗτος εὖ τὴν Ἑλλάδα ἔτι βεβηκυῖαν διέσεισεν ἐκ βάθρων.

v. 21.

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno —

Raram Fidem ex h. l. dixit Martial. X. 78. 2. et candidum Fidei amictum Noster forte mutuatus est ab Hesiod. Ἔργ. 198. ubi Αἰδὼς καὶ Νέμεσις

Λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλόν.

v. 27. *diffugiunt amici*
Ferre jugum pariter dolosi.

dolosi ferre graece pro, quam ut ferant. Succurrit nunc locus Pindari Isthm. VII. 61.

— — — τὰ μακρὰ δ' εἴ τις
Παπταίνει, βραχὺς ἐξικέ-
σθαι χαλκόπεδον θεῶν
Ἕδραν.

βραχὺς ἐξικέσθαι h. ἀσθενέστερός ἐστιν, ἢ ὡς cet. uti optime Heyn. Ad rem ac verba Ovid. Trist. V. 2. 30. 40.

Me miserum! quid agam, si proxima quaeque relinquunt!
Subtrahis effracto tu quoque colla jugo.

Eadem gnome apud Plaut. Stich. IV. 1. 16.

Ut quoique homini res parata est, firmi amici sunt: si res labat
Itidem amici collabascunt; res amicos invenit.

'Ανδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι in Grot. Excerpt. p. 945.

II. 3.

v. 4 sqq. — — moriture Delli,

Seu moestus omni tempore vixeris
Seu te — — —
— — — bearis
Interiore nota Falerni.

Incertus ep. DXXVII. Anal. Br. III. 262.

Πολλὰ πιὼν τέθνηκας, 'Ανάκρεον· ἀλλὰ τρυφήσας·
Καὶ σύ γε μὴ πίνων ἵξεαι εἰς 'Αΐδην.

Mox ad *umbram hospitalem* v. 10. cf. Virg. Ge. IV. 24.

Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.

Uterque expressit Anacreontis καταγώγιον c. XXI.

καλὸν τὸ δένδρον
'Απαλὰς σείει δὲ χαίτας
Μαλακωτάτῳ κλαδίσκῳ.
Τίς ἂν οὖν ὁρῶν παρέλθοι
Καταγώγιον τοιοῦτο;

II. 6.

v. 17.

Ver ubi longum tepidasque praebet
Jupiter brumas.

Imitatus est locum Auson. de Burgidala (de clar. Urb. XIV. 8 — 10.):

clementia coeli
Mitis ubi, et riguae larga indulgentia terrae
Ver longum, brumaeque novo cum sole tepentes,

uti legit Heins. Advers. III. 13. p. 492.

II. 9.

v. 22. Cantemus Niphaten et Medum flumen *minores volvere vortices.*

Eadem imago in Sil. III. 599.

Compescet ripis Rhenum, *reget impiger Afros.*
h. Rhenum exundantem intra alveum suum coget,
h. Germanorum ferociam contundet, eos domabit.

II. 10.

v. 2. In *τῷ semper* cum reliquis conciliando forte argutatus sum, neque tali molimine opus erat, ut illud sententiae perspicuitati ac veritati congrueret. *Altum non semper urgendo* puto esse simpliciter: si non hoc agas, ut altum semper urgeas continuo enixeque cursum eo dirigas; seu, demta allegoria; ut altiora ambitiose secteris, enixissimo studio adsequi coneris. Habet adeo *semper* notionem pertinacis studii, ut altius proveharis, insumti.

II. 11.

v. 18 — 20.

— — Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha.

Meleag. CXIII. 3. (Anal. I. 32.)

— — σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος· ἢν δέ νιν εἴργῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Et inter Aenigm. apud Brunk. T. III. p. 323. aen. XVIII.

Νῦν δὲ νέμων πύρινόν με τρισὶ Νύμφαισι μιγῆναι
Δέρκεαι ὑελίνῳ κείμενον ἐν δαπέδῳ.

Mox. v. 21.

Quis devium scortum eliciet domo
Lyden?

Anacr. IV. 14.

Ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ,
Μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα
Πύκασον, κάλει δ' ἑταίρην.

eadem sententiarum progressione.

II. 16.

De vv. 5 sqq. forte paullo durius statui, resque e lyrica ratione ita expedienda: Generalis sententia, quam animo informatam habebat poeta, erat: *Otium tam corporis quam animi votis habemus omnes*: hujus priori commati (*otio corporis*) explicando exornandoque inhaesit (vv. 1 — 6), suppresso altero, *otio animi, tranquillitate*, e vv. 7. 8. demum eliciendo; atque in hoc haeret ac defigitur poeta in seqq. *Non enim gazae* sqq. omisso plane altero priore, ab argumento, quod sibi tractandum proposuerat, alieno. Apodosis igitur est: *sed otium hoc* (animi) *non paratur divitiis nec honoribus*

II. 17.

v. 5.

Ah! te meae si partem animae rapit
Maturior vis? cet.

Eodem acumine epigramma ἀδέσποτον in Pithoeanis p. 41.

Ablatus mihi Crispus est, amici;
Pro quo si pretium dari liceret,
Nostros dividerem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit.
Crispus praesidium meum, voluptas,
Pectus, deliciae: nihil sine illo
Laetum mens mea jam putabit esse.
Consumtus male, debilisque vivam,
Plus quam dimidium mei recessit.

Vv. 17. sqq. Magnam apud Viros doctos et humanitatis studiosos me initurum gratiam spero si, quae *Reimerus*, Vir doctissimus mihique amicissimus, Regiae Societatis Scientiarum, quae Gottingae floret, Adsessor dignissimus, idemque *Historia problematis de Cubi duplicatione* de-

texta nominis claritatem adeptus, super vv. 17. sqq. ex astrologica disciplina rite expediendis mecum perhumaniter communicavit, hic adposuero. Ita vero ille disserit:

Quae jam a primis inde Astronomiae originibus hominum animos implevit superstitio, qua in multas naturales res et eventus, quam animadvertisse sibi persuaderent siderum insignem vim, eandem his in omnes omnino res humanas pariter vindicandam esse suspicarentur: peperit ea peculiarem aliquam et temporis successu, observationibus sedulo adhibitis, in justas disciplinae formas redactam doctrinam, Astrologiam; quae, quasi altera pars Astronomiae, ex mutua siderum eo momento, quo quisque nasceretur, in coelo constitutione adcurate observata, ejus indolem, mores, vitae casus, mortem cet. ad certas leges regulasque adstringeret; quam etiam Augusti temporibus apud Romanos in magno honore fuisse, notissimum est. Est autem haec ars s. disciplina pro summa eorum, quae in habitu et positura siderum accidere possunt, multitudine et varietate, quae simul singulis rebus humanis sunt adcommodanda, tot complicatis perplexisque praeceptis se invicem varie vel confirmantibus, vel restringentibus, vel prorsus tollentibus, referta, (accedit et ipsorum astrologorum in multis rebus gravissimis repugnantia) ut ejus omnem et veram indolem, quoad quidem leges generaliores, paucis simul et perspicue exponere, perdifficile sit.

Ex ingenti eorum in lato coeli campo conspiciuntur, inerrantium siderum multitudine, quibusque omnibus pro singulari cujusque in ipso natali momento situ singularis aliquis in hominem nascentem effectus maxime ex ipsius signi, quo singula astra sibi exhibere placuit humanae

sollertiae, natura desumtus, tribuebatur; inprimis duodecim illa, in quae Zodiacus dividitur astra, maximam habere vim et virtutem credita sunt, atque eorum unicuique, ut et singulis cujusque regionibus, vel benigna vel noxia vindicata est potestas. Primum autem et ante omnia diligenter et adcurate explorandum erat, quodnam signum, et quota ejus pars (*Grad*) eo momento, quo quisque nasceretur, emergeret. Ibi *horoscopus* dicebatur esse constitutus, i. e. locus, ex quo cetera omnia in coelo essent ordinanda et definienda. Ab ea igitur coeli parte exorsi Zodiacum in duodecim, quas vocabant *stationes* computando dividebant, earum unicuique triginta partes adsignantes. Et his inprimis *quatuor coeli cardines, ortus, occasus, medium* et *imum coelum*, erant definiendi; quorum quidem *ortus* erat pars ipsius horoscopi, quae in ujuscujusque momento natali primum emergeret, ac deinceps per triginta partes in coelo produceretur; *occasus* autem ea coeli pars, quae in septimo ab horospoco signo posita, aeque triginta partes in coelo sibi vindicaret. Similiter *medium coelum* in decimo vel interdum etiam in undecimo, *imum coelum* autem in quarto horoscopo signo constituebatur. Maxime autem insignis erat, ut illarum duodecim stationum, ita inprimis horum quatuor coeli cardinum, uniuscujusque quidem in diversas vitae humanae res, vis et virtus, eaque ex signorum et planetarum in illis coeli stationibus et cardinibus situ temperanda. Ceterum e quatuor illis cardinibus is, qui medium coelum teneret, reliquos et dignitate et effectu superabat; cui proxime accedere existimabatur imum coelum; tertium autem dignitatis locum occupabat ortus, quartum denique occasus. Hisce duodecim stationibus per duodecim Zodiaci signa ita constitutis,

duodecim *Athla* (quo vocabulo graeco opera, labores, studia, certamina, artes, et omnino quaecunque res aut quicunque casus in vita humana contingere possunt, intelliguntur) per eas adhuc erant distribuenda; et quidem ita, ut, invento fortunae loco, in proximum incideret militia et peregrinatio, in tertium negotia civilia, et sic porro reliqua per duodecim stationes certo ordine sequerentur. Ad inveniendum autem fortunae locum pro diurna vel nocturna genitura diversa tradebantur praecepta. Quare necesse erat, ut solis et lunae in coelo situm (in quonam quidem signo, et in quota ejus parte invenirentur positi) adcurate cognitum haberent.

Sed de reliquis etiam stellis errantibus s. planetis eadem omnino erant investiganda. Cum enim, ut singulis Zodiaci sideribus, ita quam maxime singulis planetis singularis aliqua in res humanas vis et virtus tribueretur, vel benigna vel noxia: hanc ipsam signa, in quibus collocati essent, varie moderari posse putabant. Sic etiam cum duodecim signorum unumquodque planetae cuidam prae ceteris maxime proprium esse haberetur (unde is planeta hujus signi vocabatur *dominus*, signumque ipsum ejus *domus*); cumque insuper quodvis signum, tum in tres partes, quas *decanos* dicerent, tum in triginta partes, quibus *fines* signi constituerentur, esset divisum, istique decani et fines singulis planetis etiam vindicarentur: varie inde comparata existimabatur alicujus planetae virtus, prout in sua domo, vel in suo decano, vel in suis finibus esset constitutus (ubi vis ejus major credita est et vehementior), vel in alius planetae domo, vel decano. vel finibus. Quod autem mutuum planetarum inter se situm attinet, maximi erat momenti quaestio, num *diametra*, an *trigona*, an *quadrata*, an denique

hexagona radiatione se invicem aut horoscopum respicere invenirentur. *Diametra* autem radiatione horoscopum vel planetam respicere dicebatur planeta, qui in septimo inde ab horoscopo vel a planeta signo esset constitutus; *trigona*, qui quintum ab horoscopo vel a planeta teneret signum; *quadrata*, qui quartum; *hexagona* denique, qui tertium. Quod horoscopum attinet, diametra et quadrata radiatio omnino infelix habita est et maligna, trigona autem fausta et salutaris, hexagona minoris potestatis. Planetae autem si aliqua radiatione planeta invenireiur oppositus, atque eorum uterque ejusdem, sive benevolae sive malignae, haberetur naturae: uniuscujusque vis et virtus, sive in hominis salutem sive perniciem, maxime augeri credebatur. Si vero beneficus alter, alter noxius declararetur, is, qui dextrum s superius in coelo latus teneret, eum, qui in sinistro s. inferiore latere esset positus, vincere dicebatur.

Erant denique adhuc innumera alia diligenter investiganda, v. c. ad definiendem vitae spatium, quis planetarum *vitae* esset *dator* (s. *geniturae dominus*), quis constitueretur *temporum dominus* cet.: quae quidem omnia tantam contortorum praeceptorum suggerebant farraginem; ut astrologis, astra ex ipsorum commodis (prout uniuscujusque hominis desideriis gratificari cuperent) interpretandi, libera relicta esset potestas.

Sed ut jam ad ipsum Horatii carmen accedamus, et de iis, quae in eo aliquam ex Astrologia lucem et explicationem admittant vel requirant, videamus: versuum illorum (17 sqq.). *Seu Libra, seu me Scorpius* cet. sensus in universum ita sane est concipiendus: *Quaecunque fuerit genitura mea, licet diversa a tua: tamen mea cum tua* (quoad quidem vitae casus in utraque

praefinitos) *quam maxime consentiat, necesse est.* Hanc sententiam Horatius, prout quidem hactenus ejus versus interpretati sunt viri docti, in hunc modum (quamvis ornatius) expressit. *Quodcunque sidus in hora mea natali emerserit, licet diversum a tuo;* vel, ut propriis vocabulis astrologicis utamur: *In quocunque Zodiaci sidere horoscopus meus fuerit inventus, licet diverso a tui horoscopi sidere: tamen horoscopus meus cum tuo quam maxime consentiat, necesse est.* Stellae hominem nascentem *adspicere* dicuntur, quae in ejus hora natali in coelo ita collocatae inveniuntur, ut in eum vim aliquam habere credantur. Sic sidus, in quo est horoscopus, hominem nascentem adspicere sine dubio dici potest. Ex doctrina astrologica etiam bene fieri potuit, ut, quamvis, quae in duorum hominum diversa hora natali emergerent signa, essent vel maxime diversa; reliqua tamen in utriusque genitura in coelo ita inter se invenirentur constituta, ut quoad valetudinem, mortem, omnesque vitae casus, prorsus eadem pransagiret utriusque horoscopus. Definitur enim valetudinis mortisque conditio maxime distribuendis duodecim illis athlis, quorum supra mentio facta est, per duodecim Zodiaci signa; quae distributio non inde ab horoscopi signo instituitur, sed ex Solis vel Lunae situ, prout genitura est diurna vel nocturna, vario modo pendet. Quod etiam vitae spatium attinet, maxime a domino geniturae derivatur, cujus inveniendi ratio (licet unam eandemque non omnes astrologi sequantur) cum signo horoscopi minime cohaeret. De istis autem vitae casibus hic tantum sermo est; non autem de moribus, operibus, artibus, dignitate, conjugio, prole, cet.: quae omnia, cum in Maecenate et Horatio admodum diverse fuissent comparata, in

utriusque genitura etiam multa aliter collocata, atque fere ipsa signa natalitia diversa ex astrologiae praeceptis sine dubio postularunt.

Scorpionem Horatius epitheto ornavit e doctrina astrologica, ut videtur, penitus desumto, *partem violentiorem horae natalis* adpellans. Violentius autem signum non incommode vocari opinor Scorpium, quatenus habitus est ejus naturae, ut homines sub eo nati, ad omnem violentiam et saevitiam proni, bellorum, caedis, rapinaeque studio tenerentur, ut bellatores, venatores, gladiatoresque. Quod et declarant versus Manilii, lib. IV. 217 sqq.

Scorpius, armata violenta *cuspide cauda,*
Qui, sua cum Phoebi currum per sidera ducit,
Rimatur terras et sulcis semina miscet,
In bellum ardentes animos, et Martia castra
Efficit, et multo gaudentem sanguine civem:
Nec praeda, quam caede magis: cumque ipsa sub armis
Pax agitur, capiunt saltus, silvasque perrerrant:
Nunc hominum, nunc bella gerunt violenta *ferarum:*
Nunc caput in mortem vendunt, et funus arenae:
Atque hostem sibi quisque parat, cum bella quiescunt.
Sunt quibus et simulacra placent, et ludus in armis,
(Tantus amor pugnae est,) discuntque per otia bellum,
Et quodcunque pari studium producitur arte.

Ingeniosissimae et doctissimae Editoris celeberrimi mihique amicissimi horum verborum interpretationi ideo adsentiri dubitabam, quoniam signum in hora natali surgens reliquis signis vi et

effectu praevalere, nemo Astrologorum facile concedet. Habetur enim hocce signum eo tantum sensu primarium, nomineque sideris natalitii insignitur, quatenus ex ipso invento reliqua signa constituantur et ordinentur, ipsumque, ut Firmicus ait, reliquis quasi aditum praebeat. Vi autem atque effectu et ei sideri, in quo medium, et ei, in quo imum invenitur coelum, posthabendum est.

Sequuntur versus: *Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens eripuit* cet. Saturnum omnino noxium, Iovem vero salutare sidus habitum esse, res est notissima. Fieri igitur potuit, ut, si hi planetae in genitura radiatione aliqua sib invicem invenirentur oppositi, alter alterius vim seu prosperam seu perniciosam infringeret et mitigaret. In Maecenatis genitura Saturni vim noxiam vi Jovis salutari mitigatam esse, adparet. Hoc autem varie accidere potest, dummodo Jupiter sit in dextro, Saturnus autem in sinistro sidere collocatus; quod quidem necesse est, ut Jupiter in superiore parte positus Saturni in inferiore constituit vim malignam superare possit. Si igitur, quod admodum verisimile est, quae modo commemoravit sidera Horatius, Libram, Scorpionem, et Capricornum, in genitura Maecenatis praecipua occupasse ponamus loca, cardines certe coeli quosdam, atque v. c. in Capricorno horoscopum concipiamus esse inventum, et in eodem signo simul Saturnum, Jovem autem in Libra vel in Scorpione: quae de Maecenatis valetudine vitaeque casibus alias nota sunt, ex hac siderum constitutione secundum astrologiae praecepta satis adcurate praedici videbimus. Tum enim in Libra vel Scorpione medium invenitur coelum, Jupiterque, ut ipsa verba Firmici (ex lib. VI. cap. 10.) adhibeamus, dextrum quadrati latus possidens quadra-

ta radiatione respicit Saturnum, ejusque, in sinistro quadrati latere et in Capricorno constituti, ideoque aegritudines et gravissima vitae pericula et discrimina (ex Fimici lib. V. cap. 3.) praesagientis, vim pestiferam mitigat et infringit.

Quaecunque autem alia adhuc iniri possit harum stellarum disponendarum ratio, non aeque bene procedet; certe in hac proposita ratione multa alia etiam Maecenati ita possunt adcommodari, ut, ejus genituram revera ita comparatam fuisse, dubium vix relinquatur. Sic. v. c. Saturnus in horoscopo positus (vid. Firm. lib. III. cap. 3.) multorum malorum et periculorum adventum, aegritudines et languores significat, Jupiter autem in Libra vel in Scorpione constitutus (vid. ejusd. lib. V. cap. 4.) jungit homines potentibus viris aut ducibus vel regibus, eorumque res et secreta iis committuntur; pariterque in medio coelo (vid. ejusd. lib. III. cap. 4.) magnos decernit honores, publicorum negotiorum facit principes, necnon imperatorum negotia tractantes. Horoscopus denique in Capricorno et medium coelum in Libra (vid. ejusd. lib. V. cap. 1) homines faciunt pios, honesti gratia sermonis ornatos, doctos, et diis vota restituentes ex quibusdam necessitatibus vel periculis liberatos, ita ut Horatius, cum sub finem carminis munera ex voto diis persolvere hortetur Maecenatem, ipsius etiam horoscopi decreta videatur esse sequutus. Ceterum in genitura Maecenatis in Scorpium aeque ac in Libram cadere potuisse medium coelum, neminem doctrinis astrologicis imbutum offendet; cum interjectis inter horoscopum et medium coelum 270 partibus, medium coelum inde a parte 271 inciperet, atque deinceps per 30 partes produceretur, ita ut undecimum aeque ac decimum ab horoscopo signum occupare posset.

Quae de Maecenatis genitura cum jam sint exposita, in promtu est et alia versus Horatianos interpretandi ratio; quae eo fit probabilior, quatenus omnia, quae de astris adfert poeta, ex Maecenatis genitura omnino desumta esse videntur. Quod enim de loco horoscopi s. ortu nequaquam licuit, ut eum violentiorem horae natalis partem diceret Horatius, de superiore coeli cardine s. medio coelo omni jure licebat. Itaque cum astrologos istam Iovis et Saturni constitutionem tanquam rem gravissimam in Maecenatis genitura saepius commemorantes, atque, ut meticulosum hujus viri, de ea forsan altius indagantis, (de signorum enim istorum decanis et finibus, in quibus hi planetae invenirentur positi, et de multis aliis rebus adhuc poterat disquiri) animum confirmarent, vim Jovis salutarem noxiae Saturni praevalere demonstrantes audivisset noster: quam proprie proferre volebat sententiam, *quaecunque fuerit genitura mea*, hanc geniturae Maecenatis indolem respiciens, sic expressit: *Seu Libra, seu me Scorpius adspicit Formidolosus*, (tanquam) *pars violentior Natalis horae, seu tyrannus Hesperiae Capricornus undae,* i. e. seu in Libra, seu in Scorpione seu potius in Capricorno sit cardo coeli superior in genitura mea cet. Vocabulum *adspicere* de stella in medio coelo posita aeque adhiberi potest. Reliqua etiam, quae supra de horoscopi signo sunt observata, ex eo quidem solo astrologicas de valetudine, morte, aliisque vitae casibus disquisitionis minime pendere, pariter de medio coelo sunt monenda.

III. 3.

v. 13 — 16.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres — — —

— — *hac Quirinus*
Martis equis Acheronta fugit.

Priora expressit Ovid. Trist. V. 3. 19.

Ipse quoque aetherias meritis invectus es arces
Qua non exiguo facta labore via est.

de Baccho. Posteriora concinunt modis Pindaricis apud Plutarch. de Superstit. p. 167. E. fr. Heyn. p. 94.

κεῖνοι γὰρ ἄνοσοι ϗ ἀγήραοι
πόνων τε ἄπειροι βαρυβόαν
πορθμὸν πεφευγότες Ἀχέροντος

de Diis.

III. 5.

v. 55.
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

Parum probabile est, Romanos Reguli aetate praedia in Campania atque in Tarentino tractu habuisse. Igitur Horatius aut suae aetatis rationem habuit, aut, quod probabilius videtur, omnino amoenissimas regiones designare voluit.

III. 6.

v. 37.
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas cet.

Locum optime illustrat Columella de Re R. L. I. Praef. §. 17. *At mehercules vera illa Romuli proles adsiduis venatibus nec minus agrestibus operibus exercitata, firmissimis praevaluit corporibus, ac militiam belli, quum res postulavit, facile sustinuit durata pacis la-*

ribus, semperque rusticam plebem praeposuit urbanae.

III. 8.

P. 114. de Baccho; hortorum, maxime pomorum Deo primo loco memorandus erat Pindari locus apud Plutarch. Sympos. quaest. IX. 14. p. 745. A. (fr. Heyn. p. 96.):

δενδρέων δὲ νομὸν Διόνυ-
σος πολυγαθὴς αὐξάνει
ἁγνὸν φέγγος ὀπώρας.

v. 10.

Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphorae

Eadem ornatus ratio in Archilocho V. 2.

Ἀλλ' ἄγε, σὺν κώθωνι θοῆς διὰ σέλματα νηὸς
Φοίτα, καὶ κοίλων πώματ' ἄφελκε κάδων.

III. 16.

v. 42 sqq.

Multa petentibus
Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Conveniunt haec cum aureis γνώμαις (forte Syri vel Laberii) apud Senec. Ep. 108.

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.
Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult, habet, qui velle, quod satis est, potest.

III. 20.

P. 201. col. 1. extr. Statii loco adde Ovid. Met. XIII. 547.

Utque furit catulo lactente orbata leaena
Signaque nacta pedum sequitur, quem non videt, hostem.

et ad v. 3. *fugies inaudax praelia raptor* Martial. VIII. 26. 1.

Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo.

ubi *albus*, χλωρὸς τῷ *inaudax* respondet.

v. 13. 14.

Fertur et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis.

De vento flabellis facto nondum muto sententiam etiam propter adj. epitheton *leni*. Dioscorid. XII. 1. (Anal. Br. I. 495.):

Ῥιπίδα τὴν μαλακοῖσιν ἀεὶ πρηεῖαν ἀήταις
Παρμενὶς ἡδίστη θῆκε παρ' Οὐρανίῃ,
Ἐξ εὐνῆς δεκάτευμα· τὸ δ' ἠελίου βαρὺ θάλπος
Ἡ 'ταίρη μαλακοῖς ἐκτρέπεται Ζεφύροις.

Ubi cave mutes ἡ 'ταίρη. Sensus: Jam Zephyri refrigerio permulcetur ἑταίρα, tabellis Veneri dedicatis.

III. 21.

Cum toto comparandum epigr. Ionis I. in Anal. Br. I. 161. maxime vv. 9 — 12.

Νέκταρ — — πότον ὄλβιον, ἀνθρώποισι,
Ξυνὸν τοῦ χαίρειν φάρμακον αὐτοφυές.
Τοῦ θαλίαι φίλα τέκνα, φιλοφροσύναι τε, χοροί τε·
Τῶν ἀγαθῶν βασιλεὺς οἶνος ἔδειξε φύσιν.

v. 13.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro.

Jacobs hunc locum admovit Asclepiadeis (Anal. Br. I. 213. c. X. 1.):

Οἶνος ἔρωτος ἔλεγχος. ἐρᾶν ἀρνεύμενον ἡμῖν
Ἤτασαν αἱ πολλαὶ Νικαγόρην προπόσεις.

uti locum emendavit Alberti ad Hesych. v. ἤτασεν. Horatium expressit Sil. XI. 287.

Donec pulsa fames, et Bacchi munera duram
Laxarunt mentem.

Mox

— et arcanum jocoso
Consilium retegis Lyaeo

forte nihil amplius est, quam: arcana pectoris retegis, *promoves loco* (ut Epod. XI. 14. ubi plura vide), efficis, ut homines secreta animi eloquantur, Lyaeum jocosum expedit Xenoph. Sympos. p. 127. Bach. ὁ οἶνος, ἄρδων τὰς ψυχὰς, τὰς μὲν λύπας — κοιμίζει, τὰς δὲ φιλοφροσύνας, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα, ἐγείρει.

v. 17.

Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque et addis cornua pauperi cet.

Primo loco commemorandum erat splendidissimum Pindari fragmentum, quod in Excerpto L. XI. Athenaei apud Casaub. Animadvv. XI. c. 4. p. 782. legitur: αὔξει γὰρ καὶ τρέφει, μεγαλύνει τε τὴν ψυχὴν ἡ ἐν τοῖς πότοις διατριβὴ, ἀναζωπυροῦσα νοῦν, ὥς φησι Πίνδαρος·

ἀνίκ' ἀνθρώπων καματώδεες οἴχον-
 ται μέριμναι στηθέων ἔξω, πελάγει
δ' ἐν πολυχρύσοιο πλούτου
πάντες ἴσα νέομεν ψευδῆ πρὸς ἀκτάν·
ὃς μὲν ἀχρήμων, ἀφνει-
ὸς τότε, τοὶ δ' αὖ πλουτέοντες ἀέξον-
ται φρένας ἀμπελίνοις τόξοις δαμέντες.

ubi φρένες ἀμπελίνοις τόξοις δαμέντες felici audacia dictae *ebriae*. Similiter Martialis III. 68. 5. 6.

Hic jam deposito post vina rosasque pudore,
Quid dicat, nescit saucia *Terpsichore.*

Daphnen mero sauciam plenius adpellat Apulei. Met. IX. p. 601. Oud. Noster serm. II. 1. 24.

— — *Saltat Milonius, ut semel* icto
Accessit fervor capiti; *numerusque lucernis.*

III. 28.

v. 9. 10.

Tu curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae

Callimachi loco adde Eurip. Hec. 462.

Σὺν Δηλιάσι τε κούραις
Ἀρτέμιδός τε θεᾶς
Χρυσέαν ἄμπυκα
Τόξά τ' εὐλογήσω.

Coll. Nostri I, 21. 11. 12.

IV. 1.

v. 32 — 35.

Sed cur heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?

Cum prioribus Nostri vv. Jacobs composuit Dioscoridis XXIV. 3. (Anal. Br. I. 499.)

Τερπνότατε Μούσῃσιν, Ἀνάκρεον, ὦ 'πὶ Βαθύλλῳ
Χλωρὸν ὑπὲρ κυλίκων πολλάκι δάκρυ χέας.

Posterioribus concinunt Valerii Aeditui (Catal. Scal. p. 205.):

Dicere quum conor curam tibi, Pamphila cordis,
Quid mi abs te quaeram, verba labris abeunt.
Per pectus miserum manat subito mihi sudor,
Si taceo subitus, *duplo iterum pereo.*

Si taceo subitus explicant Horatiana: *inter verba cadit lingua.*

IV. 2.

v. 45.

Tum meae (si quid loquar audiendum)
Vocis accedet bona pars cet.

Ut verba: *tum meae vocis* etc. ad Augusti triumphum referri possent, in antecedentibus aliquid esse debebat, quod eo duceret. Igitur *ludus publicus* latiore sensu esset accipiendus: laetitia publica e triumpho, non ludi publice voti. Sed satius erit, hoc tetrastichon omnino ad hilaritatem publicam, e Caesaris reditu conceptam, referre, non ad pompam triumphalem, quam seqq. demum exponunt.

v. 49.

Tuque dum procedis, Io triumphe,

Ratio grammatica utique postulat, ut *tu* ad *Triumphum* referatur. Erit adeo Triumphus Deus, persona indutus, plane ut Epod. IX.

Io Triumphe tu moraris aureos
Currus et intactas boves.

Atque haec ratio lyrico poeta satis digna videri debet: *Et, o triumphe, dum tu procedis*, interposito *Io* solenni, adclamandi formula. Triumphus adeo ducit pompam suam, antevolat eam, cui acclamat spectatrix turba, *Io triumphe*, Majori adeo litera Triumphi nomen scribendum.

IV. 5.

v. 5.

Lucem redde tuae, Dux bone, patriae;
Instar Veris enim vultus ubi tuus
Adfulsit populo, cet.

Projectioris adulationis est Martial. VIII. 21. 11. 12.

Jam Caesar vel nocte veni: stent astra licebit,
Non deerit populo, te veniente, dies.

De vultu Veris speciem praeferente vide loca Jacobsio ad Anthol. I. p. 310. alata.

IV. 9.

v. 13 sqq.

Non sola comtos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus illitum
Mirata regalesque cultus
Et comites Helene Lacaena.

Eurip. Cycl. 180 sqq. de Helena

Ἐπεί γε πολλοῖς ἥδεται γαμουμένη,
Τὴν προδότιν, ἣ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα, καὶ τὸν χρύσεον
Κλοιὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα
Ἐξεπτοήθη, Μενέλεων ἀνθρώπιον
Λῷστον λιποῦσα.

Epod. VIII.

v. 5. 6.

Hietque turpis inter aridas nates
Podex velut crudae bovis.

Aliter eandem rem exhibuit Antipat. Thess. IV. (Anal. Br. II. p. 110.)

Τὴν ξηρὴν ἐπὶ νῶτα Λυκαινίδα, τὴν Ἀφροδίτης
Λώβην, τὴν ἐλάφου παντὸς ἀπυγοτέρην cet.

Carmen Seculare.

v. 61 — 64.

Augur et fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus.

Forte obversabantur Horatio Pindarica Pyth. V. 80 sqq. easdem Apollinis virtutis repraesentantia:

Ὁ δ' ἀρχαγέτας ἔδωκ' Ἀπόλλων
Θῆρας αἰνῷ φόβῳ
— — — —
Ὁ καὶ βαρειᾶν νόσων
Ἀκέσματ' ἄνδρεσσι καὶ
Γυναιξὶ νέμει, πόρεν τε κίθαριν,
Δίδωσι τε Μοῖσαν οἷς ἂν ἐθέλῃ
Ἀπόλεμον ἀγαγὼν
Ἐς πραπίδας εὐνομίαν,
Μυχόν τ' ἀμφέπει
Μαντήϊον.



A n z e i g e

von Prämienbüchern, sowohl für die lateinischen als deutschen Schulen, welche nebst mehreren in der Geistingerschen Buchhandlung auf dem Kohlmarkt zu haben sind.

Adelung, Taschenwörterbuch, orthographisch etymologisches, der deutschen Sprache, neu und vermehrt herausgegeben von Prof. Span. 3 fl. 45 kr.

Amphibien und Fische, die, ein Bilderbuch für fleißige Kinder. ill. 4 fl.

Aurelii Victoris Historia romana, sammt Hildebrands Übersetzung 3 fl. 45 kr.

Idem latine cura Schönberger 2 fl. 30 kr.

Broeder's lateinische Conjugationen vermehrt mit den Gedächtnißversen 1 fl. 15 kr.

Beschreibungen aus römischen Dichtern mit gegenüberstehenden lateinischen Text und mit Anmerkungen zum Behuf der Gymnasialschüler. 1 fl.

Beskiba, Prof., Gleichungen des ersten und zweyten Grades sammt Auflösung. 3 fl.

Büffon, der kleine, oder gemeinnützigste Darstellung des Unentbehrlichsten aus der Naturgeschichte für die Jugend. 2 Thle. 5 fl.

Chimani Darstellung aus dem Vaterlande für die Jugend. 2 fl.

——— Naturmerkwürdigkeiten für die Jugend. 2 fl.

——— kurze Schilderungen für die Jugend. 2 fl.

——— unterhaltendes Lesebuch für die Jugend. 2 fl.

——— gemeinnützige Unterhaltungen für die Jugend 2 fl.

——— Freund des Vaterlandes ein Lesebuch für die Jugend. 2 fl.

——— lehrreiche Erzählungen für die Jugend. 2 fl.

——— schöne Züge und Geschichten für die Jugend. 2 fl.

Chimani, Wanderungen auf dem vaterländischen Gebiethe, für die Jugend. 2 fl.

Ciceronis Epistolae cura Schönberger 3 Tomi 7 fl. 30 kr.

——— Quaestiones tusculanae, sammt Weinzierl's Übersetzung 3 fl.

Idem latine cura Schönberger 1 fl. 48 kr.

Cornelii Nepotis Vitae excellentium virorum ad optimas Editiones collatae, mit Bergsträßers Übersetzung. 2. fl. 40 kr.

Idem latine cura Schönberger 1 fl. 48 kr.

Campe's Robinson der Jüngere, mit illum. Kupfern. 2 Bde. 4 fl.

Dessen väterlicher Rath an meine Tochter. 3 fl.

Drexlers poetisches Hülfsbuch, für die studier. Jug. 3 fl.

Eberhard's deutsches synonimisches Handwörterbuch. 5 fl.

Erichson's griechischer Blumenkranz aus der lyrischen Poesie der Griechen sammt griechischen Texte. 6 fl.

Ernesti allgemeines synonimisches Handwörterbuch der classisch lateinischen Sprache 3 Thle. 6 fl.

Eschenburg's klassische Litteratur der Alten. 6 fl.

Dessen Wissenschaftskunde. 3 fl. 30 kr.

Dessen Entwurf einer Theorie und Litteratur der schönen Redekünste. 3 fl. 30 kr.

Eutropii Breviarium Historiae romanae mit Büchlings Uebersetzung. 2 fl.

Ejusdem et Flori Historia romana — cura Schönberger 1 fl. 20 kr.

Fabeln, ausgewählte, für die Jugend zur Veredlung ihres Herzens, und zur Übung des Gedächtnisses mit 52 illum. Kupfern. 3 fl.

Dieselben in französischer Sprache mit illum. Kupf. 3 fl.

Felbiger's Kern biblischer Geschichten. 1 fl. 20 kr.

Fischers Lehrbuch der Religion für Schulen. 3 fl.

Flori Epitome rerum romanarum, mit Kretschmanns Uebersetzung 2 fl. 40 kr.

Funke's Naturgeschichte und Technologie. 2 Bände 5 fl.

Dessen Innbegriff der nöthigsten Wissenschaften. 1 fl. 15 kr.

Gellerts sämmtliche Fabeln und Erzählungen. 1. fl 45 kr.

Genersichs Wilhelmine, ein Lesebuch für Mädchen 2 Thle. 4 fl. 30 kr.

Dessen Alfred ein Lesebuch für Jünglinge 2 Thle. 4 fl. 30 kr.

Dessen Sophron, 2 Thle. 4 fl. 30 kr.

Genovefa, eine der schönsten und rührendsten Geschichten des Alterthums für die Jugend erzählt. 1 fl. 15 kr.

Geschichte, biblische, für Kinder, altes und neues Testament in sechs Bändchen. 4 fl.

Giftschütz, Anleitung gute Briefe zu schreiben. 2 fl.

Dessen Gebeth- und Erbauungsbuch für Kinder. 1 fl. 30 kr.

Dessen Leben Jesu in Fragen und Antworten für Kinder. 48 kr.

Dessen katholische Religionslehre in Zusammenhang dargestellt, 2 Bändchen 2 fl.

Glaz, die frohen Kinder, oder Erzählungen aus der Bilder- und Kinderwelt, mit zur Seite stehenden französischen Text und illum. Kupfern. 7 fl. 30 kr.

Derselbe, die glückliche Jugend, dargestellt in Bildern und Erzählungen mit zur Seite stehenden französischen Text und illum. Kupfern. 5 fl.

Glaz, Ida ein Geschenk für Töchter. 1 fl.

—— Sammlung ausgewählter Gedichte für Kinder. 1 fl.

—— Selmar ein Geschenk für Söhne. 1 fl.

—— Rosaliens Vermächtniß. 3 fl.

—— moralische Gemählde für die gebildete Jugend mit Kupfern. 7 fl. 30 kr.

Gutmann erste Nahrung für Kinder. 4 fl.

——— Langsdorfs Reise, ein belehrendes Unterhaltungsbuch für die Jugend 3 fl.

——— moralische Erzählungen für jüngere Mädchen. 2 Thle. 4 fl.

Dessen moralische Erzähl. für ältere Mädchen. 2 Thle. 4 fl.

Helmuth's Volks-Naturlehre. 5 fl.

Herders Blumenlese aus morgenländischen Dichtern. 2 fl. 40 kr.

——— Sophron, enthaltend gesammelte Schulreden. 2 fl. 40 kr.

Hohlers Uebersicht der alten und neuen Geschichte. 2 Bde. 3 fl.

Horatii Carmina lyrica illustravit Mitscherlich 2 Bde. 9 fl.

Dasselbe Werk, mit zur Seite stehenden Uebersetzung von Voß. 3 Bde. 15 fl.

Herzmann's Muster der Höflichkeit mit Kupf. 4 fl. 30 kr.

Jakobs Elementarbuch der griechischen Sprache 1 und 2ter Cursus. 2 fl. 40 kr.

Dessen Hülfsbuch zum Elementarbuch, deutsch 2 fl.

Insekten und Würmer, die, ein Bilderbuch für fleißige Kinder, illum. 4 fl.

Itha Gräfinn von Toggenburg. Eine sehr schöne und lehrreiche Erzählung für die Jugend. 1 fl.

Kneifl, Professor, das Mineralreich, ein Handbuch für Studierende, zwey Bände 5 fl.

Derselbe, das Pflanzenreich, ein Handbuch für Studierende. 3 fl.

Derselbe, das Thierreich, ein Handbuch für Studierende. 3 fl.

Kotzebue, Geschichtchen für meine Söhne. 2 Bände. 5 fl.

Derselbe, Geschichtchen für meine Töchter. 2 Bände. 5 fl.

Kritsch, Prof., Blumenlese aus griechischen Dichtern nach den verschiedenen Dichtungsarten für Humanitäts-Schüler. 3 fl.

Lexikidion, graeco latinum in Commodum eorum, qui Chrestomathia in Gymnasiis austriacis praescripta utuntur a Professore Kritsch. 3 fl. 40 kr.

Lamb's, Prof. praktische Anleitung zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische nach dem k. k. Schulplane, erste Grammatikalklasse. Complett 2 fl. 30 kr.

Lambs, Prof., dasselbe, für die zweyte Grammatikalklasse. Complett 2 fl. 30 kr.

Derselbe, dasselbe für die dritte Grammatikalklasse. Complett 2 fl. 30 kr.

Derselbe, dasselbe, für die vierte Grammatikalklasse. Complett 3 fl.

—— Anleitung praktische, zum Übersetzen aus dem Lateinischen in das Deutsche nach dem k. k. Schulplane, 1tes bis 3tes Heft. Naturgeschichte des Menschen und der Thiere nebst einem Anhang von dem Bücherwesen und übersetzen. 4 fl.

Dasselbe — die Gespräche enthaltend. 1 fl. 40 kr.

Dasselbe — die Erzählungen enthaltend. 1 fl. 40 kr.

Dasselbe — die Fabeln enthaltend. 1 fl. 40 kr.

Lichtenberg's Astronomie, ein leichtfaßliches Handbuch für Studierende mit Kupfert. 5 fl.

Desselben physische Geographie ein leichtfaßliches Handbuch für Studierende mit Kupfertaf. 6 fl.

Desselben Naturlehre, 3 Bde. mit Kupfert. 7 fl. 30 kr.

Mährchen, ein Geschenk für Kinder. 3 fl.

Meißner, äsopische Fabeln, für die Jugend mit 150 illum. Vignetten. 5 fl.

Moriz Götterlehre, oder mythologische Dichtungen der Alten mit 65 Abbildungen. 5 fl. 30 kr.

Museum für die Jugend zur Bereicherung des Verstandes und Bildung des Herzens, 2 Thle. mit ill. Kupf. 6 fl.

Naturgeschichte, die, der Pflanzen und Kräuter in illum. Abbildungen nach der Ordnung des Schulbuches. 12 fl.

Naturgeschichte, die, der Bäume und Sträuche in illum. Abbildungen nach der Ordnung des Schulbuches. 12 fl.

Naturgeschichte die, der Thiere in illum. Abbildungen nach der Ordnung des Schulbuches. 18 fl.

Ostereyer, die, eine Erzählung für Kinder. 30 kr.

Phaedri Fabulae, sammt Weinzierls Uebersetzung. 3 fl.

Plinii Opera mit Schäfers Uebersetzung 5 Tomi 12 fl.

Ejusdem Panegyricus sammt deutschen Text 2 fl. 40 kr.

Plinii Opera — cura Schönberger 5 Tomi 3 fl.

Poeliz Weltgeschichte für die studierende Jugend, 4 Bde. 12 fl.

Dessen kleine Weltgeschichte in einem Band 3 fl. 30 kr.

Raff's Geographie für Kinder nach den letzten Friedensschlüßen von Sperl. 3 fl.

Sallustii Opera, sammt Weinzierls Uebersetzung 2 Bde. 5 fl.

Säugethiere, die, in Abbildungen mit illum. Kupfern Ein Bilderbuch für fleißige Kinder 5 fl.

Schaller's Handbuch der Rede- und Dichtkunst, zwey Thle 6 fl.

Scheller und Bauer, lateinisch deutsch und deutsch lateinisches Taschenlexikon für Schulen 2 Bde. 5 fl.

Schmieders Anleitung zur feinen Latinität in übungen und Anmerkungen 3 fl.

Seibts Klugheitslehren für Jünglinge. 2 Bde. 7 fl.

Dessen Gebeth- und Erbauungsbuch für die Jugend. 1 fl. 48 kr.

Span Professore, Novi Versus memorialis de Nominum generibus item de praeteritis Verborum et supinis. 1 fl. 48 kr.

Sinfenis, Gradus ad Parnassum für die Studierende herausgegeben. 2 Bde. 6 fl.

Vögel, die, in Abbildungen, ein Bilderbuch für fleißige Kinder ill. 5 fl.

Phraseologia in usum Juventutis Studiosae accomodata, a Professore Wagner 8 fl.

Thieme, Wilhelm Gradesinn's Leben. 2 Thle. 4 fl.

Zappe thatenreicher Wandel Jesu mit 40 Kupfern 5 fl.

Zeugners Geschenke für meine fleißigen und gut gesitteten Schülerinnen, mit einem Kupfer. 48 kr.

Dessen Lohn des Fleißes und der guten Sitten für wißbegierige und folgsame Mädchen, mit einem Kupfer. 48 kr.

Dessen neues Fleiß- und Sittenbüchlein für kleine Mädchen mit einem Kupfer. 48 kr.

Dessen Geschenke für meine fleißigen und gut gesitteten Schüler mit einem Kupfer. 48 kr.

Dessen Lohn des Fleißes und der guten Sitten für wißbegierige und folgsame Knaben mit einem Kupfer. 48 kr.

Dessen neues Fleiß- und Sittenbüchlein für kleine Knaben mit einem Kupfer. 48 kr.





